T. Sharp DD. Archd.
of Durham. Archd
Deacon of North.


PETER
SEABY
B

(21) (22)

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/thesavrvsselecto00oise

AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM et THEODORUM BOOM. Aº. 1677.

# THESAVRVS SELECTORVM NVMISMATVM ANTIQVORVM.

*Quo*,

Præter Imagines & Seriem Imperatorum Romanorum à C. IVL. CAESARE ad CONSTANTINVM Magnum usque, Quicquid fere Monumentorum ex Romana Antiquitate in Nummis Veteribus restat, reconditum est.

*Cum singulorum succincta Descriptione & accurata Enarratione*,

Auctore

JAC. OISELIO, JC.

AMSTELODAMI,
Ex Officina HENRICI & THEODORI BOOM.
cIↃ IↃ C LXXVII.

# JAC. OISELIVS
## Lectori Benevolo
## S. D.

HAbes heic, Benigne Lector, Syllogen quandam Numiſmatum Antiquorum, cui cum de Nummis agatur, ad aliorum exemplum THESAVRI quoque Nomen inſcripſimus. Idque, ut nobis quidem videtur, haud præter rationem. Cum revera heic habeas Theſaurum quendam omnis Antiquitatis Romanæ, quoad iſta in Veteribus Nummis per temporis injuriam adhuc ſalva evaſerit. Inſtituta primum fuit hæc Collectio, & per haſce Tabulas diſpoſita, ante aliquot annos à Viro quodam harum rerum probe perito, qui quicquid ferme Veterum Rom. Nummorum vel ex præclaris ſummorum Antiquariorum Voluminibus hac de re in lucem editis, vel ex propria penu, vel etiam ex amicorum Cimeliarchiis necdum publicatis, eruere & depromere potuit, collegit, & ad certas ſedes ac Claſſes revocavit, ad exornandum Opus quoddam, quod De Magnitudine & Potentia Reip. Romanæ tum temporis vernacula ſibi lingua in publicum emiſit. Hæc Ectypa æneis Tabulis nitide inciſa, cum in Typographorum manus perveniſſent, ne fruſtra apud eos hærerent, ante quadriennium & quod excurrit, ab iis rogatus, ut ſubſecivis horis brevi Commentario illuſtrare vellem, & veſte Latina, quæ ipſis nativa, iterum donare, quò univerſæ Litterariæ Reipublicæ melius innoteſcerent, hominibus amicis hoc qualecunque officium denegare nolui; eo animo, ut quantum mihi per alias occupationes quotidiano penſo abſolvere liceret, ipſimet ſtatim prælo committerent, & typis ſuis interea deſcriberent, dum reliqua prælo currente perficerentur. Ob commercia vero interrupta per bellicos furores, quibus univerſa fere Europa etiamnum exagitatur, chartæque exinde penuriam, diutius hoc opus ſub prælo ſudavit & hæſit, quam vel antea per quietem etiam unquam divinare licuiſſet; nullam tamen ab eo tempore limam

*mam ulteriorem accepit, ſed uti primum conceptum & natum, ita Fortunæ Obſequenti commiſſum & relictum; utpote cujus tædium animo in aliis occupato dudum eſt quod obrepſerit, cum uni rei tamdiu inhærere nequeat. De Commentario meo loquor; Numiſmatum enim Collectio, ut dixi, alterius eſt operæ, qui iſtam ad ſcopum ſuum inſtituit; hinc eſt, quod in quibuſdam Tabulis nonnulli occurrant Nummi, ut de illis dicam, quod Iureconſulti noſtri de Legibus quibuſdam, à Triboniano & ſociis, ſub alieno titulo in Pandectis collocatis, dicere ſolent, fugitivi, quique ita ſimpliciter inſpecti, nullam videntur habere convenientiam cum ſede, in qua reperiuntur. Sed hoc exinde procedit, quod qui Delectum fecit, iſtos ad Scripti ſui ſeriem digeſſerat, ut per illos mentem ſuam illuſtraret. Nos vero ſingulos Nummos ſingulatim conſideravimus, & Explicationem noſtram ad Nummorum ſeriem aptavimus. Tabulis tamen prius ex ſententia noſtra diſpoſitis, ac Nummis omnibus in Decem Claſſes diſtributis. Quarum prima Imagines & Seriem Imperatorum Romanorum à Iulio Cæſare ad Conſtantinum Magnum uſque exhibet. Cæteræ Claſſes averſas Nummorum partes complectuntur; in quibus aut Regionum, Provinciarum, Fluviorum, Vrbiumque Symbola; aut Deorum, Dearumque Simulacra; aut Virtutum, aliarumque rerum Emblemata repræſentantur; quæque Pacis vel Belli, Publica vel Privata, Sacra vel Profana Romanæ Antiquitatis Monumenta præferunt. Quorum omnium & ſingulorum explicationem cum brevi deſcriptione, & indicato cujuſque Imperatoris, aut Auguſtæ, aut alterius cujuſcunque, ad quem Nummus pertinet, aut à quo cuſus, nomine, ex Hiſtoria veteri aliiſque Claſsicis Auctoribus dare conati ſumus; quo ſucceſſu, aliis judicandum relinquimus. Cum vero eorum, qui in hoc ſtudiorum genere necdum adeo verſati ſunt, æque habenda fuerit ratio, ac aliorum, qui eximios quoſdam progreſſus in eo jam fecere, ideo nihil negligendum duximus, quod moram ullam injicere poſſet, aut quod aliquam lucem deſiderare videretur, inſpectis ſemper & adductis Veterum Auctorum locis & verbis, ſine quibus in hiſce meræ tenebræ. Remiſſiones*

*enim*

*enim iſtæ perpetuæ, & nudæ Auctorum allegationes, qui nonnullorum eſt mos, quam parum cum fructu Lectoris fiant, quotidiana docet experientia. Dum ne centeſimo quidem Lectorum, aut animus aut otium adſit, aut ſi adſit, operam impendere velit, aut ſi quidem voluntas adſit, copiam & facultatem habeat ita in promptu conſulendi & inſpiciendi Auctores omnes, quos nonnulli, oſtentationis utplurimum cauſſa, magno numero, & quorum maxima forſan pars ab ipſiſmet ne quidem viſa aut conſulta, adducunt, nudiſque quorum nominibus utramque paginam implent. Poterit autem hic Theſaurus Manuductionis inſtar eſſe iis, quorum facultas & res patiantur hæc Antiquitatis Studia penitius excutere atque excolere; cum vero non omnibus contingat adire Corinthum, & pauci ſint, quos æquus amavit Iupiter, aliaque multa in hoc brevi vitæ humanæ curriculo agenda reſtent, habebunt & hi, quo laudabili eorum deſiderio ſatisfieri poterit. Dum heic ſub parva mole, & faſciculo haud adeo magno collectum & digeſtum in certas Claſſes inveniant, quicquid Selectiorum ex Romana Antiquitate Numiſmatum hinc inde diſperſum & diſſipatum in Magnis & proinde ſumptuoſiſſimis Antiquariorum Voluminibus reperiatur. Iſtud denique ſingulare eſt in hac Sylloge, quod in ea uno oculorum contuitu videre, ſimul & animadvertere liceat, quibus & quam variis modis in averſis Nummorum partibus Antiquitas olim aut Deos ſuos, aut Virtutes, aliasque Res ſub hoc, vel illo ſchemate, vel figura, vel imagine adumbraverit & repræſentaverit. Sic, verbi gratia, harum Tabularum inſpectio oculis noſtris ſimul offert, quomodo, & quam variè aut Fortunam, aut Spem, aut Pacem, aut Libertatem & id genus alia deſignare Veteres ſolerent: quod nuſquam ab aliis ita obſervatum. Nummos autem heic recenſitos omnes antiquos, genuinos & probæ notæ eſſe nemo facile dubitabit, qui præter nonnullos ex archetypis ipſis expreſſos, cæteros omnes ſelectos noverit ex probatiſſimis fide dignorum Antiquariorum operibus, Huberti nempe Goltzii, Fulvii Urſini, Antonii Auguſtini,*

Æneæ

# Præfatio ad Lectorem.

*Æneæ Vici, Onuphrii Panvinii, Sebaſtiani Erizzi, Guilielmi Choulii, Lævini Hulſii, Octavii De Strada, Ioannis Hemelarii, Ioannis Triſtani, & præſertim ex Theſauro Rei Nummariæ Ducis Arſchotani; ita ut heic quaſi Compendium iſtorum omnium, quod ad Antiquitates Romanas attinet, habeas; ac quicquid melioris ſucci & ſanguinis per iſta magnæ utplurimum molis corpora diffuſum, heic ad ejus Medullæ inſtar derivatum & conſtipatum ſit.* Ut nihil dicam de *Nummis, qui ex Baronio, Sambuco, Lipſio, Torrentio, Camdeno, Pignorio, Rycquio, aliiſque hinc inde petiti & ſub ſuis ſignis redacti ſunt. De Præſtantia autem & Utilitate hujus ſtudii nihil in præſenti quoque addam, cum & inſtituti noſtri ratio id non permittat, & argumentum hoc ante paucos annos ab Illuſtri E. Spanhemio in conſummatiſſimis ſuis Diſſertationibus tanta elegantia & reconditæ eruditionis copiâ pertractatum & excuſſum ſit, ut ſi quis inpoſterum hoc tentare vellet, idem foret, ac ſi poſt Homerum Iliada conſcriberet. In quo deſino, Mi Lector, & te valere jubeo.*

# ELENCHVS GENERALIS

## *Eorum, quæ ſingulis* CLASSIBVS *continentur.*


CLASSI I. Imperatorum Rom. Imagines & Series à JVL. CÆSARE uſque ad CONSTANTINVM Magnum. à TAB. I. ad TAB. XV.

CLASSI II. Regionum, Provinciarum, Oppidorum, Fluviorumque Symbola, à TAB. XVI. ad TAB. XXXIV.

CLASSI III. Deorum Dearumque Simulacra, Cognomina, Epitheta, &c. à TAB. XXXV. ad TAB. LII.

CLASSI IV. Virtutum, Sociarumque, quæ & ipſæ pro DIS habitæ, Emblemata, à TAB. LIII. ad TAB. LXXXVII.

CLASSI V. Quæ ad Expeditiones Militares, & Res Bellicas pertinent, à TAB. LXXXVIII. ad TAB. XCVI.

CLASSI VI. Circi, Ludi, & quæ eò pertinent, à TAB. XCVII. ad TAB. CI.

CLASSI VII. Apotheoſes, ſive Conſecrationes Auguſtorum, Auguſtarumque, à TAB. CII. ad TAB. CV.

CLASSI VIII. Ædificia, ut Templa, & alia Loca publica, à TAB. CVI. ad TAB. CIX.

CLASSI IX. Sacerdotia, Signa Pontificalia, Vaſa Sacra, &c. à TAB. CX. ad TAB. CXI.

CLASSI X. Miſcellanea, à TAB. CXII. ad TAB. CXVIII.

# INDEX SPECIALIS

## *Ordinem & Seriem Eorum, quæ in singulis* Classium *Tabulis & Nummis occurrunt, designans.*

Numerus Romanus *Tabulam*, Barbaricus sive Ciphra *Nummos* indicat.

## CLASS. I.


IMperatorum Romanor. &c.
*C. Iulius Cæsar* I. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Octavianus Cæsar Augustus* I. 7, 8, 9, 10. II. 1
M. Antonius Trium-Vir I. 11. II. 3, 4
M. Lepidus Trium-Vir I. 12
*Tiberius* II. 6
*Caius Cæsar Caligula* II. 10
*Claudius* II. 11. 12
*Nero* III. 1, 2, 3
Ahenobarbus III. 4
*S. Galba* III. 5
*Otho* III. 6, 7, 8
*Vitellius* III. 10, 11
*Vespasianus* III. 12
*Titus* IV. 1
*Domitianus* IV. 4
*Nerva* IV. 5
*Traianus* IV. 6
*Hadrianus* IV. 7, 8
*Ælius Verus Cæsar* IV. 9
Caius, Lucius, Cæsares, Aug. F. IV. 10
Titus & Domitianus, Cæsares IV. 11
Philippus Junior, Princeps Juventutis IV. 12
*Antoninus Pius* V. 1
*M. Antoninus Aurelius* V. 2
*L. Verus* V. 3
*Commodus* V. 4
*Pertinax* V. 5
*Didius Iulianus* V. 6
*Pescennius Niger* V. 7
*Severus* V. 8
*Clodius Albinus* V. 9
*Geta* V. 10
*Antoninus Caracalla* V. 11, 12
*Opelius Macrinus* VI. 1
*Antoninus Diadumenianus* VI. 2
*Antoninus Heliogabalus*, sive *Elagabalus* VI. 3


*Ale-*

# INDEX SPECIALIS.


*Alexander Severus* VI. 4
*Maximinus* VI. 5
*Maximus*, sive *Maximinus Iunior.* VI. 6
*Gordianus Senior* VI. 7
*Gordianus Iunior* VI. 8
*Pupienus Maximus* VI. 9
*Cælius Balbinus* VI. 10
*Gordianus Tertius* VI. 11
*Philippus Arabs* VI. 12
*Philippus Iunior* VII. 1, 2
*Traianus Decius* VII. 3
*Herennius Etruscus* VII. 4
*Hostilianus* VII. 5
*Trebonianus Gallus* VII. 6
*Volusianus* VII. 7
*Æmilianus* VIII. 3
*Lic. Valerianus* VIII. 4
*Valerianus Iunior* VIII. 5
*Gallienus* VIII. 6
*Saloninus* VIII. 7
*Herodianus* IX. 1
Vabalathus IX. 4
*Macrianus Iunior* IX. 8
*Quietus* IX. 9
*Marius* IX. 10
*Trebellianus* X. 4
*Postumus* X. 5
*Postumus Iunior* X. 6
*Aureolus* X. 7
*Victorinus* X. 9
*Victorinus Iunior* X. 10
*Regilianus* X. 12
*Tetricus Senior* XI. 1
*Tetricus Iunior* XI. 2
*Victoria* XI. 3
*Claudius* II. XI. 6
*Quintillus* XI. 7
*Aurelianus* XI. 8
*Tacitus* XI. 10
*Florianus* XI. 11
*Probus* XI. 12
*Carus* XII. 4
*Carinus* XII. 5
*Numerianus* XII. 6
*Diocletianus* XII. 7
Carausius XII. 11
Alectus XII. 12
*Maximianus Herculius* XIII. 2, 3
*Constantius Chlorus* XIII. 4
*Galerius Maximianus* XIII. 5
*Maxentius* XIII. 6
*Gal. Val. Maximinus* XIII. 8
*Val. Severus* XIII. 9
*Licinius Senior* XIII. 10
*Licinius Iunior* XIII. 11
*Martinianus* XIV. 1
*Romulus* XIV. 2
*Constantinus Magnus* XIV. 3, 5
*Constantius* XIV. 4
*Iulianus Apostata* XIV. 6
*Eugenius* XIV. 7

# CLASS. II.

REgionum, Provinciarum, &c. *Orbis Terrarum* XV. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8
*Asia, Europa, Africa* XV. 10
*Asia* XV. 11. XVI. 4.
*Iudæa* XVI. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 XVII. 1, 2, 3
*Arabia* XVII. 7, 8, 9, 10, 11. XVIII. 4
*Armenia* XVIII. 8, 12. XIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. XX. 6, 7
*Parthia* XIX. 11, 12. XX. 1, 2, 3, 4, 5, 9, 10, 11. XXI. 3
*Cappadocia* XXI. 6
*Bithynia* XXI. 7
*Phrygia* XXI. 12
*Macedonia* XXII. 1
*Constantinopolis* XXII. 2, 3, 4, 5, 6
*Achaia* XXII. 7
*Illyricum* XXII. 8
*Dardania* XXII. 10
*Pannonia* XXII. 11, 12. XXIII. 1
*Dacia* XXIII. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10
*Sarmatia* XXIII. 11, 12. XXIV. 1, 2
*Danubius* XXIV. 3, 4
*Germania* XXIV. 5, 9, 10, 11, 12. XXV. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 12.
*Rhenus* XXIV. 6, 7
*Alemannia* XXV. 10
*Francia* XXV. 11
*Augusta Vindelicorum* XXVI. 1
*Dorestatus* XXVI. 4
*Gallia* XXVI. 5, 6
*Nemausus, Nemausensis Colonia* XXVI. 10
*Lugdunum* XXVI. 11
*Britannia* XXVI. 12. XXVII. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8
*Sicilia* XXVII. 9, 10, 11, 12. XXVIII. 1, 3, 4
*Italia* XXVIII. 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12
*Roma* XXIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XXX. 1, 2
*Tiberis* XXX. 3, 4, 5
*Hispania* XXX. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XXXI. 1, 2
*Bilbilis* XXXI. 3
*Osca* XXXI. 4
*Valentia* XXXI. 5
*Ilerda* XXXI. 7
*Toletum* XXXI. 8
*Emerita* XXXI. 9
*Fretum Gaditanum* XXXI. 10
*Africa* XXXI. 11, 12. XXXII. 1, 2, 3, 4, 5, 6. XXXIII. 5
*Carthago* XXXII. 7, 8, 9, 10, 11
*Mauretania* XXXIII. 1, 2, 3, 4
*Ægyptus* XXXIII. 10, 11, 12. XXXIV. 1
*Alexandria* XXXIV 3, 4, 5, 6, 7, 8
*Nilus* XXXIV. 9

CLAS-

# CLASS. III.

DEorum Dearumque.
*Iupiter* XXXV. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XXXVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6. LI. 9. 10. LII. 4.
*Neptunus* XXXVI. 8, 9, 10, 11, 12 XXXVII. 1, 2.
*Apollo* XXXVII. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XXXVIII. 1, 2, 3
*Elagabalus* XXXVIII. 4, 5, 6
*Sol* XXXVIII. 7, 8, 9, 11, 12 XXXIX. 1, 2
*Mars* XXXIX. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XL. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8, 9
*Ianus* XL. 11, 12. XLI. 1, 2
*Terminus* XLI. 4, 5
*Bonus Eventus* XLI. 6, 7, 8
*Penates Dii* XLI. 9, 10, 11. XLII. 2
*Dioscuri, Castor & Pollux* XLI. 12. XLII. 1
*Dii Custodes* XLII. 3
*Dii Genitales* XLII. 4
*Genius* XLII. 5, 6, 7, 8
*Serapis* XLII. 9, 10, 11. XLIII. 1, 2. XLVII. 7
*Fortuna Primigenia* XLII. 12
*Anubis* XLIII. 3
*Apis* XLIII. 4,
*Mercurius* XLIII. 6, 7, 8
*Vulcanus* XLIII. 9, 10
*Liber Pater*, sive *Bacchus* XLIV. 2
*Hercules* XLIV. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12
*Cybele, Mater Deûm* XLV. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7
*Tellus* XLV. 8, 9
*Vesta* XLV. 11, 12. XLVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12
*Isis* XLVII. 1, 2, 3, 5, 6, 7
*Moneta* XLVII. 8
*Iuno* XLVII. 9, 10, 11. XLVIII. 1, 3, 5. LI. 9, 10. LII. 4
*Feronia* XLVIII. 4
*Venus* XLVIII. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XLIX. 1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12
*Luna* L. 1
*Diana* L. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12
*Ceres* LI. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7
*Segetia* LI. 8
*Minerva* LI. 9, 10, 11, 12. LII. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Roma Dea* LII. 7, 8, 9, 11

# CLASS. IV.

VIrtutum Sociarumque &c.
*Fortuna* LIII. 1, 2, 3, 4, 5, 8, 9, 10, 11, 12. LIV. 1, 3
*Sors* LIV. 2
*Spes* LIV. 4, 6, 7, 8, 10, 11, 12
*Iuventas* LV. 1, 2, 3
*Hilaritas* LV. 4, 5, 6, 8
*Lætitia* LV. 9, 10, 11, 12. LVI. 1, 2
*Felicitas* LVI. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LVII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 12. LVIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9,
*Securitas* LIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LX. 1, 2
*Tranquillitas* LX. 3, 4, 5
*Providentia* LX. 9, 10, 11, 12. LXI. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 LXII. 1, 2, 3, 5
*Prudentia* LXII. 4
*Iustitia* LXII. 6, 7
*Æquitas* LXII. 9, 10, 11, 12
*Moderatio* LXIII. 1
*Clementia* LXIII. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10, 11
*Constantia* LXIII. 12. LXIV. 1, 2
*Honos* LXIV. 3, 4, 5, 6, 7, 8
*Virtus* LXIV. 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXV. 1, 2, 3, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 LXVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9
*Æternitas* LXVII. 3. *Vide* quoque CIV. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 nec non CV. per tot. item CVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Gloria* LXVII. 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12
*Victoria* LXVIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12 LXXI. 1, 2, 3, 4, 5
*Nobilitas* LXXI. 6, 7
*Pax* LXXI. 8, 9, 10, 11, 12. LXXII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXXIII. 1, 2, 3, 4
*Abundantia* LXXII. 5, 6, 7
*Ubertas* LXXIII. 8, 9
*Liberalitas* LXXIII. 11, 12. LXXIV. 1, 2, 7, 8
*Munificentia* LXXIV. 3, 4
*Annona* LXXIV. 11, 12. LXXV. 1, 2, 3, 4
*Indulgentia* LXXV. 8, 9
*Religio* LXXV. 10, 11
*Pietas* LXXV. 12. LXXVI. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11. LXXVII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXXVIII. 1, 2, 3, 4, 5.
*Salus* LXXVIII. 6, 7, 8, 9, 10. LXXIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12. LXXX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11. LXXXI. 1, 2, 3.
*Valetudo* LXXX. 12.
*Concordia* LXXXI. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10. 11, 12. LXXXII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXXXIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. LXXXIV. 1, 2.
*Fecunditas* LXXXIV. 5, 6, 7, 8, 9,
*Pudicitia* LXXXIV. 10, 11, 12. LXXXV. 1, 2, 3

*Fides* LXXXV. 6, 7, 8, 9, 10, 12. LXXXVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Libertas* LXXXVI. 8, 9, 10, 11, 12 LXXXVII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10

# CLASS. V.

RErum Militarium.
*Profectio Aug.* LXXXVIII. 1, 2, 3
*Expeditio Aug.* LXXXVIII. 4
*Trajectus Aug.* LXXXVIII. 9, 10, 11
*Adlocutio Aug.* LXXXIX. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8
*Adventus Aug.* XC. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XCI. 2, 3
*Triumphus Imp.* XCI. 7, 8, 9, 10, 11, 12. XCII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10
*Signa Militaria* XCIII. 1, 2, 3, 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. XCIV. 1, 2, 3, 4, 6, 7
*Vota Suscepta, Soluta* XCIV. 12 XCV. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Trophæum* XCV. 7, 8, 9, 10, 11
*Columna Rostrata* XCV. 12
*Arcus Triumphalis* XCVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6
*Sella Curulis* XCVI. 7, 9, 10, 11, 12

# CLASS. VI.

CIrcorum, Ludorum, &c.
*Circus* XCVII 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8. XCVIII 7
*Thensa* XCVII. 10, 11, 12. XCVIII. 1, 2
*Carpentum* XCVIII. 4, 5, 6
*Cerealia* XCVIII. 10
*Floralia* XCVIII. 12
*Certamen Quinquennale* XCIX. 1
*Decursio* XCIX. 2, 3
*Ludi Sæculares* XCIX. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. C. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 10, 11, 12. CI. 1, 2, 3, 11
*Venatio* CI. 4, 5, 6, 12
*Naumachia* CI. 7, 8
*Amphitheatrum* CI. 10
*Macellum Neronis* CII. 1
*Adoptio Traiani & Hadriani* CII. 2 3

# CLASS. VII.

APotheoseôn, *sive* Consecrationum.
*Consecratio* CII. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. CIII. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. CIV. 1, 2, 3
*Æternitas* CIV. 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. CV. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. CVI. 1, 2, 3, 4, 5, 6

# CLASS. VIII.

TEmplorum, Ædificiorum publicorum. &c.
*Templum* CVI. 10, 11, 12. CVII. 1, 2, 3, 4, 5
*Sacrarium, aut Lararium* CVII. 6
*Columna Traiani* CVII. 7, 8
*Columna Antonini Pii.* CVII. 9.
*Templum Iani* CVII. 11, 12
*Forum Traiani* CVIII. 1, 2
*Basilica Ulpia* CVIII. 3
*Basilica Æmilia* CVIII. 4
*Rostra P. R.* CVIII. 5. 6
*Pons Ælius* CVII. 7
*Aqua Traiana* CVIII. 8
*Aqua Marcia* CVIII. 9
*Viæ munitæ* CVIII. 10, 11, 12. CIX. 1
*Via Trajana* CIX. 2
*Portus Ostiensis* CIX. 3, 4
*Pons Anconitanus* CIX. 5
*Alexandri Severi Opus Magnificum* CIX. 7

# CLASS. IX.

SAcerdotiorum, Signorum Pontificalium &c.
*Flamen Martialis* CXI. 1
*Sacerdotii Symbola* CX. 2, 3
*Tripus* CX. 4, 5, 6
*Sacerdotalia instrumenta* CX. 7, 8, 9, 10, 11, 12
*Sacrificia* CXI. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9
*Ancilia* CXI. 10, 11

# CLASS. X.

MIscellaneorum,
*Comitia R.* CXII. 1
*Puteal* CXII, 2
*Vehiculatio Italiæ remissa* CXII. 3
*Roma* CXII. 5
*Romulus* CXII. 6
*T. Tatius Sabinus* CXII. 7
*Numa Pompilius* CXII. 8
*Ancus Marcius* CXII. 9
*L. Iunius Brutus* CXII. 10
*C. Serv. Ahala* CXII. 11
*L. Corn. Sulla* CII. 12
*Cn. Pompeius Magnus* CXIII. 1
*Triumvir* A. A. A. CXIII. 2
*Curator Denariorum flandorum* CXIII. 3
*As* CIIIX. 4, 5, 6
*Modulus Nummor.* CXIII. 9, 10
*Templum Vestæ* CXIII. 11
*Dioscuri* CXIII. 12
*Nummus Gothicus* CXIV. 11, 12
*Nummus Heraclii Imp.* CXV
*Congius Romanus* CXV .
*Sistrum* CXVII.
*Nili figura Symbolica* CXVIII.

FINIS.

# THESAVRVS
## SELECTORVM
# NVMISMATVM
## ANTIQVORVM,

Cum Commentariis

JAC. OISELI, JC.

*Tab.* I.

CAESAR IM
1

CAESAR
DICT. PATRIAE
2

CAESAR AVGVR PONT MAX
3

4


IMP
5


CAESAR
6

AVGVSTVS DIVI. F.
7

CAESAR DIVI.F.
8

CAESAR AVGVSTVS
9

C CAESAR III VIR R P C
10

M ANTONIVS IMP AVGVR III VIR R P C
11

MILITIBVS III VIR R P C
12



# CLASSIS I.

## *Imperatorum Rom. Imagines & Seriem à* I. CAESARE usque ad CONSTANTINVM *Magnum exhibens.*

## TABVLA I.

### C. IVLIVS CAESAR.

AD Numismata hæc Selecta Commentaturo in Ordine Impp. Rom. Tab. I. primo loco occurrit Nummus *I. Cæsaris*, cum Inscriptione:

CAESAR. IMP*erator*, P*ontifex* M*aximus*. Cerniturque in I.
eo Caput *I. Cæsaris* laurea redimitum cum Luna falcata post cervicem. Suetonius eum fuisse scribit *excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paullò pleniore, nigris vegetisque oculis.* In omnibus tamen Nummis imago ejus exhibetur filo oris paullò tenuiore & oblongo collo, adeoque macilenta potius, quam succulenta. Addit porro Suetonius, I. Cæsarem ex omnibus decretis sibi à Senatu populoque honoribus, non aliud aut recepisse aut usurpasse libentius, quam jus laureæ perpetuo gestandæ, ad calvitiem nimirum tanto melius obtegendam, quæ tamen aliquomodo heic apparet, uti & capillus deficiens à vertice revocatus. Inter alia vero, quæ S. P. Q. R. illi decrevit, hoc maximi momenti fuit, quod Imaginem ejus ἐς τὰ νομίσματα ἐναχάραξαν, *in numismata sculpserunt*, notante Dione lib. XLIV. quod nemini Romanorum anteà contigit. Cæterum observandum heic, Titulum *Imperatorium* Cæsari cognomenti vice apponi. Quamvis enim ei, & filiis

ejus ac nepotibus novo more conceſſum à Senatu, ut *Imperatoris* Nomen, Prænominis inſtar, ad Dignitatem illam innuendam, qua ſupremum Belli & Pacis arbitrium in ſe collatum, uſurpare poſſet, tamen Prænomen iſtud à Cæſare in Nummis nunquam receptum, uti obſervatum Viro reconditæ omnino eruditionis, & harum præſertim Antiquitatum cognitione Illuſtri, Ez. Spanhemio, in exquiſitiſſimis Diſſertationibus, quas de Præſtantia & Uſu Numiſmatum Antiquorum haud ita pridem pro ſecunda vice vulgavit. Sed Cæſar in Nummis *Imperatoris* titulo cognomenti tantum vice utitur; quemadmodum ab aliis quoque uſurpari ſolet, ad deſignandam rem eorum auſpiciis bello præclare geſtam, & proinde ob felices ejuſmodi ſucceſſus ſæpius in iiſdem Nummis repetitum. Sic in Nummo I. Cæſaris apud Occonem: CAESAR. IMP. IIII. ad ſignificandum eum quarta vice Imperatorem ſalutatum. Vid. Spanhemii Diſſert. VIII.

II. CAESAR. DICT*ator* PERPETVO. Rurſum Caput *Iulii* laureatum & velatum. *Velo* autem tectus cernitur propter Pontificatum Maximum, quam Dignitatem Cæſar competitoribus clariſſimis, & potentiſſimis Viris, eumque & ætate & dignitate antecedentibus, profuſiſſima largitione homo juvenis conſecutus eſt, teſte Suetonio. Vid. & Dio lib. XXXVII.

III. CAESAR. AVGVR. PONT*ifex* MAX*imus*. I. *Cæſaris* imago laureata, cum baccis lauri circa frontem. poſt cervicem videre eſt Apicem, Pontificatus Inſigne. *Auguris* Dignitas heic Cæſari quoque expreſſo nomine adſcribitur, unde ſatis hujus Sacerdotii Dignitas conſtare poteſt. Sic quoque appellatione *Pontificis Maximi* ſupremam Sacrorum & Religionis curam in ſe tranſtulit Cæſar, & ad ejus exemplum cæteri Imperatores; ita ut uſus hujus appellationis ad Gratianum uſque Imperatorem tranſierit, uti obſervatum C. Baronio in Annal. Eccleſiaſt.

Num.

Num. I. *Cæsaris*, in quo simpliciter figura *Elephanti* cum proboscide sursum levata expressa, adjunctis quibusdam literis, ut videtur, Punicis. Sic in alio IV.

Num. *Ejusdem*, similiter *Elephas* cum promuscide versus pectus incurvatâ scalptus, cum Inscr. IMP *erator*. Sunt, qui in hujusmodi Nummis per Elephantum ipsum *Cæsaris* nomen designari velint, quia Servius in primum Æneidos, I. Cæsarem ideo dictum scribit, *quod avus ejus in Africa manu propria occidit elephantum, qui* Cæsar *dicitur Pœnorum lingua.* Sed Servium falli notat Vir summus S. Bochartus Geograph. Sacr. Lib. II. c. X. Neque enim ab avo I. Cæsaris nomen incepit, cum à Doctis observatum, jam ante Samniticum bellum floruisse Claudium Cæsarem : quo ævo inter Romanos & Pœnos nullum interceſſit commercium. Itaque *Cæsar* Latinum nomen est, à quo etiam vox Romana *Cæsaries* deducta. Denique *Cæsar* pro elephanto Punicum verbum non esse, sed ex Maurorum lingua, diserte traditum à Spartiano in Ælio Vero : Servio tamen adsentiri Constantin. Manasses hisce verbis : Καίσαρες γὰρ ἐλέφαντες τοῖς Φοίνιξι καλοῦνται, observat ibidem Bochartus. V.

CAESAR. *Elephas* Draconem, sive anguem sub pedibus calcans. Bene, meo judicio, Alb. Rubenius, in commentariis ad Numismata Ducis Areschotani, à C. Gevartio sine nomine Auctoris publicatis, qui in Cæsaris Nummis Elephantum & Draconem expressum vult, ob Victoriam Africanam de Rege Iuba, eò, quod Serpentum & Elephantorum magna in Africa copia. Unde Manilius Astron. lib IV. VI.

*Horrendos angues habitataque membra venenis,*
*Et vastos elephantos habet.*

## AVGVSTVS.

AVGVSTVS. DIVI. *Filius.* Caput *Augusti* laureatum, VII.

facie egregia & masçula. DIVI Filius, hoc est *Divi Iulii* filius, à quo nimirum adoptatus, & in testamento hæres scriptus.

VIII. CAESAR. DIVI. F*ilius*. Est Nummus *Augusti*, qui I. Cæsaris avunculi cum hæreditatem cerneret, nomen quoque adsumsit. Quemadmodum hæc *Cæsaris* nomenclatio à sequentibus etiam Imperatoribus, non tantum ab iis, qui ex Cæsarum domo, atque ad generis quasi successionem denotandam, sed præsertim ad declarandam Dignitatis istius prærogativam, ac primi fastigii appellationem, servata est. Repræsentat Nummus figuram *Apollinis* sedentis in monte, cum Lyra in manibus, & Inscript. ab una parte CAESAR, ab altera verò DIVI F. ita ut dubium sit, utrum Augustus se Divi Iulii filium, an vero Apollinis dicat. Nam & pro Apollinis filio habitum, & ipsum sic credi voluisse notat Suetonius in ejus Vita.

IX. CAESAR. AVGVSTVS. Caput *Augusti* absque laurea; unde capillus, quem leviter inflexum & subflavum habuisse scribit Suetonius, magis conspicuus. Augustum Nummi repræsentant plane uti à Suetonio describitur, qui dicit, eum fuisse *forma eximia, & per omnes ætatis gradus venustissima*, quanquam omnis lenocinii negligentem; oculis claris & nitidis, superciliis conjunctis, naso & à summo eminentiore, & ab imo deductiore, &c.

X. C. CAESAR. IIIVIR. R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Caput *Cæsaris Augusti* juvenis exhibet, postquam cum M. Antonio & M. Lepido Triumviratum Reip. constituendæ iniisset, quem per decem annos administravit. ac in quo restitit quidem aliquamdiu collegis, ne qua fieret proscriptio, sed incœptam utroque acerbius exercuit, ut testatur Suetonius.

XI. M. ANTONIVS. IMP*erator*, AVGVR. IIIVIR. R*ei* P*ublicæ* C*onstituendæ*. Imago *M. Antonii Triumviri* vultum aliquo-

Tab. II.

1
ANTONINVS AVGVSTVS


2

3
ANT AVG
III VIR R P C

4
ANTONIVS AVGVS
III VIR R P C

5
ANTONINVS ET VERVS AVG RESTIT
LEG VI

6
DIVI AVGF AVGVSTVS
TI CAESAR

7
MAXIM PONTIF


8


9

10
CAESAR AVG GERMANICVS PONT TRIBPOT

11
TI CLAVD CAESAR AVG PM TRP IMP P P

12
TI CLAVDIVS CAESAR PM TRP IMP P P

quomodo trucem prodit, oculis cavis, naſo aquilino, ac rugis plenum. Ei Galliæ ceſſere in Triumviratu, in quo L. Antonium patruum proſcripſit.

M. LEPIDVS. IIIVIR. *Rei Publicæ Conſtituendæ.* Caput *Lepidi Triumviri* imberbe & nudum exhibet. Huic in Triumviratu ceſſit Iberia & Libya ſive Africa; primus proſcripſit Paulum Lepidum fratrem. XII.

# TABVLA II.

ΣEBAΣTOΣ. *Auguſti* Caput laureatum, cum Græca Inſcriptione Σεβαστὸς, quomodo Græci Auguſti Nomen, ut maxime venerandum & ſanctum exprimere ſolent. Dio Caſſius lib. LIII. ubi poſtquam dixerat, quare Auguſti nomen ſuſcepiſſet, addit: ὡς πλεῖόν τι ἢ κατ' ἀνθρώπους ὤν. πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα Αὐγουστὰ προσαγορεύεται. ἐξ ὅπερ καὶ Σεβαστὸν αὐτὸν ἑλληνίζοντες προσεῖπον διαπέρ τινα σεπτόν. *Tanquam aliquid eſſet ſupra hominum conditionem: nam quæ in honore atque cultu ſunt, ea Auguſta vocantur, unde qui græciſſabant* Σεβαστὸν *vocabant, quaſi Sanctum.* I.

II. *.

ANT*onius*, AVG*ur*, IIIVIR. R.P.C. Sic enim Literæ AVG. quibus alioquin *Auguſti* cognomen deſignari ſolet, in Nummis *M. Antonii Triumviri* legendæ. Conſentiunt quippe Auctores Octavium demum poſt mortem M. Antonii, Auguſtum appellatum. *Triremem* Numiſma repræſentat, quæ & in multis aliis Nummis M. Antonii exſtat; haud dubie ad copias navales deſignandas. III.

ANTONIVS. AVGVR. IIIVIR. R.P.C. Alius *M. Anto-* IV.

*Antonii* Nummus cum Triremi, ubi AVGVR plene ſcribitur. Eſt Nummus à *M. Aurelio Antonino & Vero Augg.* reſtitutus, uti Inſcriptio ſequens averſæ partis docet.

V. ANTONINVS. ET. VERVS. AVG*uſti* RESTi*tuerunt*; ſcilicet hunc Nummum M. *Antonii*, uti hoc à multis aliis Imperatoribus factum, qui Numiſmata Anteceſſorum reſtituerunt. Aquilam & Signa exhibet LE G*ionis* VI. uti habet Inſcriptio. Hinc Fulv. Vrſinus putavit hanc Legionem ab *Antonino* & *Vero* reſtitutam. Verum longe veriſimilius eſt cum Cl. Rubenio, Titulum in Margine non ad Legionem, ſed ad Nummum eſſe referendum.

## TIBERIVS.

VI. TI*berius*, CAESAR. DIVI. AVG*uſti Filius*, AVGVSTVS. Caput *Tiberii* laureatum. Suetonius in ejus Vita ſcribit, eum *turbatiore cœlo nunquam non coronam lauream geſtaſſe, quod fulmine afflari negetur id genus frondis.* DIVI AVG*uſti Filius* dicitur, quia ab Auguſto adoptatus, & Nummus cuſus poſt Auguſti Apotheoſin. Præterea AVGVSTVS heic tanquam Cognomen Tiberio quoque adſcriptum videmus: quod ipſi hæreditarium fuit; à Cæſaribus vero cæteris poſtea promiſcuè quoque receptum, ut ſumme venerandum, & quaſi proprium ſummi faſtigii. In Tiberio vero hoc AVGVSTI Cognomen ideo magis notandum, quod Suetonius referat, Eum AVGVSTI Nomen licet hæreditarium, nullis niſi ad Reges, aut Dynaſtas, Epiſtolis addidiſſe. Qui & præterea notat, Tiberium fuiſſe facie honeſta, in qua tamen crebri & ſubtiles tumores, cum oculis prægrandibus; inceſſiſſe porrò cervice rigida & obſtipa, &c.

VII. PONTIF*ex* MAXIM*us*. Averſa pars Nummi Tiberii, in qua figura ſedens, dextra haſtam puram, ſiniſtra vero lauri ramum tenens. Putatur eſſe Livia Tiberii mater, Deæ habitu, cui defunctæ

defunctæ honorem defert, quia ejus arte Imperium nactus. PONTIFICIS MAXIMI Titulus valde familiaris Tiberio in Nummis, quamvis alioquin circa Deos & Religiones negligentior fuerit; ut Suetonius de eo loquitur.

VIII. IX. *. *.

## C. CAESAR CALIGVLA.

*Caius*, CAESAR. AVG*ustus*, GERMANICVS. PON- X.
*tifex Maximus*, TR*ibunitia* POT*estate*. Nudum Caput *Caii Cæsaris Caligulæ* Imperatoris repræsentat Nummus; quamvis *Caligulæ* cognomen nusquam in Nummis occurrat. Nam ita nominari Caius probro ducebat. Vide Senecam De Constant. Sapient. cap. XVIII. Cæterum inter alios Titulos etiam cognomen GERMANICI Caio heic adscriptum videmus, quasi Germanos deviciſſet; contra quos quidem expeditionem, sed ridiculam, Caium suscepisse testis Suetonius in ejus Vitâ. Nam debellatarum gentium cognomina, quemadmodum olim in libera Republica factum, in *Africani*, *Macedonici*, *Numidici*, *Cretici*, & id genus aliis cognominibus, à devictis nationibus adsumptis, aut datis, ita etiam Augustorum Ambitio reliquis fastigii sui titulis adscribere ardebat. Hinc enim cognomina ista in Nummis Augustorum, GERMANICI, BRITANNICI, SARMATICI, PARTHICI, &c. occurrunt; quemadmodum in sequentibus observare licet. Præterea TRIBVNITIAE POTESTATIS Titulus Caio tribuitur. Quæ Tribunitia Potestas omnia alia Imperia præeminebat, uti constat ex Tacito Ann. III. cap. LVI. ubi cum meminisset adsumptæ hujus Tribunitiæ Potestatis ab Augusto, subjicit: *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris Nomen adsumeret, & tamen appellatione aliqua cætera imperia præemineret.* Ex quibus Taciti verbis optime observat Vir Summus E. Spanhemius, in nunquam satis laudatis Dissertationibus De Usu & Præstantia Numismatum Antiquorum,

non confundendam, uti factum ab eruditis quibusdam Viris, *Tribunitiæ Potestatis* & *Tribunorum Plebis* prærogativam; cum prior omnia alia Imperia præemineret; postremi vero, utut Sacrosancti, infra Consulum tamen fastigium censerentur. Vid. Dissert. VI. & VIII. Caium porro Caligulam Suetonius notat fuisse *statura eminenti*, *pallido colore*, *corpore enormi*, *gracilitate maxima cervicis & crurum*, *oculis & temporibus concavis*, *fronte lata & torva*, *capillo raro*, *ac circa cervicem nullo*, &c. Adde Senecam De Constant. Sapient. d. cap. XVIII. à qua descriptione Nummi non multum discrepant.

## CLAVDIVS.

XI. TI*berius*, CLAVD*ius*, CAESAR. AVG*ustus*, P*ontifex* M*aximus*, TR*ibunitia* P*otestate*, IMP*erator*, P*ater* P*atriæ*. Caput *Claudii* laureatum cum multis titulis adscriptis repræsentat. Præter alios etiam *Patris Patriæ* heic occurrit, qui in aliis Cæsarum Nummis frequens alioquin est; quamvis in hac Collectione inter præcedentes necdum obviam factus. Hanc *Patris Patriæ* appellationem Ciceroni primum tributam, & deinde ad Cæsares translatam observat Appianus Bell. Civil. lib. II. qui & addit, eam serius reliquis appellationibus concedi solitam, & non nisi post prævia magnarum rerum monumenta. In Iul. Cæsaris, à quo ad successores transiit, Nummis ipso adhuc vivente cusis, occurrit Inscriptio CAESAR PARENS PATRIAE. apud A. Occonem; in quibusdam etiam Augusti apud eundem PATER PATRIAE invenitur. Tiberii vero Nummi, quotquot hactenus reperti, carent hoc titulo; unde & confirmant, quod Dio & Suetonius de Tiberio scribunt, eum *Patris Patriæ* appellationem obstinatissime recusasse.

XII. TI. CLAVDIVS. CAESAR. P. M. TR. P. IMP. P. P. Caput nudum *Claudii*, sed, ut apparet, magis senile, quam

*Tab. III.*

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

quam in præcedente Nummo, cum eadem quoque Inſcriptione, præterquam quod *Auguſti* nomen non adjectum. Uterque Claudium repræſentat mento acuto & aliquomodo prominulo. Suetonius teſtatur eum fuiſſe *prolixo nec exili corpore, & ſpecie canitieque pulchra, opimis cervicibus.* Quamvis addat remiſſe vel ſerio agentem multa dehoneſtaſſe : *Riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu humentibus naribus. præterea linguæ titubantia, caputque cum ſemper, tum in quantulocunque actu vel maxime tremulum.* Quibus poſtremis ſuccinit Juvenalis Sat. VI. ubi de Agrippina :

*Illa ſenis tremulumque caput deſcendere juſſit*
*In cœlum, & longam manantia labra ſalivam.*

Cujus ſalivæ promanantis circa oris extrema non obſcura veſtigia quoque in Nummis Claudii apparent.

# TABVLA III.

## NERO.

I. NERO. CLAVD*ius*, CAESAR. AVG*uſtus*, GER*manicus*, P*ontifex* M*aximus*, TR*ibunitia* P*oteſtate*, IMP*erator*, P*ater* P*atriæ*. Caput *Neronis* laureatum, vultu ſatis pleno, naſo recto, oculis cavis, mento rotundo, collo obeſo ac crine denſo circa cervicem. Suetonius Neronem ſcribit fuiſſe *ſtatura pæne juſta; corpore maculoſo & fædo, ſubflavo capillo : vultu pulchro magis quam venuſto, oculis cæſiis, cervice obeſa &c.* Inter Neronis cognomenta etiam heic legimus PATRIS PATRIAE appellationem. Quod notandum; quia Suetonius dicit, à Nerone hunc Titulum ſub initium Principatus recuſatum. Ex hujuſmodi autem Nummis, qui primis Imperii annis percuſſi, conſtat iſtud non diu à Nerone obſervatum, ſed & hunc cum reliquis, qui in Nummis occurrunt, admiſſum.

II. NERO. CAESAR. Caput *Neronis* itidem laurea corona redimitum, sed circa malas lanugine satis densa conspicuum. Capilli heic, uti & in præcedenti Nummo, annulati & in ordinem per gradus dispositi apparent. Quod & Suetonius de Nerone testatur, ubi ait eum fuisse *circa cultum adeo pudendum, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem sumpserit.*

III. NERO. CAESAR. AVGVSTVS. In hoc sane Nummo *Nero* adeo plena & obesa facie cernitur, ut cervix etiam in varias plicas contorta appareat; guttur denique adeo tumidum, mentum tantum non plane absorbeat.

IV. AHENOBARB*us.* Caput *Cnei Domitii Ahenobarbi*, Neronis Cæsaris proavi cum barba circa malas; quæ ei haud dubie rutila, unde & cognomen *Ænobarbi*, ortum à L. Domitio, cui primum rutilus ærique assimilis capillus, & à quo insigne istud ad posteros transmissum; ita ut magna pars rutila barba fuerint, teste Suetonio in Nerone. Hunc Cn. Domitium, cujus faciem Nummus repræsentat, idem Suetonius scribit, omnibus gentis suæ fuisse præferendum. Damnatus quidem inter conscios Cæsarianæ necis, quamvis insons, Lege Pedia; sed solus omnium ex iis, qui pari lege damnati erant, restitutus in patriam, amplissimos honores percucurrit.

## S. GALBA.

V. IMP*erator*, SER*vius*, GALBA. CAESAR. AVG*ustus.* Caput senile *Galbæ* laureatum, calvitie & adunco naso notabile. Suetonius de eo: *Statura fuit justa, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distorsissimis, ut neque calceum perpeti, neque libellos evolvere, aut tenere omnino valeret.* Nota autem *Imperatorium* Titulum, à Galba heic ut Prænomen usur-

usurpari, quod I. Cæsari primum novo more à Senatu concessum; à quo tamen Prænomen istud nusquam in Nummis receptum, uti jam supra ad Tab. I. ex Illustri E. Spanhemio notatum. In Augusti Nummis *Imperatoris* Titulus, ut Prænomen frequens legitur. in Tiberii vero, Caii & Claudii Nummis rarius occurrit. Testatur quoque de Tiberio & Claudio Tranquillus, eos à Prænomine *Imperatoris* abstinuisse. In sequentium autem Augustorum Nummis Prænomen *Imperatoris* passim quoque videre est.

## OTHO.

IMP*erator*, OTHO. CAESAR. AVG*ustus*, TRI*bunitia Potestate.* Caput nudum *Othonis*, cum capillamento undulato, sive per gradus in ordinem dispositio, quod adscititium fuisse Suetonius notat, ubi eum ut molliculum, & elegantiæ nimiæ studiosum describit: *Munditiarum pæne muliebrium*, inquit, *vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo, ut nemo dignosceret. Quin faciem quotidie rasitare ac pane madido linere consuetum : idque instituisse à prima lanugine, ne barbatus unquam esset.* Noti etiam versus Scoptici Juvenalis è Satyra II. quibus in Othonem invehitur. VI.

Marcus, OTHO. IMPERATOR. CAESAR. AVGUSTus. *Marci* prænomen heic habet *Otho*, ab avo *Marco Salvio Othone*, Triumviro monetali; sed quia hic Nummus, qui tamen in Thesauro Ducis Areschotani reperitur, Othonis caput laureatum exhibet, dubitatum à nonnullis, an genuinus & legitimus sit. Veri enim Othones, de quibus nullum est dubium, non cum laurea caput ejus, sed cum galericulo repræsentant. Hoc quippe argumento inter alia rejicit Th. Chifletius Dissert. De Othonibus Æreis, Nummum æreum, qui Othonis caput laureatum præfert. Verum Nummum, cujus antica pars heic exhibetur, antiquum & genuinum VII.

Othonis esse nullus ambigo; & quia Othonem laureatum habet, eo inter rariores reputandus.

VIII. IMP*erator* OTHO. CAESAR. AVGVST*us*, TR*ibunitia* Pote*state*. Heic denuò caput nudum *Othonis* cum galericulo cernitur. Estque hic Nummus ab Imperatore Tito restitutus, uti manifestum ex aversa ejus parte, cujus Inscriptio:

IX. IMP*erator* TITVS. AVG*ustus*, RESTIT*uit*. Cernitur heic Imago *Constantiæ*, stans erecta, cum galea in capite, siniſtra *Sceptrum* tenens, & indicem dextræ manus elevatæ faciem versus tendens. Quare autem Constantiæ symbolum Titus in Othonis Nummo adhibuit, quidam ad ejus referunt mortem, quam forti animo, secundum temporum istorum sententiam, exsequutus est. Unde Suetonius, ubi de ejus morte; *Tanto Othonis animo*, inquit, *nequaquam corpus aut habitus competiit.* Et paullo post: *Per quæ factum putem, ut mors ejus minime congruens vitæ, majori miraculo fuerit.* Hinc & Martialis Othonem cum M. Catone comparat:

*Sit Cato, dum vivit, sane vel Cæsare major,*
*Dum moritur, numquid major Othone fuit?*

## VITELLIVS.

X. *Aulus* VITELLIVS. GERM*anicus*, IMP*erator*, AVG*ustus*, TR*ibunitia* Pote*state*. Caput *Vitellii* laureatum, quem Suetonius describit fuisse *enormi proceritate, facie rubida plerumque ex vinolentia, ventre obeso, altero femore debili.* Cæterum hic Nummus inter rariores ex Vitellianis habendus; ut qui inter alia etiam AVGVSTI Cognomen præferat; quod serius à Vitellio adsumptum notat Suetonius: *Cognomen* GERMANICI *delatum ab universis cupide recepit*; AVGVSTI *distulit*; CAESARIS *in perpetuum recusavit.* Idem de Vitellio C. Tacitus Histor. lib. II. *Præmisit in Vrbem edictum, quo vocabulum* AVGVSTI *differret*, CAE-

CAESARIS *non reciperet, cum de potestate nihil detraheret.* Et CÆSARIS nomen in Vitellii Nummis nusquam occurrit, AVGVSTI verò rarius. Quanquam & Vitellium tandem CÆSAREM se dici voluisse idem Tacitus lib. III. Histor. cap. LVIII. ubi de extremis Vitellii agens, scribit: *Quin & CÆSAREM se dici voluit, aspernatus antea; sed tum superstitione nominis, & quia in metu consilia prudentium, & vulgi rumor juxta audiuntur.* Non obscure innuit Tacitus, à Vitellio istud in extremis factum, ut isto nomine inclinatam fortunam erigeret, licet irritus ejus fuerit conatus.

*Aulus* VITELLIVS. IM*perator*, GERMA*Nicus*. Caput *Vitellii* laureatum, satis crassum, & dignum tali helluone, qui muliones & viatores per stabula & diversoria singulos mane jamne jentassent scisciteretur, seque feciſſe ructu ostenderet, uti refert Suetonius. Inscriptio hæc vulgò in Vitellii Nummis legitur. Tacitus lib. I. Hist. cap. LXIV. *Nomen* GERMANICI *Vitellio statim additum*: CÆSAREM *se appellari etiam Victor prohibuit.* XI.

## VESPASIANVS.

IMP*erator*, CAESAR. VESP*asianus*, AVG*ustus*, CO*nSul* V*tum*. CENSOR. P*ater* P*atriæ*. *Vespasiani* caput laureatum, fronte rugis plena, oculis cavis, naso adunco, mento præeminente, genis quasi quadratis, vultu denique veluti nitentis expressum, uti quoque à Suetonio describitur. Cæterum in Inscriptione hujus Nummi videre est Vespasianum non tantum *Imperatorium* Titulum, Prænominis instar, sed & ipsum CAESARIS Nomen eodem modo usurpare. utrumque ad designandum tanto efficacius, ut videtur, illam Dignitatem, qua supremum Jus Belli & Pacis in eum collatum. Dicitur etiam CENSOR in Nummo; & *Censuram* Vespasianum suscepisse notat Suetonius in ejus Vita. Quamvis autem reliqui Cæsares jam inde à Iulio & Augusto, ut XII.

pote

pote *cuncta Legum & Magistratuum munia in se trahentes*, etiam *Censoris* munus non omiserint; ipsum tamen CENSORIS nomen vix ab iis in publicis præsertim monumentis admissum, uti Viris Doctis notatum. A Vespasiano autem & filiis ejus, Tito & Domitiano cum reliquis titulis, etiam CENSORIS Nomen in Nummis usurpatum invenimus; uti etiam videre est in Tab. VI. Num. I. & IV. Denique Vespasianus heic quoque appellatur *Pater Patriæ*, cum designatione temporis, *Consulatus* ejus nimirum *quinti*. Testatur quidem Suetonius in Ejus Vita, Vespasianum *ne* TRIBVNITIAM *quidem* POTESTATEM, & PATRIS PATRIÆ *appellationem nisi sero recepisse*. In Nummis tamen jam à primis Imperii annis Vespasiano *Tribunitia Potestas* adscribitur. Sic in Nummo apud A. Occonem: IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG. PON. MAX. TR. P. COS. I. In alio quoque Nummo Vespasiani legitur TR. POT. X. COS. VIII. ubi videmus *Tribunitiam Potestatem* usque ad numerum decimum ipsi tribui, quot illi anni Imperii fuere. Similiter *Patris Patriæ* appellatio cum Consulatu ejus secundo in alio Nummo apud eundem Occonem conjungitur. IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. II. TR. P. P. P.

# TABVLA IV.

## TITVS.

I. *Titus*, CAES*ar*, IMP*erator*, AVG*usti Filius*. TR*ibunitia Potestate*, CO*n*S*ul* VI*tum*, CENSOR. Caput *Titi* laurea redimitum, quem Suetonius scribit forma fuisse egregia, & cui non minus auctoritatis inesset, quam gratiæ. Præter reliquos titulos etiam CENSORIS Tito adscribitur, utpote qui Censuram cum patre Vespasiano gessit, notante Suetonio in Ejus Vita. *Censoria Potestas*

TAB IV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*teſtas* ſub Auguſto reperta, quamvis penes cæteros Imperatores quoque manſerit, tamen eâ contentos, à *Cenſoris* nomine frequentius eos abſtinuiſſe refert Dio lib. LIV. aut tantum in agendo cenſu eo nomine uſos. Cæterum *Cenſoriæ Poteſtatis* occaſione, à Collectore addita heic eſt averſa pars præclari cujuſdam Nummi *Vitellii* Imperatoris, in quo eximium Cenſuræ Monumentum videre eſt, nimirum in

Num. cum Inſcr. *Lucius*, VITELLius, CENSOR. II *dum.* II. Actio Cenſoria *L. Vitellii*, patris Vitellii Imperatoris, elegantер deſignata cernitur. Repræſentat quippe L. Vitellium Cenſorem pro Tribunali in Sella Curuli; ante eum cernuntur quatuor figuræ ſtantes; ex quibus una ſupra tres reliquas elata; prima vero Cenſori quid porrigere videtur. Hoc modo ſcilicet Cenſus peragi ſolebat, à Cenſore pro Tribunali ſedente, & vocato per Præconem populo; hinc plures Quirites ante Cenſorem expreſſi in hoc Nummo, quem luculenter omnino, & facundo ore, more ſuo, interpretatus eſt Vir Illuſt. E. Spanhemius De Præſt. & Uſu Num. Antiq. Diſſertat. VIII. ubi & multa eximia De hoc Dignitatis Apice, *Cenſura* & *Cenſoria Poteſtate* ſub Cæſaribus habet.

Num. *Claudii*, cum Inſcr. CENSOR. in averſa parte, quæ III. heic expreſſa eſt. Unde liquet Claudium Imperatorem quoque in publicis monumentis CENSORIS Nomen uſurpaſſe. De Ejus vero Cenſura Suetonius: *Geſſit &* CENSURAM *intermiſſam diu poſt Paullum Plancumque Cenſores.* Cernitur, heic *Claudius* Imp. pro Tribunali Sellæ Curuli inſidens, & ante eum Eques equum manu adducens. ad deſignandum morem illum, quo Equites in publica recenſione ad Cenſorum Sellas venire ſolerent, Equum manu ducentes; quos ſi probarent, *præterire* & *traducere* equum ſolemni verbo jubebant, ſin aliter, equum adimebant, & vendi jubebant. Huc faciunt illa Ovidii ad Auguſtum:

*At memini, vitamque meam, moreſque probabas,*
*Illo quem dederas prætereuntis equo.*

## DOMITIANUS.

IV. IMP*erator*, CAES*ar*, DOMIT*ianus*, AVG*uſtus*, GERM*anicus*, CO*nSul* XV*tum*, CENS*or* PER*petuus*, *Pater Patriæ*. Caput *Domitiani* laureatum vultu ſatis robuſto. Suetonius refert Eum fuiſſe ſtatura procera, vulto modeſto, qui ſc. modeſtiam præ ſe ferret, ruboriſque pleno, grandibus oculis, verum acie hebetiore. præterea pulchum & decentem, maxime in juventa, & quidem toto corpore, exceptis pedibus; poſtea calvitie quoque deformem; & obeſitate ventris, & crurum gracilitate. Heic tamen capillitio ſatis denſo conſpicitur; ſed grande piaculum fuiſſet, ſi Monetales exhibuiſſent calvaſtrum; cum vel ad calvitii mentionem leviſſimam excandeſceret; & forte adſcititium capillamentum eſt, quo heic expreſſus. COS. XV. heic dicitur Domitianus, quem Conſulatus XVII. cepiſſe notat Tranquillus; quot ante eum nemo. E quibus decimum ſeptimum, qui ei ultimus, adorat (ſic enim loquitur) Stat. Papinius Lib. IV. Sylv. I. CENS*or* PER*petuus* quoque dicitur. Qua de re ita Dio lib. LXVII. Τιμητὴς διὰ βίε πρῶτος δὴ καὶ μόνος ἐκ ἰδιωτῶν ἐς αὐτοκρατόρων ἐχειροτονήθη. *Cenſor quam diu viveret, primus ſoluſque ex privatis civibus atque Imperatoribus deſignatus eſt.* Quod ut ſtultæ ejus ſuperbiæ & inſolentiæ ſignum ibi recenſet.

## NERVA.

V. IMP*erator*, NERVA. CAESAR. AVG*uſtus*, *Pontifex Maximus*, TR*ibunitia* Pote*ſtate*, CO*nSul* II*dum*, *Pater Patriæ*. Caput *Nervæ* laureatum, hominem ſenem per frontem & genas rugis conſpicuum repræſentat, oculis cavis, naſo aquilino. Eutropius lib. VIII. de Nerva: *Senex admodum*, inquit, *operam dante Petronio Secundo Præfecto Præt. item Parthenio interfectore Domitiani, Imperator factus, æquiſſimum ſe præbuit; Reipublicæ divina proviſione*

*visione consuluit, Traianum adoptando.* Cujus adoptionis formula exstat apud Dionem lib. LXVIII.

## TRAIANVS.

IMP*eratori*, CAES*ari*, NER*væ*, TRAIANO. OPTI- VI.
MO. AVG*usto*, GER*manico*, DAC*ico*, PARTHICO. *Pontifici Maximo*, TR*ibunitia Potestate*, CO*n Suli* VI*tum*, *Patri Patriæ.* Caput *Traiani* cum corona radiata heic primum occurrit, loco laureæ; oculis cavis, vultu alias satis decoro, & qui humanitatis notas referre videtur. NERVA TRAIANVS dicitur, quia à Nerva adoptatus, cum antea Ulpius Traianus audiret. OPTIMO in Inscript. additur, eodem modo uti sæpissime in Ejusdem Nummis, parte aversa, legere est S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Rempublicam enim ita administravit, ut omnibus Principibus merito præferatur, uti loquitur Eutropius lib. VIII. qui & addit: *Urbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam Decebalo victo subegit. &c. Armeniam, quam occupaverant Parthi, recepit, &c.* Hinc Cognomina GERMANICI, DACICI, PARTHICI, in Inscript.

## HADRIANVS.

HADRIANVS. AVGVSTVS. Caput *Hadriani* lau- VII.
reatum, & satis densa barba conspicuum. Ab hoc enim tempore, & deinceps Augustos ut plurimum barbam alere consuetos, ex eorum imaginibus in Nummis apparet; præter morem præcedentium, qui rasa barba conspiciuntur. Quamvis Hadrianus singularem causam barbæ alendæ habuerit. Spartianus de eo: *Statura fuit procerus, forma comptus, flexo ad pectinem capillo, promissa barba, ut vulnera, quæ in facie naturalia erant, tegeret.*

HADRIANVS. AVG*ustus*, CO*n*S*ul* III*tium*, P*ater* VIII.

*Patriæ.* Caput *Hadriani* ſine laurea corona exhibet. Hunc Plebis jactantiſſimum amatorem fuiſſe teſtatur Spartianus. Peregrinationis autem ita cupidum, ut omnia, quæ legeret de locis Orbis terranum, præſens vellet addiſcere. Hinc & Orbem Romanum circuit, & multa ædificavit, uti ait Eutropius lib. VIII. Spartianus de eo: *In omnibus pæne Urbibus & aliquid ædificavit, & ludos edidit.* Itineris quam plurima Monumenta in Nummis ejus exſtant, quæ in ſequentibus videre erit. Notandum heic venit *Patris Patriæ* nomen Hadriano adſcriptum, quod ſero demum admiſit, exemplo Auguſti. Spartianus in Hadriano: *Patris Patriæ nomen ſibi delatum ſtatim, & iterum poſtea, diſtulit: quod hoc nomen Auguſtus ſero meruiſſet.*

## ÆLIVS VERVS.

IX. *Lucius*, AELIVS. CAESAR. Caput *Ælii Veri* nudum ſine laurea, ut & in omnibus Nummis cernitur; utpote qui nec Princeps, nec Auguſtus fuit, ſed tantum CAESARIS nomen, ab Hadriano adoptatus in ſpem Principatus, habuit. *Primum Lucius Verus eſt dictus, ſed ab Hadriano adſcitus in Æliorum familiam, hoc eſt in Hadriani tranſcriptus, & appellatus eſt* CAESAR, inquit Spartianus in Ælio Vero. Miſerrimæ valitudinis fuit, ita ut Hadrianus poſt adoptionem dixiſſe feratur, *ſe in ſatis caducum parietem incubuiſſe.* Nec multo poſt Lucius, Ceionius, Commodus, Verus, Ælius, Cæſar (nam his omnibus nominibus appellatus eſt) periit, ſepultuſque eſt *Imperatorio funere*; neque quidquam de regia, niſi mortis habuit dignitatem, ut idem Spartianus refert.

X. Num. *Auguſti*, cum Inſcript. *Caius*, *Lucius*, CAESARES. AVGVSTI. *Filii.* CONS*ules* DESIG*nati*, PRIN*cipes* IVVENT*utis.* Stant heic togati *Caius* & *Lucius*, Auguſti ex Iuliâ filiâ & M. Agrippâ, nepotes (ſed ab Auguſto adoptati, ut eſt apud Suetonium cap. LXIV. unde & heic *Auguſti Filii* dicuntur)

cum

cum binis clypeis ac haſtis decuſſatim poſitis, itemque Simpulo & Lituo intermediis. Inſcriptionem Nummi unicè declarant hæc Taciti verba lib. I. Ann. de Auguſto. *Nam genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiam Cæſarum induxerat; necdum poſita pueri prætexta,* PRINCIPES IVVENTVTIS *appellari, deſignari Conſules, ſpecie recuſantis flagrantiſſime concupivit.* Huç pertinent illa Auguſti in Breviario Imperii ſui, cujus Fragmenta quædem nobis ſervata ſunt in Lapide Ancyræ reperto: HONORIS. MEI. CAVSA. SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. ANNVM. QVINTVM. ET. DECIMVM. AGENTIS. CONSVLIS. DESIGNAVIT. VT. CVM. MAGISTRATVM. INIRENT. POST. QVINQVENNIVM. EX. EO. DIE. DVO. DEDVCTI. IN. EORVMVE. INTERESSENT. CONSILIIS. PVBLICIS. DECREVIT SENATVS. EQVITES AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM IVVENT. CAIVM. HASTIS ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT. De haſtis quoque & clypeis ipſis donatis & heic expreſſis ita Dio Caſſius lib. LV. Τῷ δὲ Λευκίῳ τότε Γαΐῳ τὰ σώματα διά τε τῶν χιλιάρχων καὶ διὰ τῶν ἐφ' ἑκάστης πόλεως πρώτων ἐς τὴν Ρώμην ἐκομίσθη· καὶ αἱ πέλται τότε δόραται ἃ παρὰ τῶν ἱππέων ἐς τὰς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ ἐλήφεσαν, ἐς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη. *Corpora autem Caii & Lucii à Tribunis militum, ac cujuſque civitatis decurionibus, Romam apportata ſunt: parmæque & haſtæ, quas aureas ab equitibus, quum virilem togam ſumerent, acceperant, in curia ſuſpenſæ.* Porro *Lituus* & *Simpulum* deſignant Pontificatum *Caii*, & Auguratum *Lucii*; quorum mentio in antiquis Inſcriptionibus exſtat, præſertim iis, quæ in duabus vaſibus æqualibus Romæ repertis ante ædiculam S. Mariæ Ægyptiacæ, & in Corpore Gruteriano habentur pag. CCXXXIV. Quarum una hanc præfert inſcriptionem:

C. CAESARI. AVGVSTI. F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Altera:

L. CAESARI. AVGVSTI. F.
AVGVRI. COS.
DESIGNATO.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

XI. TITVS. ET. DOMITIAN*us*, CAESARES. PRIN*cipes* IVVENTVT*is*. *Titus & Domitianus* Imperatoris Veſpaſiani Filii, Iuvenili habitu in Sella Curuli ſedentes, & ramum lauri dextra tenentes; CÆSARES ET PRINCIPES IVVENTVTIS appellati ad Exemplum Lucii & Caii, quo Veſpaſianus in duobus filiis firmaret ſucceſſionem. Cæterum de his ut ſecundi faſtigii titulis CÆSARIS & PRINCIPIS IVVENTVTIS, vide omnino quæ egregie obſervata habet Doctiſſ. E. Spanhemius De Præſt. & Uſu Numiſm. Diſſ. VIII. circa initium. Sic in

XII. Num. *Philippi Iunioris*, cum Inſcript. PRINCIPI. IVVENT*utis*. Ipſe *Philippus Iunior* in ſpem futuræ ſucceſſionis, habitu militari ſtans expreſſus cum *Globo* in manu ſiniſtra, & dextrâ haſtam ferens. poſt eum ſatelles, ut videtur, cum haſta.

T A-

TAB. V.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

# TABVLA V.

## ANTONINVS PIVS.

ANTONINVS. AVG*ustus*, PIVS. P*ater* P*atriæ*, I. TR*ibunitia* Po*testate* XII. Caput *Antonii Pii* laureatum. PIVS *cognominatus est à Senatu, vel, quod Socerum fessa jam ætate, manu, præsente Senatu, levaverit : vel quod eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit ; vel, quod* Hadriano, *contra omnium studia post mortem infinitos atque immensos honores decrevit ; vel, quod cum se* Hadrianus *interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit, ne id posset admittere : vel quod vere natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit*, uti omnes hasce rationes recenset Iul. Capitolinus ; qui & addit, eum virum fuisse forma conspicuum, ingenio clarum, moribus clementem, nobilem vultu, & placidum ingenio, singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ, præcipue sobrium, mitem, largum, alieni abstinentem; & omnia hæc cum mensura & sine jactantia ; in cunctis postremo laudabilem, & merito Numæ Pompilio comparandum. &c.

## M. ANTONINVS AVRELIVS.

M*arcus*, ANTONINVS. AVG*ustus*, GERM*anicus*, II. SARMATICVS. M. *Antonini*, qui etiam M. *Aurelius* dictus postquam in Hadriani familiam transiit, caput laureatum, cum barba hispida, implexa, & plane philosophicæ densitatis, ut alicubi loquitur Arnobius, conspicuum. Hic omni literarum genere innutritus, sed præsertim Philosophiæ operam vehementer dedit, & quidem adhuc puer; nam duodecimum annum ingressus habitum Philosophi adsumsit; hinc etiam postea *Philosophi* epitheton ipsi vulgo adhæsisse videtur, quod alii pro ejus Cognomine malè acci-

accipiunt. Sanctitate vitæ omnibus Principibus antecelluit. Ad Inſcriptionis intelligentiam, ita J. Capitolinus in ejus Vita : *Contra Germanos res felicitur geſsit. Specialiter ipſe bellum Marcomanicum, ſed quantum nulla unquam memoria fuit, tum virtute tum etiam felicitate tranſegit. &c. Pannonias ergo, & Marcomannis, Sarmatis, Wandalis, ſimul etiam Quadis extinctis, ſervitio liberavit; & Romæ cum Commodo, quem jam Cæſarem fecerat, filio ſuo, triumphavit.*

## L. VERVS.

III. *Lucius*, VERVS. ARMENIACVS. Caput *L. Veri* laureatum. Hic *M. Aurelii* frater, alias plenius dicitur, *Lucius, Ceionius, Ælius, Commodus, Verus, Antoninus*; ex voluntate Hadriani *Ælius*, ex Antonini conjunctione *Verus* & *Antoninus* appellatus eſt. Poſt mortem Divi Pii, M. Aurelius eum ſibi participem in imperio deſignavit, & *Lucium Aurelium Verum Commodum* appellavit, *Cæſaremque* atque *Auguſtum* dixit; tumque primum Imperium duos Auguſtos habere cœpit, teſte J. Capitolino in Vita M. Aurelii. Qui etiam in Vero ait, hunc neque inter bonos, neque inter malos Principes poni, quem conſtat non inhorruiſſe vitiis, non abundaſſe virtutibus. veniſſe deinde non in libero Principatu, ſed ſub Marco in ſimili ac pari Majeſtatis Imperio; quo ſuperſtite etiam vita exceſſit. Cæterum *fuit decorus corpore*, inquit idem Capitolinus, *vultu gemmatus, barba prope barbarice demiſſa procerus, & fronte in ſupercilia adductiore venerabilis.* Flavo capillo, cujus tantum habuiſſe curam dicitur, ut capiti auri ramenta adſpergeret, quo magis coma illuminata flaveſceret. Ad ARMENIACI Titulum faciunt iſta Capitolini : *Antiochiam poſtquam venit, ipſe* (L. Verus) *quidem luxuriæ ſe dedit, duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, & Avidius Caſsius, & Marcius Verus per quadriennium; ita ut Babylonem & Mediam pervenirent, & Armeniam vendicarent, partumque eſt ipſi nomen Armenici, Parthici, Medici. &c.*

COM-

## COMMODVS.

*Marcus*, COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. IV. FELIX. AVG*uſtus*, BRIT*annicus*. Caput *Commodi* laureatum. Hic M. Aurelii optimi Parentis peſſimus filius, omnibus vitiis contaminatiſſimus, à prima ſtatim pueritia turpis, improbus, crudelis, libidinoſus, ore quoque pollutus & conſtupratus; poſt in ſtatione Imperatoria gladiator ſanguinarius, helluo, potator, ſcurra perfectus. Lampridius ſcribit eum fuiſſe *forma corporis juſta, vultu inſubido, ut ebrioſi ſolent, & ſermone incondito, capillo ſemper fucato, & auri ramentis illuminato*; comamque & barbam timore tonſoris adurere conſuetum. Sceleribus ejus incitati Quintilius Æmilius Lætus, Præfectus, & Marcia concubina ejus, Vitam ejus primum veneno tentaverunt; quod cum minus operaretur, per athletam, cum quo exerceri ſolebat, eum ſtrangulaverunt. Corpus ejus ut unco traheretur, atque in Tiberim mitteretur Senatus & populus poſtulavit. *Victi ſunt ſub eo tamen, cum ille ſic viveret*, inquit Lampridius, *per Legatos Mauri; victi Daci; Pannoniæ quoque compoſitæ; in Britannia, in Germania, & in Dacia imperium ejus recuſantibus provincialibus; quæ omnia iſta per duces ſedata ſunt.* Antea idem Lampridius ſcripſerat: *Appellatus eſt Commodus etiam* BRITANNICVS *ab adulatoribus, cum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* Hinc BRIT*annici* cognomen in Nummis.

## PERTINAX.

IMP*erator*, CAES*ar*, P*ublius*, HEL*vius*, PERTI- V.
NAX. AVG*uſtus*. Caput *Pertinacis* laureatum, ſenile, cum rugis in fronte; quippe ſexagenario major Imperator demum factus. Sext. Aurel. Victor Schotti de eo: *Hic doctrinæ omnis ac moribus antiquiſſimis: immodice parcus, Curios æquaverat Fabricioſque. Eum*



*mili-*

*milites, quîs exhausto jam, perditoque orbe, satis videtur nihil, impulsore Didio, fœde jugulavere octogesimo imperii die.* Fuit autem senex venerabilis, immissa barba, reflexo capillo, habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo, staturâ Imperatoriâ, uti eum describit Iul. Capitolinus.

## DIDIVS IVLIANVS.

VI. IMP*erator*, CAE*sar*, M*arcus*, DID*ius*, IVLIAN*us*, AVG*ustus*. Caput *Didii Iuliani* laureatum. Post Pertinacis cædem Imperium primus à Militibus mercatus, cum vicena quina millia promisisset, tricena dedit; postea in Senatum veniens facto Senatusconsulto, Imperator est appellatus; Uxore ejus Mallia Scantilla, & filia Didia Clara, Augustis quoque dictis. Toto imperii sui tempore, quamvis populo exosus ob imperium pecunia comparatum, mitissimus fuit. Interim Pescennio Nigro in Syria, Septimio Severo in Illyrico cum exercitibus, quibus præsidebant, ab eo deficientibus, ac Severo ad Urbem infesto agmine veniente, desertus ab omnibus Iulianus, in Palatio per gregarium militem, à Senatu, qui Iuliano Imperium jam abrogaverat, appellato Severo Imperatore, missum, occisus est, postquam imperasset mensibus duobus, diebus quinque.

## PESCENNIVS NIGER.

VII. IMP*erator*, CAES*ar*, C*aius*, PESC*ennius*, NIGER. IVS*tus*, AVG*ustus*. *Pescennii Nigri* caput laureatum. Hic cum audiisset Did. Iulianum jussu Severi ac Senatus occisum, ab exercitibus Syriacis, quos regebat, appellatus est Imperator. Fautores quoque Romæ habuit Senatum & populum odio Iuliani & Severi; ita ut ab omnibus ad Tutelam Vrbis expetitus sit. In re militari vehemens fuit, ac militem sub disciplinâ severâ tenuit. Severus autem ei cum exercitu in Orientem occurens; tandem

per

per Duces Severi victus, atque apud Cyzicum circa paludem fugiens sauciatus, & sic ad Severum perductus, statim mortuus est. Caput pilo circumlatum Romam missum. Princeps fuit optimus, & meliori omninò sorte dignus. Hinc Ælius Spartianus: *Fuit Niger miles optimus, Tribunus singularis, Dux præcipuus, Legatus severissimus, Consul insignis, Vir domi foriſque conspicuus, Imperator infelix.* Scribit denique Spartianus, Pescennium staturâ fuisse prolixa, forma decorum, capillo in verticem ad gratiam reflexo, vocis canoræ, ita ut in campo loquens per mille passus audiretur, nisi ventus adversaretur: oris verecundi & semper rubidi: cervice adeo nigra, ut, quemadmodum multi dicunt, ab ea *Nigri* nomen acceperit; cætera corporis parte candidum & magis pinguem, vini avidum, cibi parcum, rei Venereæ nisi ad procreandos liberos prorsus ignarum.

## SEVERVS.

SEVERVS. AVG*ustus*, PART*hicus*, MAX*imus*. VIII. *Severi* caput laureatum. Hic interfecto Didio Iuliano Imperium obtinuit, armatusque Romam contendit; centum Senatores legati à Senatu ei obviam missi ad gratulandum rogandumque. Ingressus deinde Romam armatus. cum armatis militibus Capitolium adscendit; & inde in Palatium eodem habitu perrexit; militibus per totam Urbem in templis, in porticibus, in ædibus Palatinis, quasi in stabulis, manentibus; fuitque ingressus *Severi* odiosus atque terribilis, militibus inempta diripientibus, & vastationem Urbi minantibus. Cum adversus Pescennium Nigrum in Orientem profectus esset, eumque debellasset, redeunti inde Romam aliud bellum civile Clodii Albini, qui in Gallia rebellavit, nunciatum est; verum & contra hunc apud Trinurtium feliciſſime pugnavit, ejusque seminecis pæne caput abscindi jussit, Romamque deferri. Magnum Senatorum, aliorumque virorum illustrium

numerum interfici curavit. Circa Arabiam plura geſſit, Parthis etiam in ditionem redactis, nec non Adiabenis; unde reverſus, appellatus eſt ARABICVS, ADIABENICVS, PARTHICVS. quamvis Spartianus referat, eum recuſaſſe *Parthicum* nomen, ne Parthos laceſſeret. In Nummis tamen ejus hoc nomen occurrit. Periit Eboraci in Britannia ſenex octogeſimo nono ætatis anno, imperii decimo octavo. Vid. Æl. Spartianus.

## CLODIVS ALBINVS.

IX. IMP*erator*, CAES*ar*, D. CLOD*ius*, SEP*timius*, ALB*inus*, AVG*uſtus*. Caput *Clodii Albini* laureatum, cum barba denſa & criſpa. Poſt Pertinacis cædem uno eodemque tempore, quo Did. Iulianus à Senatu Romæ, Sept. Severus ab exercitu in Illyrico, Peſcennius Niger in Oriente, Clodius quoque Albinus in Gallia Imperator appellatus eſt. *Cæſaris* quidem dignitatem Albinus à Severo accepit, ſed cum alter alterum indignaretur imperare, undique cuncta turbata ſunt. Per inſidias primum à Severo petitus; ubi detectæ, res tum in apertum prorupit bellum. Contra eum profectus Severus, acerrime fortiſſimeque pugnavit in Gallia, non ſine varietate fortunæ. Ultimo prœlio, innumeris ſuorum cæſis, plurimis fugatis, multis etiam deditis, Albinus fugit, &, ut aliqui dicunt, ſemet ipſum interfecit; alii à ſervo percuſſum volunt, & ſemivivum ad Severum perductum, qui caput ejus exciſum Romam miſit ob ignominiam, literis etiam ad Senatum datis cum opprobrio. Vid. Iul. Capitolinus, & Herodianus.

## GETA.

X. SEPT*imius*, GETA. CAES*ar*, PON*tifex*. Caput nudum juvenile *Sept. Getæ*, filii minoris Severi Imp. à quo in ſpem ſucceſſionis poſt fratrem majorem Antoninum Caracallam, *Antoninus* quoque appellatus. Sed fruſtra. Nam Caracalla ad Imperium promoto, juſſu ejus Geta in Palatio occiſus eſt, ac corpus ſta-

tim

tim crematum; utque facinus mitigaret, dixiſſe fertur: *Sit Divus, dum non ſit vivus.* Atque inter Divos eum retulit, ut hoc modo utcunque rediret in gratiam cum famâ parricida. A parente vivo CAESARIS nomen acceperat. PON*tificia* dignitate etiam Getam decoratum Nummus indicat. Spartianus ſcribit, eum fuiſſe adoleſcentem moribus aſperis, ſed non impiis, à natura decorum, tractatorem, guloſum, cupidum ciborum, & vini varie conditi. Herodianus lib. IV. Getam dicit fuiſſe χρηστὸν καὶ φιλάνθρωπον τοῖς συνοῦσι *placidum atque humanum erga omnes*; qui & paullo poſt ſcribit, Getam à Caracalla ipſo ſupra matris pectus, obtruncatum.

## ANTONINVS CARACALLVS.

Marcus, AVR*elius*, ANTON*inus*, CAES*ar*, PON- XI.
TIF*ex*. Caput nudum juvenile *Antonini Caracallæ;* quod nomen tamen, quamvis eo notior, non magis quam Caligulæ, uſpiam in Nummis occurrit. Acceperat iſtud à veſtimenti quodam genere quod populo dederat, demiſſi uſque talos. unde & poſtea *Antonianæ caracallæ* hujuſmodi dictæ, in uſu maxime Romanæ plebis frequentatæ. Non magis *Baſſiani* nomen, quod primum ipſi à parente inditum, in Nummis apparet; ſed ſemper *Marcus Aurelius Antoninus* ſcribitur; quomodo à Severo, ut futurus ei in Imperio Succeſſor, coram militibus appellatus. Aliquando tamen & *Antoninus Pius*, ut in Nummo ſequenti, dicitur. *Hujus*, inquit Spartianus, *pueritia blanda, ingenioſa, parentibus affabilis, amicis parentum jucunda, populo accepta, grata Senatui, ipſi etiam ad amorem conciliandum ſalutaris fuit*; aliaque multa laude digna in pueritia præſtitit. Sed hanc egreſſus, paullo poſt reſtrictior, gravior, vultu etiam truculentior factus eſt, prorſus ut eum quem puerum ſcierant, multi eſſe non crederent. De CÆSARIS titulo ita idem Spartianus in Severo: CAESAREM *deinde Baſſianum filium ſuum Antoninum à Senatu appellari juſſit, decretis Imperatoriis inſignibus.*

XII. ANTONINVS. PIVS. AVG*ustus*, BRIT*annicus*. Caput laureatum *Caracallæ* jam virilis ætatis, & Imperium adepti. *Antoninus Pius* in Nummo dicitur, ad exemplum *Antonini*, cui ob vitæ probitatem *Pii* cognomen adhæsit; & discernendi horum Impp. Nummi à se invicem per numerum TR*ibunitiæ Potestatis*, vel *Consulatus* in aversa parte adscriptum, ne confundantur. Antoninus Caracallus saltem nihil minus quam *Pii* cognomen meritus, utpote qui toto Imperii tempore nihil aliud quam sanguinem, cædes, parricidium, incestum spiraverit. Præter Getam fratrem minorem, multosque Viros illustres, etiam Papinianum Iuris consultorum Antesignanum occidi jussit. Tandem & ei insidiæ structæ à Macrino, qui post eum Imperium invasit, & in medio itinere inter Carras & Edessam, cum ad requisita naturæ discessisset, interfectus est ipso die natalis sui. BRIT*annici* Nomen in Nummis adsumpsit forsan, quod cum patre Severo jam sene in Britanniam navigaverit, eoque ibi ægrotante, Imperatoris omnia munia obiverit, teste Herodiano lib. IV.

# TABVLA VI.

## OPELIVS MACRINVS.

I. IMP*erator*, C*æsar*, M*arcus*, OPEL*ius*, SEV*erus*, MACRINVS. AVG*ustus*. Caput *Opelii Macrini* laureatum Nummus exhibet, qui, uti & sequens, *Opelium* scribendum docet, non *Opilium*, ut vulgo Historicis appellatur. Hic occiso Antonino Bassiano, sive Caracalla, Præfectus Prætorio, Imperium arripuit; seque nunc *Severum*, nunc *Antoninum*, cum in odio esset omnium, & hominum & militum, nuncupavit, ut scribit I. Capitolinus. Humili enim loco natus, & animi atque oris inverecundi, sordidi, sordidus denique & spurcus, qui & gladiatoriam pugnam juvenis exhibuisset. A Senatu tamen, audita cum gaudio Antonini Caracalli

TAB. VI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



racalli morte, appellatus Imperator. Bellum contra Parthos magno apparatu ſuſcepit, ut ſordes generis, & vitæ prioris infamiam victoriæ magnitudine aboleret. Sed conflictu contra Parthos habito, deficientibus ab eo legionibus ad Heliogabalum, à quo & prælio victus, fugiens à militibus in vico Bithyniæ, una cum filio Diadumeniano interfectus eſt, cum per annum imperaſſet.

## ANTONINVS DIADVMENIANUS.

M*arcus*, OPEL*ius*, ANT*oninus*, DIADVMENIA- II.
N*us*, CAES*ar*. Caput Iuvenile *Antonini Diadumeniani*, filii Opelii Macrini. Hic nihil in vita memorabile habuit, niſi quod Antoninus à patre dictus eſt, cum multa militum acclamatione, uti refert Lampridius in ejus Vita; qui & addit, ſtatim apud Antiochiam monetam Antonini Diadumeni nomine percuſſam. Fuiſſe autem puerum, omnium ſpecioſiſſimum, ſtatura longiuſcula, crine flavo, nigris oculis, naſo diducto, ad omnem decorem mento compoſito, ore ad oſcula parato, fortem naturaliter, exercitio delicatiorem; ubi vero primum indumenta coccea, & purpurea, cæteraque caſtrenſia Imperii inſignia acceperit, quaſi ſidereum & cæleſtem emicuiſſe, atque ab omnibus gratia venuſtatis amatum. CÆSAR à patre dictus; qua de re I. Capitolinus in Vita Macrini, poſtquam dixerat eum cum parente interfectum, ſubjicit: *Sciendum præterea, quod* CÆSAR *fuiſſe dicatur non* AVGVSTVS, *Diadumenus puer, quem plerique pari cum patre imperio tradiderunt, cui hoc ſolum attulit imperium, quod interficeretur à milite. Diadumeni*, ſive, ut in Nummis, *Diadumeniani* nomen, vel ab avo materno, vel à diademate naturali, quocum natus erat. Habuit enim circa caput diadema *in ſpeciem nervi ſagittarii, tenue quidem, ſed ita forte, ut rumpi non potuerit;* unde & puer *Diadematus* appellatus, quod poſtea in *Diadumenum* mutatum, teſte Æl. Lampridio.

AN-

## ANTONINVS ELAGABALVS.

III. IMP*erator*, ANTONINVS. PIVS. AVG*ustus*. Caput laureatum Varii *Elagabali*, ſic enim Nummi hoc nomen proferunt, cum vulgo *Heliogabalus* Græcis ac Latinis Scriptoribus dicatur; qui Imperium adeptus, *Antonini* nomen quoque adſumpſit, & ultimus Antoninorum in Imperio Romano fuiſſe dicitur Æl. Lampridio. In Nummis ANTONINVS PIVS ſcribitur, ſola *Tribunitiæ Poteſtatis* & *Conſulatus*, aut nonnunquam ſtellulæ adjectæ notâ diſtinguendus iterum ab aliis ejuſdem nominis. Occiſo Macrino, ejuſque filio Diadumeniano, Imperium ei à militibus, (per Iuliam Mæſam ſive Variam, ejus aviam, largitionibus prius corruptis, quæque eum Antonini Caracallæ filium eſſe dixerat, quem ex ejus filia majore Iulia Soæmiade ſuſceperat,) collatum eſt, cum eſſet Sacerdos Dei Elagabali. Hic, ſub nomine *Heliogabali* vulgo notiſſimus, ac omnibus probris vitiiſque contaminatiſſimus, ut majus monſtrum Imperium Romanum, quam diu duravit, non habuerit; ita ut Lampridius veniam petat, quod licet multa improba reticuerit, partem eorum prætextu verborum adhibito, literis mandaverit. Occiſus eſt à militibus, una cum matre, probroſiſſima quoque muliere, & tali filio digna, poſt ſexennium fere, uti Herodianus ſcribit, quam Imperium nactus fuiſſet. Cadaver uncis per publicum tractum, & in Tiberim projectum cum annexo pondere, ut fundum peteret.

## ALEXANDER SEVERVS.

IV. IMP*erator*, ALEXANDER. PIVS. AVG*uſtus*. Caput juvenile *Alexandri Severi* laureatum cum capillo, non gradatim aut in ordinem diſpoſito, ut à Nerone, aut Othone, aliiſque mollioribus Auguſtis factum; ſed ad pectinem ſtrictim detonſo, quod utplurimum à ſequentibus etiam Imperatoribus, uſque ad

ad Triginta Tyrannos, obſervatum ex effigie eorum in Nummis expreſſa videre eſt. Cæterum Vario Heliogabalo, peſte generis humani, interfecto, ejus conſobrinus, Aurelius Alexander Severus accepit imperium; quem *Cæſarem* jam ante, interemto Macrino, Senatus appellaverat; *Auguſtum*que nomen eidem delatum, addito ut & *Patris Patriæ* nomen, & *Ius Proconſulare*, & *Tribunitiam Poteſtatem*, & *Ius quintæ Relationis*, deferente Senatu, uno die aſſumeret, uti notat Lampridius. Hic à prima pueritia artibus imbutus tam civilibus, quam militaribus. Corporis venuſtate decorus fuit, & ſtaturæ militaris, cunctis præterea hominibus amabilis, & ab aliis *Pius* appellatus, ab omnibus ſanctus & utilis Reipublicæ. Antonini nomen, ut & Magni, quod ei quaſi Alexandro eſt delatum Senatus judicio, recuſavit. *Severi* nomen à militibus eidem inditum eſt, ob ingentem vigorem animi & mirandam ſingularemque conſtantiam contra militum inſolentiam; ſiquidem ſolus fuit, qui tumultuantes Legiones exauctoraverit. Summus & domi & foris Imperator fuit. Domi Viris Illuſtriſſimis & Prudentiſſimis in Conſilium adhibitis. Foris in expeditionibus milites ſub diſciplina adeo continebat, ut per provincias tranſeuntes nulli graves eſſent. Artaxerxen Perſarum regem potentiſſimum vicit. In Galliam profectus contra Germanos eam vaſtantes, cum ſeditioſas legiones ibi quoque exauctorare vellet, ut in Oriente fecerat, à militibus refractariis latrocinantium more, quibuſdam interfectus eſt anno vigeſimo & nono ætatis exacto, Imperii vero decimo tertio anno, & novem diebus elapſis.

## MAXIMINVS.

IMP*erator*, MAXIMINVS. PIVS. AVG*uſtus*. Caput *Maximini* laureatum, capillo quoque ad pectinem detonſo, oculis cavis, naſo aquilino oblongiore, mento acuto & prominulo conſpicuum. Hic in vico Thraciæ vicino, utroque parente barbaro progenitus, corporis vaſtitate ac longitudine tanta fuiſſe ſcribitur, ut octo pedes digito videretur egreſſus; pollice ita vaſto, ut uxoris dex- V.

trocherio uteretur pro annulo; fortiſſimus in juventute luctator, ut ſedecim, viginti, imo triginta milites uno ſudore aliquando laſſaverit. tanto virium robore, ut hamaxas manibus attraheret, rhedam onuſtam ſolus moveret: equo ſi pugnum dediſſet, dentes excuteret; ſi calcem, crura frangeret; lapides tophicios friaret, arbores tenuiores ſcinderet, ita ut nonnullis Crotoniates Milo, aliis Hercules, Antæus ab aliis vocaretur, referente J. Capitolino; qui & notat, bibiſſe illum ſæpe in die vini Capitolinam amphoram: comediſſe & quadraginta libras carnis; & juxta Cordum, etiam ſexaginta. Sudores quoque ſuos ſæpe excepiſſe, ita ut in vaſculo collectos, duos vel tres ſextarios ſui ſudoris nonnunquam oſtenderet. Occiſo Alexandro, quod nonnulli ejus inſtigatione factum volunt, ab exercitu Auguſtus appellatus ſine decreto Senatus. Inter virtutes militares, quibus excelluit, adeo tamen crudelis fuit, ut illum alii Cyclopem, alii Buſiridem, nonnulli Phalaridem, aliisque nominibus vocarent. Germanos tanta clade affecit, quanta ante eum nemo, ita ut parum abfuerit, quin omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet. Gordianis, patre & filio, quos Senatus Auguſtos appellaverat, in Africa per Capellianum devictis, cum Maximinus à Senatu hoſtis judicatus, cum exercitu Italiam ingreſſus eſſet, in Aquileiæ obſidione, unà cum filio in tentorio quieſcens à militibus occiſus eſt; ac capita abſciſſa Romam tranſmiſſa.

## MAXIMVS, ſive MAXIMINVS IVNIOR.

VI. MAXIMVS. CAES*ar*, GERM*anicus*. Caput juvenile, nudum, & ſtricte detonſum, *Maximi*, Maximini filii, qui Hiſtoricis *Maximinus* Iunior dicitur. Hunc à patre *Cæſarem*, imo etiam *Imperatorem* dictum, tantæ pulchritudinis fuiſſe ſcribit I. Capitolinus, ut paſſim amatus ſit à procacioribus fœminis; tantæ etiam proceritatis, ut ad ſtaturam paternam pervenire poſſet, ſi vixiſſet; ſed in ipſo juventutis flore, anno vigeſimo & primo, vel, ut alii, octavo decimo ætatis, ante Aquilejam una cum patre, ut modo dictum,

ctum, à militibus interemtus est. GERM*anicus* in Nummis dicitur, ob Germanos à patre, qui eum participem imperii fecerat, devictos.

## GORDIANVS SENIOR.

IMP*erator*, CAES*ar*, M*arcus* ANT. GORDIANVS. VII. AFR*icanus*, AVG*ustus*. Caput *Gordiani Senioris* laureatum. Quod in Nummis exstat ANT. dubium, utrum ANT*oninus*, an ANT*onius* legi debeat, propter illa Æl. Lampridii in Vita Antonini Heliogabali, ubi scribit: *Hic ultimus Antoninorum fuit, quamvis cognomine postea Gordianos multos Antoninos putent, qui Antonii dicti sunt, non Antonini.* Et postea: *Et quoniam hic* (Heliogabalus) *ultimus Antoninorum fuit, neque postea hoc nomen in Republica loco Principum frequentatum est, etiam illud addendum est, ne quis error oboriatur, cum duos Gordianos narrare cœpero; patrem ac filium, qui se de Antoninorum genere dici volebant, non nomen in illis primum fuit, sed prænomen, deinde ut plerisque in libris invenio, Antonii dicti sunt, non Antonini.* Nec non illa I. Capitolini de Gordiano Seniore: *Tantum autem Antoninos dilexit, ut sibi quoque, ut multi dicunt, Antonini, ut plerique autem asserunt, Antonii nomen adscripserit.* Cæterum hic Proconsul Africæ, Maximini temporibus, ab exercitu Imperator salutatus, Augustusque appellatus cum filio Gordiano juniore, qui legatus ei datus fuerat; Senatu id approbante, & Maximinum, ejusque filium hostes declarante. Verum Capellianus quidam Gordiano adversus, & in Africa Maximini partes sequens, cum tumultuaria manu contra eum insurgit, ac Gordianum Iuniorem acerrimo prælio vincit, & interficit. Quo comperto Pater sibi laqueo vitam finivit. Vir alium omnino exitum meritus; moribus quippe cultissimis ac tota vita venerabilis. I. Capitolinus scribit eum fuisse longitudine Romana, canitie decora, pompali vultu, rubrum magis quam candidum, facie bene lata, oculis, ore, fronte reverendum; corporis qualitate subcrasciusculum, quod & Num-

mi ejus repræsentant. AFRICANI cognomen, ipsi & filio datum ex Africa, quam rexerant; quamvis, juxta Capitolinum, quidam Africani cognomentum Gordiano idcirco inditum velint, non quod in Africa imperare cœpisset, sed quod de Scipionum familia originem traheret.

## GORDIANVS IVNIOR.

VIII. IMP*erator*, M*arcus*, ANT. GORDIANVS. AFR*icanus*, AVG*ustus*. Caput laureatum *Gordiani Iunioris*, qui cum patre & ab Afris, & à Senatu *Augustus* appellatus est. litteris & moribus clarus propter nobilitatem: quam, ut nonnulli, ab *Antoninis*, ut plurimi, ab *Antoniis* duxit, ut refert Capitolinus; qui & addit, primis diebus sui natalis *Antoninum* esse appellatum; mox in Senatu Antonini nomen editum, vulgo deinde Gordianum haberi cœptum. Idem de Gordiano Seniore scribit, Satis constare, *quod filium Gordianum nomine Antonini, & signo illustravit, cum apud Præfectum ærarii, more Romano professus filium, publicis actis ejus nomen insereret.* Iuxta Capitolinum itaque Litteræ ANT. in Nummis Gordiani Iunioris, *Antonini* nomen referent; Victus in Africa per Capellianum, & interfectus ætatis anno quadragesimo & sexto.

## PVPIENVS MAXIMVS.

IX. IMP*erator*, C*æsar*, M*arcus*, CLOD*ius*, PVP*ienus*, MAXIM*us*, AVG*ustus*. Caput *Pupieni Maximi* corona radiata cinctum. Hunc, & Cæl. Balbinum, mortuis duobus Gordianis, Senatus adversus Maximinum *Augustos* appellavit, cum ambo Consules essent. Ex humili loco Maximus ortus, per varios honorum gradus, tandem ad summum fastigium evectus, quod eo tempore aptior non esset in Senatu, qui deberet Principis nomen accipere. Ad bellum contra Maximinum missus cum ingenti exercitu, dum apud Ravennam hæret, Maximinus interim apud Aquilejam à suis occiditur.

Cu-

Cujus exercitu ſuſcepto, cum magna multitudine, & pompa Romam venit. Dum autem Urbem una cum Balbino ſumma cum moderatione, gaudente Senatu & populo Romano, regit, ambo à turbulentis militibus, quibus inviſi quod à Senatu electi, interficiuntur, poſtquam per biennium imperaſſent. *Hunc finem habuerunt*, inquit I. Capitolinus, *boni Imperatores, indignum vita & moribus ſuis. Nam neque Maximo ſive Pupieno fortius, neque Balbino benignius fuit quicquam.*

## CAEL. BALBINVS.

IMP*erator*, CAES*ar*, D*ecius*, CAEL*ius*, BALBINVS. X.
AVG*uſtus*. Caput laureatum *Cælii Balbini*, ita enim in Nummis, non *Clodii Balbini*, uti eſt apud Iul. Capitolinum; qui ea parte corrigendus. Hic, ut modo dictum, poſt Gordianorum mortem, cum Pupieno Maximo, à Senatu *Auguſtus* appellatus, nobiliſſimus ipſe, & iterum Conſul, quique quamplurimas provincias civilibus adminiſtrationibus rexerat; civilibus quippe rebus, quam bellicis major, licet nonnunquam exercitum quoque duxiſſet. Cæterum bonitate, morum ſanctitate ac verecundia omnium amorem ſibi conciliavit; ita ut Senatui etiam carus eſſet. Dum Maximus contra Maximinum cum exercitu proficiſcitur, Balbinus Romæ manſit, ubi interim ortæ ſeditiones inter populum & milites Urbem graviter afflixerunt. Poſt Maximum reverſum, diſcordias, etſi occultæ eſſent, inter utroſque Imperatores, occaſionem militibus præbuiſſe, ut ambos interficerent, auctor eſt Iul. Capitolinus.

## GORDIANVS TERTIVS.

IMP*erator*, GORDIANVS. PIVS. FEL*ix*, AVG*uſtus*. XI.
Caput juvenile laureatum *Gordiani tertii*, nepotis Gordiani ex filia, ſive, ut alii volunt, ex filio in Africa occiſo. Hic, Maximo & Balbino à Senatu Auguſtis dictis, ad populi & militum petitionem, annum

num agens decimum quartum, raptus, & in Curiam inductus, *Cæsar* est appellatus. Interemtis vero Maximo & Balbino, à militibus & populo, & Senatu, & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio Gordianum adolescentem *Augustum* appellatum scribit I. Capitolinus. In Africa conjurationem contra se, duce Sabiniano, initam oppressit. Sub eo terræ motus fuit adeo gravis, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent. Contra Persas feliciter pugnavit, eosque è Syria, aliisque regionibus, quas invaserant, in regnum eorum fugavit, consilio & ductu Misithei Soceri sui, & Præfecti. Hoc autem, fraude Philippi Arabis, è vivis sublato, Gordianus, ut Philippum in locum Soceri demortui, Præfectum Prætorio fecerat, haud diu quoque superstes fuit; sed jussu Philippi, qui militum favore tutor Gordiano quasi constitutus, imperium invaserat, in Persidis finibus impiè interfectus est, post quam sex annos imperasset. *Fuit juvenis lætus*, inquit Capitolinus, *pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in litteris nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset Imperio.*

## PHILIPPVS ARABS.

XII. IMPerator, Marcus, IVLius, PHILIPPVS. AVGustus. Caput laureatum *Philippi Arabis*. Hic occiso Gordiano Nepote, impie non jure obtinuit imperium, ut loquitur I. Capitolinus. Senatus literis Philippi, quasi Gordianus ex morbo periisset, ipse autem à cunctis militibus Imperator electus esset, deceptus, Philippum Principem & *Augustum* appellavit; Gordianum adolescentem inter Divos retulit. Philippus pace cum Sapore Persarum rege facta, non sine Romani nominis dedecore, ad Urbem contendit, & in itinere Philippum filium *Cæsarem* dixit, eumque Imperii consortem fecit. Tandem Traiano Decio; viro nobili & virtutibus præstanti, ab exercitu Illyrico Imperatore electo, contra eum Philippus expeditionem movet; sed Veronam cum veniisset, pulso amissoque exercitu, à militibus cæsus est. Quibus Romæ compertis filius à Prætorianis quo-

TAB. VII.

1

2

3

4




5

6

7

8



9



10



11



12



quoque interfectus, post quinque Imperii annos, ut est apud Victorem Schotti.

# TABVLA VII.

## PHILIPPVS Fil.

Marcus, IVLius, PHILIPPVS. CAESar. Caput nudum Philippi Iunioris, & pueri adhuc, cum à patre CAESAR diceretur; antea appellabatur CAIVS IVLIVS SATVRNINVS PHILIPPVS. Sed accepto Imperio à patre, etiam in patris nomina transiit. Ut hic, & sequens Nummus docet. I.

IMPerator, Marcus, IVLius, PHILIPPVS. AVGustus. Heic caput ejusdem Laureatum; Nam *Cæsare* à patre appellato, etiam postea in consortium Imperii assumptus, & AVGVSTVS dictus, ut ex Nummo constat. Hic à pueritia ἀγέλαστος appellatus, eo quod adeo ad severitatem & tristitiam à naturâ compositus fuisse traditur, ut à quinto ætatis anno nunquam ad ridendum provocari potuerit. Imo Patrem Ludos Sæculares edentem; & paullo forsan effusius ridentem, vultu severo inspexisse fertur, quasi indignabundus eum corrigere vellet. Occisus, ut diximus, Romæ à prætorianis, duodecennis, cum Pater Veronæ interfectus esset. II.

## TRAIANVS DECIVS.

IMPerator, C. Messius, Quintus, TRAIANVS. DECIVS. AVGustus. Caput *Traiani Decii* laureatum. Qui Zosimo lib. 1. dicitur, καὶ γένει περσέχων ἐξ ἀξιώματι, προσέτι δὲ καὶ πάσας διαφερων ταῖς ἀρεταῖς *familia dignitateque præstans, & omnibus præterea virtutibus ornatus.* In Illyrico suffragiis militum nactus primum Imperium, Philippum *patrem* ad Veronam III.

nam devicit, qui ibidem periit, ut *filius* Romæ. Tum à Senatu Decius dictus *Augustus*, ejusque jussu omnia egit. Civiles motus in Gallia compescuit. Q. Her. Etr. Mess. Decium filium, cogente Senatu, *Cæsarem* dixit; ipse omnis generis virtutibus instructus, pacisque ac belli artibus valens, præterea comis ac placidus, Nomen *Optimi Principis* judicio Senatus meruit. Ac nihil in eo culpandum, nisi quod sæviissima persecutione in Christianos sui Temporis grassatus fuerit. Tandem contra Gotthos pugnans, equi lapsu prostratus, & paludis voragine immersus, cum inde se subtrahere non posset, à Barbaris oppressus est, ut est apud Zosimum lib. I. & Ammian. Marcellin. lib. XXXI.

## HERENNIVS ETRVSCVS.

IV. *Quintus*, HERennius, ETR*uscus*, MES*sius*, DECIVS. NOB*ilissimus Cæsar*. Caput *Herennii Etrusci* juvenile corona radiata cinctum. Hic Trajani Decii filius NOB. *Cæsar* in hoc Nummo dicitur. Victor Schotti, ubi necem Philipporum patris & filii memorasset, subjungit: *Et Decius Syrmiensium vico ortus, militiæ gradu ad Imperium conspiraverat, lætiorque hostium nece filium Etruscum nomine* CÆSAREM *facit*. In aliis Nummis idem IMP. CAES. AVG*ustus* dicitur. Hunc ad imperium perveniisse post patris mortem, statimque insidiis sublatum à Treboniano Gallo vult Onuphrius Panvinius, quem sequitur Goltzius. Alii eum cum patre simul occisum tradunt. Sic enim Victor Schotti, quamvis supresso ejus nomine: *Decii Barbaros trans Danubium infectantes Bruti fraude cecidêre*. Idem apud Iornandum & Cassiodorum legere est. De NOBILISSIMI CAESARIS titulo, Herennio heic adscripto, & qui passim à Philippi Iunioris temporibus in Nummis antiquis ita conjunctus occurrit, Vide Illustr. Ez. Spanhemii Dissertation. VIII. De Præst. & Usu Numism.

HO-

## HOSTILIANVS.

C. VALENS. HOSTIL*ianus*, MES*ius*, QVINTVS. V. *Nobiliſſimus Cæſar.* Caput *Hoſtiliani* cum corona radiata. Heic *Cæſar*, in aliis Nummis etiam *Auguſtus* vocatur. Et conſortem imperii cum Treboniano Gallo fuiſſe clare docet Victor Schotti: *Hæc ubi Patres comperêre* (ſc. Decios interfectos) *Gallo, Hoſtilianoque Auguſta imperia; Voluſianum Gallo editum, Cæſarem decernunt.* Suffragatur Eutropius, prout recte eum haud ita pridem diſtinxit C. Ad. Rupertus: *Mox Imperatores creati ſunt Gallus, Hoſtilianus, & Galli filius Voluſianus.* Quidam Valentem hunc Hoſtilianum Decii generum, ut poſt Onuphrium etiam putat Triſtanus; alii Decii filium fuiſſe volunt, inter quos & Doctiſſimus Valeſius ad Euſebium. Neutrum ex Victore aut Eutropio haurire eſt; poſterius tamen ex Zoſimo ſibi colligere videntur Viri docti; hunc autem quomodo explicat Eruditiſſimus E. Spanhemius Vid. Diſſertat. VII. de Præſt. & Uſu Numiſm. Hoſtilianum peſtilentia exſtinctum ſcribit Victor.

## TREBONIANVS GALLVS.

IMP*erator*, CAES*ar*, *Cajus*, VIBIVS. TREBONIA- VI.
NVS. GALLVS. AVG*uſtus.* Caput laureatum *Treboniani Galli*, qui, occiſis Deciis, imperium invaſit; & filium Vibium Voluſianum *Auguſtum* appellavit, ut eſt apud Zoſimum lib. I. Sub hujus imperio Barbarorum res magnum incrementum cœperunt, ὁ γὰρ μόνον ἐπανελθεῖν αὐτοῖς εἰς τὰ οἰκεῖα ξυνεχώρει μετὰ τῆς λείας ὁ Γάλλος, ἀλλὰ καὶ χρημάτων τὶ μέτρον ἔτους ἑκάστου χορηγεῖν ὑπέσχετο, *Non enim cum præda tantum Gallus eis ut intra ſuos fines redirent permiſit: verum etiam ſingulis annis certam pecuniæ ſummam dare promiſit*, inquit Zoſimus. Qui & addit, Gallum Romam reverſum, in memoriam Deciani imperii alterum ex fi-

liis ejus superstitem adoptasse; sed mox ei mortem per insidias parasse. Hunc nonnulli *Hostilianum* Decii filium volunt esse; quem Victor tamen pestilentia exstinctum scribit. Cum vero Gallus valde negligenter imperium administraret, Barbaris etiam id admodum infestantibus, Æmilianus ab exercitu in Pannonia Imperator electus in Italiam tendit; ad quem opprimendum Trebonianus una cum filio proficiscens, ambo Interamnæ occisi sunt à militibus, non completo biennio, ut est apud Eutropium lib. IX.

## VOLVSIANVS.

VII. IMP*eratori*, CAES*ari*, VIB*io*, VOLVSIANO. AVG*usto*. Caput laureatum *Vibii Volusiani*, filii Treboniani Galli, à quo *Augustus* appellatus, ac in Consortium Imperii adsumptus. Zosimus innuere videtur, quasi Volusianus quam primum pater ad Imperium pervenit, mox Augustus dictus sit: παρελθόντος δὲ εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ Γάλλου, καὶ συναναδείξαντος ἑαυτοῦ τὸν παῖδα Οὐολοσιανὸν βασιλέα &c. Sunt verba Zosimi. Victor tamen Schotti *Cæsarem* eum primum tantum dictum vult, Quod & Nummi isti innuunt, in quibus Volusianus *Cæsar* simpliciter appellatur, in aliis vero, vel solus, vel cum patre *Augustus* dicitur; quod nomen sublato Hostiliano, demum cum patre Gallo commune habuisse videtur.

VIII. IX. X. XI. XII. *. *. *. *. *.

# TABVLA VIII.

I. II. *. *.

## ÆMILIANVS.

III. IMP*erator*, AEMILIANVS. PIVS. FEL*ix*, AVG*ustus*. Caput *Æmiliani* cum corona radiata. Hic, Treboniano Gallo cum filio

TAB. VIII

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

filio Voluſiano Romæ ſegniter morantibus, legionum Pannonicarum Dux, victis Scythis, Imperator ſalutatus eſt, ut eſt apud Zoſimum. Aurelius Victor Schotti ſcribit, eum corruptis militibus ſummam poteſtatem arripuiſſe; ac primum quidem hoſtem, dein exſtinctis ſuperioribus, Gallo ſc. cum filio, pro fortuna, uti ſolet, *Auguſtum* à Senatu appellatum. De morte ejus variant Auctores. Zoſimus enim occiſum vult à ſuis, cum L. Valerianus tranſalpinis viribus inſtructus in Italiam tenderet; at Victor, cum per tres menſes imperio modeſte præfuiſſet, morbo abſumptum ſcribit.

## LIC. VALERIANVS.

IM*Peratori*, C*æſari*, P*ublio*, LIC*inio*, VALERIANO. IV. AVG*uſto*. Caput *Valeriani* laureatum. Hunc poſt omnes honorum gradus & Magiſtratus inſigniter geſtos Imperatorem factum, non, ut ſolet, tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed jure meritorum, & quaſi ex totius orbis una ſententia, ſcribit Trebellius Pollio. Qui & eum commendat à vita & moribus. At Victor vulgarius : *Parentibus ortus ſplendidiſſimis, ſtolidus tamen, & multum iners; neque ad uſum aliquem publici officii, conſilio ſeu geſtis accommodatus.* Fuit vero ſub eo calamitoſiſſimus Imperii Status, Scythis, Germanis, Perſis magna vi irrumpentibus, & undique iſtud infeſtantibus. Clades acceptas fuſius deſcribit Zoſimus lib. 1. Valerianus, Galieno filio, quem Imperii conſortem fecerat, in Europa cum exercitu relicto contra Germanos, ipſe verſus Orientem movit, ut Perſis reſiſteret; ſed cum undique premeretur à Sapore Perſarum rege, à quo fruſtra per legatos pacem petierat, ad colloquium allectus, ſubito comprehenditur, & in hac fortuna captivus apud Perſas finem vivendi fecit, ut ſcribit idem Zoſimus. Trebellius Pollio Saporem cum Valeriano captivo ut vili mancipio collocutum ait. At Victor Vulgatus : *Valerianus vero in Meſopotamia bellum gerens, à Sapore Perſarum rege ſuperatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili*

*bili ſervitute conſenuit. Nam quam diu vixit, rex ejuſdem provinciæ incurvato eo pedem cervicibus ejus imponens equum conſcendere ſolitus erat.* Idem quoque refert Eutropius in Paſſione B. Pontii MS. cujus verba ex Bibliotheca P. Puteani adducit Salmaſius Notis ad Trebell. Pollionem. Victor Schotti Valerianum ne quidem captum, ſed Saporis dolo circumventum, *fœde laniatum interiiſſe* ſcribit. Sed Agathias lib. IV. victum eum, vivumque captum, ac tandem à Sapore *excoriatum* multas teſtari hiſtorias ait.

## VALERIANVS IVNIOR.

V. VALERIANVS. CAES*ar.* Caput *Valeriani Iunioris* cum corona radiatâ. Filius iſte Valeriani à Perſis capti, & frater Galieni, ſed ex alia matre, ut tradit Trebellius; qui & addit, eum fuiſſe forma conſpicuum, verecundia probabilem, eruditione pro ætate clarum, moribus perjucundum, atque à fratris diſſolutione ſejunctis; à patre verò abſente *Cæſarem* appellatum; nihil autem habuiſſe in vita prædicabile, niſi quod & nobiliter natus, educatus optime, & miſerabiliter interemptus, ac circa Mediolanum ſepultus fuerit.

## GALLIENVS.

VI. GALLIENVS. AVG*uſtus.* Caput *Gallieni* cum corona radiata, ut Trebellius de eo: *Radiatus ſæpe proceſſit.* Filius hic quoque Valeriani à Perſis capti, & frater Valeriani iunioris, ſed ex alia matre. In aliis nummis P. LICINIVS GALLIENVS dicitur. Satis diu Imperio præfuit, duoſque eum habuiſſe filios ex Nummis conſtat, quorum alter natu major SALONINVS VALERIANVS CÆSAR, alter hujus frater minor Q. IVL. SALONINVS GALLIENVS NOB. CÆS. appellatur, cujus Vitam Trebellius Pollio quoque breviter litteris mandavit. Sub Gallieno verò miſerè Orbis Romanus vexatus atque

que dilaniatus fuit; propter ejus ſocordiam, libidines, luxurias enormes, ac gulæ, ventrisque cupiditates, quibus totus immerſus; quippe, ut de eo ſcribit Trebellius ex correctione Magni Salmaſii: *natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & ſtupris perdidit; Orbem terrarum per triginta prope tyrannos vaſtari fecit, Romanum dehoneſtantes Imperium.* Quorum triginta Tyrannorum, uti Trebellio vocantur, nomina, cognomina, quique ex iis vel *Auguſti*, vel *Cæſares* appellati, pauciſſimis exceptis, non aliunde certius hauriri poſſunt, quam ex antiquis Numiſmatibus, quæ hodie adhuc in Cimeliarchiis ſuperſunt, uti optime obſervatum Celeberrimo E. Spanhemio Diſſert. VII. de Præſt. & Uſ. Numiſm. ubi & variorum nomina ex Nummis recenſet. Quorundam Ectypa etiam in hoc Theſauro expreſſa videre eſt in ſequentibus; reliquorum diſcis, quæ ad manum non eſſent, vacuis relictis. Verum cum Gallieni tantam improbitatem ferre nonnulli non poſſent, ut labem improbiſſimam, à gubernaculis humani generis dimoverent; ne diutius theatro & Circo addicta Republica, per voluptatum deperiret illecebras, uti loquitur Trebellius, per inſidias eum adgreſſi ſunt, & prope Mediolanum cum fratre Valeriano, moribus longe ipſi diſſimili, interfecerunt, cum ad quintum decimum imperii annum perveniſſet; è quibus ſex cum patre, novem vero ſolus imperio præfuit. Vid. Salmaſ. Not. ad Trebell. Salonin. Gallien. circa finem.

## SALONINVS VALERIANVS.

SALON*inus*, VALERIANVS. CAES*ar*. Caput radiatum *Salonini Valeriani*, Gallieni filii, Valeriani, à Sapore capti, nepotis. In aliis Nummis plenius dicitur P. LICINIVS, CORNELIVS, SALONINVS, VALERIANVS, N. C. Cornelius Saloninus, à matre Cornelia Salonina, quæ etiam Pipa appellata, & conjux, & concubina Gallieni Auctoribus dicitur; ut pote *quam per pactionem conceſſa parte ſuperioris Pannoniæ, à patre* VII.

*tre* Attila, *Marcomanorum rege*, *matrimonii ſpecie ſuſceperat*, ut loquitur Victor Vulgarius in Epitome; qui & ante de Licinio Valeriano hujus avo notat: *Hic filium ſuum Gallienum Auguſtum fecit*, *Gallienique filium Cornelium Valerianum Cæſarem.* Unde apparet, quare Saloninus Valerianus *Cæſar* in Nummo dicatur. Sed & eundem *Auguſtum* declaratum, recte obſervat Illuſtr. E. Spanhemius ex Nummo Græco apud Occonem, ſed qui male ibi refertur ad Valerianum Iuniorem Gallieni fratrem, cum ad hunc Saloninum Valerianum pertineat; uti aperte docet inſcriptio Π Υ. ΛΙΚ. CΑΛΩΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. CEB. hoc eſt: *Publius Licinius Saloninus Valerianus Auguſtus.* Obiter heic obſervare licet in Nummis poſteriorum *Auguſtorum*, quod ut plurimum caput corona radiata redimitum habeant, cum priores illi lauream geſtent; & non, niſi in memoriam ſingularis cujuſdam & eximii eventus, aut jam inter Divos relati, radiati conſpiciantur, ut in Iul. Cæſare, Auguſto, & M. Aurelio factum. Quoties enim radiata corona Princeps fulgebat, divinitati quodammodo inſertus credebatur. Plinius Panegyrico: *Horum unum ſi præſtitiſſet alius*, *illi jam dudum radiatum caput*, *& media inter Deos ſedes auro ſtaret & ebore.* Num ut inſigne Deorum peculiare, præſertim Solis talis corona habebatur. unde rarius à prioribus Imperatoribus uſurpata, nec conceſſa, niſi, ut diximus, ſingulari caſu. Nero quidem etiam hoc ornamento conſpicitur, ſed eo jure, quo omnia divina humanaque proculcabat, hanc ſibi quoque coronam arripuit. Et ſic poſteriores Auguſti inſolentiores facti, frequentius coronam radiatam ſibi tribuêre.

VIII. IX. X. XI. XII. *. *. *. *. *.

TA-

TAB. IX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



# TABVLA IX.

## HERODIANVS.

HERODIANVS. IMPERATORVM. Caput lau- I.
reatum *Herodiani*, qui etiam *Herodes* in Nummis, uti & à Trebellio Pollione inter Triginta Tyrannos vocatur. Filius fuit Odenati, Palmyrenorum Principis, qui capto Valeriano Imperatore, dum Gallienus luxui indulget, assumpto imperio, cum filio majore, cui Herodes nomen, cum exercitu contra Persas profectus, Nisibin & Orientem cum Mesopotamia Persis eripuit, ad Ctesiphonta usque Sapore cum liberis in fugam redactis, Gazam regiam & concubinas ejus cæpit. Herodes hic post reditum de Persis, cum patre *Imperator* est appellatus, quamvis patri moribus dissimillimus. Pater enim Vir armis strenuus & laboribus militaribus addictus; filius homo omnium delicatissimus, & prorsus Orientalis & Græcæ luxuriæ, ut loquitur Trebellius. Occisus est cum patre insidiis Mæonii consobrini, qui & ipse imperium invaserat.

II. III. *. *.

## VABALATHVS VCIM.

VABALATHVS. VCIM. P.P. Caput laureatum *Vabala-* IV.
*thi*, sive, ut in aliis Nummis, *Vhabalathi*, qui fuit filius tertius Odenati & Zenobiæ, & frater Timolai & Herenniani, cum quibus post necem patris Odenati, adolescentulus admodum *Cæsar* quoque & *Augustus* dictus, Zenobiæ matris auctoritate, quæ omnia Imperii negotia filiorum nomine in Oriente satis feliciter administrabat. Meminit hujus Flav. Vopiscus in Aureliano : *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror, Babalati filii nomine Zenobiam, non Timolai & Herenniani nomine imperium tenuisse, quod tenuit.* uti optime hunc

hunc locum Magnus Salmaſius ex Palatino codice reſtituit, & adſeruit contra J. Caſaubonum. *Babalatus* idem quod *Vabalatus*. Errat vero Vopiſcus, cum ſcribit Zenobiam matrem hujus tantum, non Timolai & Herenniani nomine imperium adminiſtraſſe. Nam & Timolaum & Herennianum *Auguſtos* declaratos, præterquam quod Trebellius ſcriptum id reliquit, ex Nummis eorum, quorum Inſcriptionem Græcam Goltzius in Theſauro Rei Antiquariæ refert, conſtare poteſt. Sic enim in uno : AYT. K. HPENIANOC CEB hoc eſt, *Imperator*, *Cæſar*, *Herennianus Auguſtus*. In altero itidem : AYT. K. TIMOΛAOC CEBACT. *Imperator*, *Cæſar*, *Timolaus Auguſtus*. Trium itaque filiorum *Auguſtorum* nomine Zenobia Imperium adminiſtravit. Cum quibus etiam ipſa ab Aureliano capta, Romamque tranſlata, per triumphum magna cum pompa ducta eſt; ſed vita ei conceſſa, cum liberis poſtmodum Romæ, inſtar matronæ, vixit, poſteris etiam longo tempore inter nobiles Romanos relictis.

V. VI. VII. *. *. *.

## MACRIANVS IVNIOR.

VIII. IMPerator, Cæſar, FVLvius, MACRIANVS. Pius, Felix, AVGuſtus. Caput radiatum *Macriani Iunioris*, qui, dum Gallienus ob ignaviam omnibus contemptui eſſet, una cum patre Macriano jam ſene, & Imperium detrectante, ac fratre Quieto, cunctis militibus volentibus, in Aſia Imperator factus eſt. Dum vero contra Gallienum Pater & filius cum exercitu quadraginta quinque millium militum tenderent, in Illyrico, vel Thraciarum extremis, à Domitiano, Aureoli duce, victi ſunt, & ambo interfecti; triginta quoque millibus militum in poteſtatem Aureoli pertractis.

QVIE-

## QVIETVS.

IMP*erator*, C*æsar*, FVL*vius*, QVIETVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Caput radiatum *Quieti*, filii Macriani Senioris, qui cum patre & fratre Imperator est dictus; Adolescens dignissimus Imperio Romano, uti à Trebellio vocatur, ab Odenato, jam certiore facto, Macrianum patrem Quieti, & ejus fratrem Macrianum ab Aureolo victos & interemtos, militesque in ejus potestatem concessisse, quasi Gallieni partes vindicaret, cum Balista præfecto, teste Trebellio, occisus est; cum imperasset cum patre & fratre, circiter biennium, ac post eorum necem, cum Balista menses circiter duos. IX.

X. *.

## MARIVS.

IMP*erator*, C*æsar*, M*arcus*, AVR*elius*, MARIVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Caput *Marii* radiata corona cinctum. Hic primum faber ferrarius, armorumque artifex, post Victorium, Lollianum, & Postumium interfectos, in Gallia Imperator factus est; sed triduo tantum imperavit, occisus à milite, ejus quondam operario in officina fabrili, cum exprobratione pristinæ conditionis: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Concionem ejus primam ad milites refert Trebellius hisce fere verbis: *Scio, commilitones, objici mihi posse artem pristinam; sed dicat quisque quod vult:* Utinam semper ferrum tractem; *non vino, non floribus, non mulierculis, non popinis, ut facit Gallienus, depeream. Cladibus suis recognoscant exteræ gentes, Romanum populum* ferreum *esse sub Principe, qui nunquam scierit quicquam tractare quam ferrum.* Qui & refert eum miræ fortitudinus hominem fuisse in digitis & manibus; adeo ut carra venientia digito salutari sisteret, & fortissimos quosque uno digito sic affligeret, ut quasi ligni vel ferri obtusioris ictu percussi dolerent; multa quoque digitorum allisione contereret. XI.

XII. *.

# TABVLA X.

I. II. III. *. *. *.

## TREBELLIANVS.

IV. IMP*erator*, CAES*ar*, C. TREBELLIANVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Caput *Trebelliani* radiatum. Sub Gallieno luxurioso ab Isauris sibi ducem quærentibus factus Princeps, cum alii archipiratam vocassent, ipse se Imperatorem appellavit, ac monetam quoque cudi jussit, ut scribit Trebellius. Aliquamdiu apud Cilicas, in loco montibus munito, imperavit quidem, sed per Gallieni ducem Causileum, natione Ægyptium, in campum deductus, victus est, & occisus.

## POSTVMVS.

V. IMP*erator*, C*æsar*, POSTVMVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Caput *Postumi Senioris* cum corona radiata. Hic, cum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, ab omnibus Gallis, & toto exercitu Imperator electus est. Per septem annis imperavit, & Galliam ab omnibus circumfluentibus barbaris validissime vindicavit. Contra hunc bellum Gallienus suscepit, in quo sagittâ vulneratus, ac per diversas obsidiones & prælia, rem modo feliciter, modo infeliciter gessit. Tandem Postumus insidiis Lolliani, qui & ipse in Galliis Imperium invasit, apud Moguntiacum occisus est.

## POSTVMVS IVNIOR.

VI. POSTVMVS. PIVS. FELIX. AVGVSTVS. Capita *Postumorum* patris & filii laureata. Postumus Iunior à patre appellatus est *Cæsar*, ac deinceps in ejus honore *Augustus*. Cum patre dicitur

TAB. X.

1

2



3

4

5

6

7

8



9

10

11



12

citur interemptus, cum Lollianus in locum Poſtumi ſubrogatus, delatum ſibi à Gallis ſumpſiſſet imperium, ut ſcribit Trebellius. Hic adeo literis omnibus inſtructus atque excultus, nec non in declamationibus tam diſertus fuit, ut ejus controverſiæ Quintiliano dicantur inſertæ.

## AVREOLVS.

IMP*erator*, *Marcus*, ACILI*us*, AVREOLVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Aureoli* cum corona radiata. Hic obſcuro genere ex Dacia ortus, cum militiæ nomen dediſſet, ita ſe geſſit, ut dux exercitus Illyriciani conſtitutus, in contemtum Gallieni, à ſuis legionibus Imperator appellatus ſit. A Gallieno autem victus & fugatus, Mediolanum ſecedere coactus eſt, ubi Gallienus, dum urbem iſtam obſidione premit, à ſuis occiſus eſt. Poſt cujus obitum, Claudius ad Imperium evectus, Aureolum prælio commiſſo, in ipſo conflictu interemit apud eum pontem, qui poſtea *pons Aureoli* nuncupatus, atque illic ut tyrannum ſepulchro humiliore donavit, poſtquam contra Gallienum per annos circiter octo, ut Imperator ſtetiſſet. VII.

VIII. *.

## VICTORINVS SENIOR

IMP*erator*, C*æſar*, VICTORINVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Victorini Senioris* radiatum. Hunc ut militaris induſtriæ virum Poſtumus Senior in conſortium imperii vocavit contra Gallienum, cumque diu bella traxiſſent, victi ſunt. interfecto Poſtumo utroque, atque etiam Lolliano, ſolus Victorinus in Imperio permanſit; ſed cum corrumpendis militum uxoribus daret operam, breve ſibi iſtud fecit; interfectus quippe à milite quodam, cujus uxorem ſtupraverat, Coloniæ Agrippinæ. Præter libidinem cum optimis Imperatoribus cæteroquin conferendus. IX.

## VICTORINVS IVNIOR.

X. IMP*erator*, VICTORINVS. CAES*ar*. Caput radiatum *Victorini Iunioris*. Qui puerulus, Victorini filius, Victoriæ, quæ etiam Mater Castrorum dicta, nepos, vel à patre, vel ab avia, sub eadem hora, quâ Victorinus pater occisus, *Cæsar* nuncupatus est. Sed statim quoque à militibus ira in patrem æstuantibus, interfectus; ac cum patre circa Agrippinam humili sepulcro tumulatus, addita inscriptione: HIC DVO VICTORINI TYRANNI SITI SVNT.

XI. *.

## REGILIANVS.

XII. IMP*erator*, C*æsar*, REGILIANVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Caput *Regiliani* radiatum. Hic Dacus, & Decebali propinquus, in Illyrico Legionum Dux, militari joco ad Imperium pervenit; cujus originem ita Trebellius refert: *Cum milites quidam cum eo cænarent, adstitit Valerianus tribunus qui diceret*, Regiliani nomen unde credimus dictum? *Alius continuo*, Credimus quod à Regno. *Tum is qui aderat Scholasticus, cœpit quasi grammaticaliter declinare & dicere*, Rex, regis, regi, Regillianus. *Milites, ut est hominum genus pronum ad ea, quæ cogitant, dixerunt*, Ergo potest Rex esse? *item*, Ergo potest nos regere? *item alius*, Deus tibi Regis nomen imposuit. *Quid multa? his dictis cum alia die mane processisset, à Principiis Imperator est salutatus. ita quod aliis*, addit Trebellius, *vel audacia vel judicium detulit, huic jocularis astutia.* Fuit tamen Vir in re militari egregius, & contra Sarmatas multa fortiter gessit; sed tandem metu Gallieni à suis occisus.

TA-

TAB. XI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

# TABVLA XI.

## TETRICVS SENIOR.

IMP*erator*, TETRICVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Tetrici Senioris* radiatum. I. Hic Senator Romanus, idemque conſularis, cum jure præſidiali omnes Gallias regeret, poſt interfectum Victorinum, ejuſque filium, ſuadente Victoria, matre Victorini, Imperium ſuſcepit, *Auguſtusque* appellatus eſt. Cum multa præclare egiſſet, milites vero ejus valde inſolentes ſe gererent, maluit volens ſeſe Aureliani poteſtati committere, quam perfidis diutius imperare. Hic vero, qui nihil mite, nihil tranquillum cogitaret, eum, ejuſque filium, in triumphum duxit, cum Zenobia Odenati uxore, ejuſque filiis minoribus. Pudore tamen victus Aurelianus, non ſolum eum vivere paſſus eſt, ſed etiam in ſumma dignitate; & correctorem totius Italiæ fecit; illum ſæpe collegam, nonnumquam commilitonem, aliquando etiam Imperatorem appellans.

## TETRICVS IVNIOR.

PIVESV*s*, TETRICVS. CAES*ar*. Caput radiatum II.
*Tetrici Iunioris*. Hic puerulus adhuc, à Victoria, eodem tempore, quo pater Auguſtus, *Cæſar* appellatus eſt. Cum patre ab Aureliano per triumphum ductus, poſtea omnibus Senatoriis honoribus functus eſt, illæſo patrimonio, quod ad poſteros tranſmiſit. Tetricorum domum Romæ in monte Cælio inter duos lucos contra Iſium Metellinum, pulcherrimam ſuo tempore adhuc exſtitiſſe notat Trebellius Pollio, in qua Aurelianus pictus erat, utrique prætextam tribuens & Senatoriam dignitatem; ab his viciſſim accipiens Sceptrum, Coronam, Cyclum, picta omnia de muſeo, uti reſtituit ὁ πάνυ Salmaſius, qui videndus in Notis.

## VICTORIA.

III. IMP*eratrix*, VICTORIA. AVG*usta*. Caput *Victoriæ* galeâ criſtatâ ornatum. Mulier hæc virilis & heroici animi, ubi Victorinos filium & nepotem à militibus vidit occiſos; Poſtumum, deinde Lollianum, Marium etiam, quem Principem milites nuncupaverant, interfectos, Tetricum Seniorem ad Imperium hortata eſt; eumque *Auguſtum*, filium vero ejus *Cæſarem* dixit. cum ipſa MATER CASTRORVM ab exercitu appellata eſſet. Verum non diu ſuperfuit. Nam Tetrico imperante, occiſa eſt, quamvis nonnulli ſcribant, eam fatali neceſſitate occubuiſſe. In ejus memoriam cuſos Nummos æreos, aureos, & argenteos, ſuo tempore apud Treviros exſtitiſſe refert Trebellius; quorum nonnulli hodieque adhuc in Cimeliarchiis apud harum rerum curioſos reperiuntur.

IV. V. *. *.

## CLAVDIVS II.

VI. IMP*erator*, CLAVDIVS. AVG*uſtus*. Caput *M. Aurelii Claudii* radiatum. Hic obſcuro quidem genere, ex Illyrico, vel, ut aliis placet, Dalmatia, vel Dardania oriundus, ſed militaribus virtutibus maxime clarus, poſt Gallieni mortem ad Imperium pervenit, Senatu id approbante; adeoque primus, qui legitimus Imperator poſt Gallienum exſtitit. Mox Aureolum, ut Reipublicæ gravem, prælio devicit prope Mediolanum, ac tyrannum miſſis ad populum edictis declaravit. Aureolo à militibus occiſo, Claudius contra Gotthos, Sarmatas, Quados, alioſque Scythicæ nationis, qui Romanum Imperium vaſtabant, exercitum movit; Daciam recuperavit; Sarmatas & Gotthos ingenti clade proſtravit, interfectis trecentis viginti millibus, ac ſubmerſis duobus millibus navium. Scythas Cyprum & Cretam vaſtantes repreſſit. Verum finito bello Got-

Gotthico, cum graviſſimus morbus per exercitum graſſaretur, Claudius ultra biennium vix Imperator, eo quoque exſtinctus eſt, ſummo cum dolore & Senatus, & totius populi. Vir quippe & à Senatu, & à populo ſic dilectus, ut neque Traianus, neque Antoninus, neque quiſquam alius Principum ſic amatus. ita, ut in Capitolio Statuam auream, & Clypeum aureum expreſſa vultus ejus imagine poſuerit poſt ejus mortem. Trebellius eum fuiſſe ſcribit, inſignem morum gravitate, inſignem vita ſingulari & unica caſtimonia, vini parcum, ad cibum promtum, ſtatura procerum, oculis ardentibus, lato & pleno vultu, digitis uſque adeo fortibus, ut ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. &c.

## QVINTILLVS.

IMP*erator*, C*æſar*, M*arcus*, AVR*elius*, CL*audius*, QVINTILLVS. AVG*uſtus*. Caput *Quintilli* cum corona radiata. Frater fuit M. Aur. Claudii, ac poſt ejus mortem delatum ſibi imperium omnium judicio ſuſcepit. A Senatu *Cæſar*, *Auguſtuſque* appellatus eſt. Sed ob brevitatem temporis nihil dignum imperio gerere potuit. Nam ſeptima decima die, quod ſe gravem & ſerium contra milites oſtenderat, ac verum Principem pollicebatur, eo genere, quo Galba, quo Pertinax interemtus eſt, ut ſcribit Trebellius; cui in genere mortis referendo conſentiunt Euſebius in Chronic. n. 2286. & Aurel. Victor. Sed longe aliter Zoſimus. lib. 1. Hiſt. ubi ait, Quintillum, poſtquam audiverat Aurelianum Imperatorem creatum, ſe autem videret imparem ejus conatibus, ſponte imperio ceſſiſſe, & ſibi venas per medicum incidi curaſſe, ac fluxu ſanguinis continuato exſpiraſſe. VII.

## AVRELIANVS.

IMP*erator*, C*æſar*, AVRELIANVS. AVG*uſtus*. Caput *Aureliani* diademate cinctum. Nam is *primus*, ut Victor Vulgatus ait, VIII.

ait, *apud Romanos DIADEMA capiti innexuit; gemmisque & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est;* Quod Aureliani factum insequentes Principes, præsertim post Constantinum M. imitati sunt, & Diadema gestarunt; uti etiam ex Nummis apparet, ubi Diademati conspiciuntur; cum anteriores Principes Romani, non nisi aut laureati, aut radiati cernantur. Cæterum Aurelianus Sirmii Pannoniæ familia obscuriore ortus, vel, ut alii, in Dacia Ripensi, aut Mœsia, à prima ætate ingenio vivacissimus, viribus clarus, iisque exercendis & firmandis assiduus fuit. Statura porro procerior, nervis validissimis, vini & cibi paullo cupidior, libidinis raræ, severitatis immensæ, disciplinæ singularis, gladii exercendi cupidus. Bellator itaque strenuus & egregius, licet severus. Omnium legionum consensu Imperator factus, Suevos & Sarmatas ingenti prælio vicit. Marcomannos, qui Romanis tantum terrorem incusserant, ut de Vrbe desperarent, profligavit. Dum contra Zenobiam proficiscitur, in itinere Barbaros in Illyrico & Thraciis prostravit. Dein cum Zenobia, quæ filiorum nomine Orientem tenebat, de summa rerum apud Emesam pugnat; & fusam, retractamque è fuga cum filiis, in potestatem suam redegit. Palmyram deinde cepit & evertit. Firmum Ægyptum sibi vindicantem superavit, & occidit. Tetricum in Galliis Imperatorem creatum, sponte cum exercitu se dedentem suscepit. Romam reversus de Tetrico & Zenobia splendidissimum triumphum egit, Deinde ad Gallos profecturus, cum per Illyricum iter faceret, inter Heracleam & Byzantium malitia notarii sui, quod Princeps esset severus, truculentus & sanguinarius, interfectus est, anno Imperii sexto. Princeps magis necessarius fuit, quam bonus, ut de eo Fl. Vopiscus scribit.

IX. *.

TA-

## TACITVS.

IMP*erator*, CL*audius*, TACITVS. AVG*ustus*. Caput radiatum *Taciti*. Post sex mensium interregnum, dum, interemto Aureliano, Senatus exercitusque Romanus grato religioso que certamine Imperatoris electionem alter in alterum refunderet, Cl. Tacitus à Senatu Imperator tandem appellatus est, jam senex & septuagesimum quintum ætatis annum ingressus. Fuit homo doctissimus, qui & Cornelium Tacitum, Historiæ Augustæ Scriptorem, quod parentem suum eundem diceret, per singulos annos, ut decies describeretur publicitus, & in omnibus Bibliothecis collocaretur, jussit. Adeo autem modestus, ut togis & tunicis iisdem uteretur, quibus privatus. In cæteris quoque rebus, vino præsertim & ciborum delectu sobrius, vitæque parcissimæ. Ad Exercitum profectus, prima illi cura Imperatoris facti hæc fuit, ut omnes, qui Aurelianum occiderant, interimeret: sed & ipse haud diu superstes, quippe in expeditione Mæotica insidiis militaribus occisus est sexto Imperii mense; ita ut propter temporum brevitatem nihil magnum gesserit. X.

## FLORIANVS.

IMP*erator*, FLORIANVS. AVG*ustus*. Caput *Floriani* cum corona radiata. Qui frater Taciti germanus fuit, ac post fratrem occisum arripuit Imperium, non Senatus auctoritate, sed suo motu, quasi hereditarium esset. At vix duobus mensibus Imperium tenuit; occisus enim est Tarsi à militibus, qui Probum audierant imperare, quem omnis exercitus Imperatorem dixerat. XI.

## PROBVS.

IMP*erator*, PROBVS. AVG*ustus*. Caput *Probi* radiatum; sceptrum eburneum dextra tenentis, ac veste palmata, triumphali XII.

phali induti, ab res feliciſſime geſtas. Hic enim Vir domi foriſque conſpicuus; Vir Aureliano, Traiano, Hadriano, Antoninis, Alexandro, Claudioque præferendus, uti loquitur Fl. Vopiſcus, niſi quia in illis varia, in hoc omnia præcipua fuere; qui poſt Tacitum omnium bonorum judicio, Imperator eſt factus, Orbemque terrarum pacatiſſimum gubernavit, deletis Barbaris gentibus, deletis etiam plurimis tyrannorum, qui ejus temporibus exſtiterunt. Ab ipſa adoleſcentia tam clarus fuit, ut Valeriani judicio Tribunatum prope imberbis acceperit; ac poſtmodum omni virtutum militarium genere excelluerit, adeo ut Tacito abſumpto fataliter, omnes Orientales exercitus eundem Imperatorem elegerint, cum Senatus approbatione. Imperator factus, ſtatim, ſi qui de interfectoribus Aureliani ſuperfuerant, item in eos, qui Tacito inſidias ſtruxerant, animadvertit. Deinde Gallias ingenti cum exercitu petiit, ubi præter ſexaginta nobiliſſimas civitates receptas, variis præliis prope quadringenta millia barbarorum defecit. Poſtea in Illyrico Sarmatas, in Thracia Gotthos depreſſit; in Oriente denique omnia pacata reddidit. De Germanis quoque & Bemyis triumphavit. Cum vero hoc modo multis laboribus milites fatigaret, nec otioſos eſſe pateretur, ab ipſis laborum pertæſis, dum, bellum Perſicum parans, per Illyricum iter faceret, ex inſidiis interemtus eſt, cum per ſex annos Imperium tenuiſſet, uti omnes Auctores teſtantur, præter Vopiſcum, qui quinto Imperii anno occiſum ſcribit.

# TABVLA XII.

I. II. III. *. *. *.

## CARVS.

IV. IMPerator, Marcus, AVRelius, CARVS. Pius, Felix, AVGuſtus. Caput *Cari* radiatum. Carus Narbone in Illyrico ge-

TAB. XII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

genitus, Romæ literarum ſtudiis imbutus, per civiles & militares gradus Præfectus Prætorii à Probo creatus, tantum ſibi apud milites amoris locavit, ut, cæſo Probo, ſolus digniſſimus videretur Imperio; cujus etiam mortem & acerrime & conſtantiſſime vindicavit, ut loquitur Fl. Vopiſcus. Accepto imperio, bellum Perſicum, quod Probus parabat, adgreſſus eſt, liberis, Carino & Numeriano, *Cæſaribus* appellatis; nullo ſibi occurrente, Meſopotamiam Carus cepit, & Cteſiphontem uſque pervenit, nomenque Imperatoris Perſici meruit. Cum vero cupiditate gloriæ ulterius pergere conſtitueret, morbo, vel fulminis ictu, vel etiam ex vulnere periit. Scriptores enim variant. Vopiſcus Carum, *medium* dicit *virum, inter bonos magis, quam inter malos Principes collocandum.*

## CARINVS.

IMP*erator*, CARINVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Carini* radiatum. Hic Cari filius natu major, cum *Cæſar*, decretis ſibi Gallia, atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis, Britannis & Africa, relictus à Patre contra Perſas proficiſcente, Cæſarianum teneret imperium, ſed ea lege, ut omnia faceret, quæ *Auguſti* faciunt, enormibus ſe vitiis, & ingenti fœditate maculavit; unde homo omnium contaminatiſſimus Vopiſco vocatur. Intellecta patris, fulmine icti, & fratris Numeriani, à ſocero interemti, morte, contra Diocletianum Auguſtum nuncupatum, Imperium variis præliis ſibi vindicavit, ſed ultima pugna apud Murgum, Mæſiæ oppidum commiſſa, victus occubuit. V.

## NVMERIANVS.

IMP*erator*, NVMERIANVS. AVG*uſtus*. Caput Laureatum *Numeriani*, filii minoris Cari Imp. Qui fratri diſſimillimus, egregie moratus, & vere dignus Imperio, eloquentiâ etiam decorus, cum patre, à quo *Cæſar* appellatus, ad bellum Perſicum profectus eſt. Ob cujus obitum nimio fletu oculos ſibi corrupit; VI.

nec diu poſt, dum lectica veheretur, ab Arrio Apro ſocero ſuo, qui invadere Imperium conabatur, occiſus eſt. Ejus vero morte fœtore cadaveris, quod tanquam vivum lectica portabatur, prodita, Aper ante ſigna & principia protractus, à Diocletiano, jam omnium conſenſu, *Auguſto* appellato, atque in tribunali ſtante, cum quæreretur, quomodo Numerianus eſſet interemtus, educto gladio percuſſus eſt, additis verbis, *Hic eſt auctor necis Numeriani.*

## DIOCLETIANVS.

VII. IMP*erator*, DIOCLETIANVS. AVG*uſtus.* Caput *Diocletiani* cum galea, cui corona radiata ſuperimpoſita. Hic Salonis Dalmatiæ obſcuriſſimis parentibus ortus, militiam à pueris ſecutus eſt. Poſt Numeriani cædem ab exercitu Auguſtus appellatus, & congreſſus cum Carino, quem prælio devicit, ſolus Imperator reſtitit, atque à Senatu magno honore exceptus. Cum in quibuſdam Imperii regionibus tyranni hinc inde inſurgerent, turbaſque excitarent, Diocletianus, ut Vir prudens, animadvertens Imperii onus ſibi uni nimis grave futurum, ut omnia in ſtatu tranquilliore contineret, Maximinianum, qui poſtea *Herculius*, uti Deocletianus quoque cognomento *Iovius* dictus, in conſortium Imperii legit, Auguſtumque appellavit. Mox ambo duos ſibi Cæſares, Diocletianus Galerium Maximianum, & Maximianus Conſtantium Chlorum, dicunt, ac præter adoptionem affinitate ſibi jungunt. Maximiliano deinde in Gallias ad turbas compeſcendas miſſo, Diocletianus in Ægyptum contra Achilleum profectus, eum fortiter profligavit, & feris dilaniandum objecit; captaque Alexandria, totam Ægyptum pacatam reddidit. Mox Armenia, Meſopotamia, aliiſque provinciis in Oriente recuperatis, & à Perſarum impetu liberatis, Victor Diocletianus in Europam redit, & triumphum à Senatu ſibi decretum, aureo & gemmato curru, magnaque pompa explevit. Tum admodum ſuperbus

atque

atque arrogans factus, divinos sibi honores deferri & adorari voluit. Sævissimam quoque persecutionem contra Christianos exercuit; at non diu post, jam senio confectus, postquam XX. annis imperasset, imperium deponere decrevit, ac privatam vitam denuo agere; quod & fecit Nicomediæ; eodemque die etiam Maximianus Mediolani imperio se abdicavit. Privatus deinde Diocletianus vixit per annos decem Salonis agriculturæ & hortorum amænitatibus operam dans, testatus nullos sibi unquam lætiores dies affulsisse: Tandem Constantino & Licinio suspectus, ac graviter ab iis increpatus, quasi Maxentio & Maximino faveret, cum mortem ignominiosam vereretur, venenum hausisse fertur, atque ita vita excessisse, natus annos sexaginta & octo, uti scribit Victor Vulgatus.

VIII. IX. X. *. *. *.

IMP*erator*, CARAVSIVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. XI. Caput *Carausii* radiatum. Hic Diocletiani temporibus, post bellum Bagaudicum in Gallia, quod ducibus Amando & Alecto, cœptum, à Maximiano vero Herculio profligatum, turbas in Britanniis excitavit, eamque, sumpta purpura, occupavit. Vir fuit rei militaris peritissimus; ideoque, cum frustra bello tentatus esset, pax ei concessa à Diocletiano. Tandem post septennium ab Alecto socio interfectus est, ut est apud Eutropium lib. IX.

IMP*erator*, ALECTVS. P*ius*, F*elix*, AVG*ustus*. Ca- XII. put *Alecti* cum corona radiata. Hic, cæso per dolum Carausio, per triennium fere Britanniam contra Romanos tenuit. Tum à Constantio, per M. Aur. Asclepiodorum Præfectum Prætorio, oppressus est, ut scribit Victor Schotti; Atque ita Britannia decimo post anno quam defecerat, sub Imperium denuo rediit.

# TABVLA XIII.

I. *.

MAXIMIANVS HERCVLIVS.

II. *Domino Noſtro*, MAXIMIANO. *Pio, Felici*, S. AVG*uſto*. Caput laureatum *Maximiani Herculii*. Sic in alio ejuſdem Nummo, cujus inſcriptio

III. IMP*erator*, C*æſar*, MAXIMIANVS. *Pius*, F*elix*, AVG*uſtus*, idem cernitur, cum galea criſtata, cui corona radiata circumdata. *Maximianus* à Diocletiano ex Cæſare *Auguſtus* appellatus, & in conſortium Imperii lectus, uti diximus, poſtquam Conſtantium Chlorum Cæſarem dixerat, & præter adoptionem affinitate ſibi junxerat, data ei in matrimonium Theodora privigna, in Galliam miſſus ad tumultus ruſticanorum, ſub Bagaudorum nomine excitatos, ducibus Amando & Æliano, qui tyrannidem ibi affectabant, ſedandos, mira celeritate eos compreſſit, ſtatimque delevit. Atque ita Gallia pacata, inde in Africam translatus, Iulianum, & gentes Quinquegentanas, ſive Quinquegentianos, barbaros ſupra limites Africæ poſitos, eam graviter quatientes, profligavit, & ad pacem redegit. Poſtea à Diocletiano perſuaſus eodem die Mediolani, quo Diocletianus Nicomediæ, imperio ſe abdicat, ac privatus in Lucaniam ſeceſſit. Sed Maxentio filio ejus poſtea à militibus Romæ *Auguſto* appellato, eò advolauit, ſpem fovens ſe denuo imperium, quod invitus amiſerat, recuperaturum: verum fruſtratus in Gallias ad Conſtantium generum ſe contulit, cui cum inſidias ſtrueret, ejus juſſu Maſſiliæ, ubi confugerat, fractis laqueo cervicibus exſtinctus eſt. *Vir ad omnem aſperitatem, ſævitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers*, inquit Eutropius lib. X. Crudeliſſimam cum Dio-

TAB. XIII.

1



2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12

Diocletiano perſecutionem in Chriſtianos inſtituit; ut nomen utriuſque propterea hodie etiamnum abominabile redditum ſit.

## CONSTANTIVS CHLORVS.

DIVO. CONSTANTIO. PIO. Caput *Conſtantii Chlori* de mortui velatum & laureatum. Hic, & Galerius Maximianus, ambo ex Cæſaribus *Auguſti* creati, Diocletiano & Maximiano Herculio abdicantibus, ſtatim in Imperium ſucceſſerunt. Diviſoque inter eos Orbe Romano, Hiſpania, Britannia, Gallia, Germania, Italia & Africa, Conſtantio; Illyricum, Aſia cum reliquo Oriente Galerio ceſſit. Sed Conſtantius Italiæ & Africæ adminiſtrationem recuſavit, ut ſcribit Eutropius, reliquis vero partibus diligentiſſime præfuit; eoque regnante in Hiſpaniis, Galliis & Alpibus omnia tranquilla fuere, ac hoſtes Pop. Rom. ab armis ceſſavere. Obiit Eboraci in Britannia, Principatus anno decimo tertio, uti eſt apud Victorem Schotti, & Eutropium; quod capiendum ab eo tempore, quo Cæſar à Diocletiano appellatus; nam Imperium non multum ultra biennium tenuit; mortuus enim, ipſo VI. & Galerio Maximiano VI. COSS. ut ex Faſtis Idatii conſtat. IV.

## GALERIVS MAXIMIANVS.

IMP*erator*, GAL*erius*, MAXIMIANVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Galerii Maximiani* radiatum. Hic Dacia Ripenſi ortus, parentibus agrariis, unde *Armentarius* dictus, ex *Cæſare* cum Conſtantio Chloro poſt Diocletiani & Maximiani Herculii abdicationem, *Auguſtus* & *Imperator* appellatus, una cum Conſtantio Orbi Romano præfuit. Poſtquam Conſtantius Chlorus Italiam & Africam reliquit, adoptavit, *Cæſareſque* appellavit C. Galerium Val. Maximinum, & Fl. Val. Severum: Hunc præpoſuit Italiæ & Africæ, Illum Orienti. Poſt Severi mortem Gal. Maximianus Licinium Seniorem Carnuti in Pannonia *Cæſarem* appellavit, V.

lavit, Illyricoque præfecit; ipſe contra Maxentium Romam tendens, audita militum defectione, in Illyricum revertitur. ibique cum fœdiſſimo morbo colluctatus, ulcere inguinibus innato, conſumptis genitalibus & vermibus undique erumpentibus, meritas luit pœnas, dignumque crudeli vita exitum nactus eſt, homo libidinoſus & ſæviſſimus Chriſtianorum hoſtis.

## MAXENTIVS.

VI. IMP*erator*, MAXENTIVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput laureatum *Maxentii*, qui Maximiani Herculii filius ex Eutropia Syra, ut præter Zoſimum & Eutropium, ſcribit Victor uterque, quamvis Victor Vulgarius addat: *Sed Maxentium ſuppoſitum ferunt arte muliebri.* Idem legitur in Panegyrico Conſtantino dicto: *Ille erat Maximiani ſuppoſitus, tu Conſtantini Pii filius.* Ipſe etiam Maximianus Herculius ita credidiſſe videtur, utpote qui in ſucceſſione Imperii prætulerit Conſtantium Chlorum. Cæterum Maxentius Romæ à prætorianis militibus *Imperator* & *Auguſtus* appellatus, Fl. Val. Severum, qui à Galerio Maximiano *Cæſar* dictus, contra ſe venientem fudit, & occidit. Poſt cujus mortem, ipſo Galerio Maximiano, re infecta in Illyricum quoque redeunte, ibique exſtincto, contra Maxentium, Romam libidinibus, & tyrannide ſuâ graviter affligentem, vocatus à Senatu in auxilium Fl. Val. Conſtantinus, qui poſt Conſtantii Chlori mortem in Britannia ab exercitu *Auguſtus* appellatus, ingenti prælio eum devicit; & ipſe Maxentius fugiens ruina pontis Mulvii in Tiberim præceps datus, ſubmerſus eſt, meritumque ſceleribus ſuis exitum invenit.

VII. *.

## GAL. VAL. MAXIMINVS.

VIII. IMP*erator*, MAXIMINVS. P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput laureatum *Galerii Maximini.* Qui à Galerio Maximiano,

è cujus

cujus ſorore progenitus, una cum Fl. Val. Severo, adoptatus, *Cæſar*que appellatus, ac Orienti præpoſitus eſt, ante imperium vero nomine *Daza* vocatus. Poſt cæſum Severum, cum audiviſſet Licinium à Galerio Maximiano *Cæſarem* dictum, hucuſque Cæſar, ſe ipſum *Auguſtum* appellavit. Verum poſt biennii auguſtum Imperium à Licinio fuſus, fugatuſque, apud Tarſum periit, ut ſcribit Victor Schotti. Fuit & hic Gal. Val. Maximinus crudeliſſimus Chriſtiani nominis hoſtis. Diligenter vero *Galerius Maximianus*, & *Galerius Maximinus* à ſe invicem diſtinguendi ſunt, quod potiſſimum ex Nummis antiquis fiere poteſt; nam & Veteres Hiſtorici ſæpe hos confundunt, & in nominibus *Maximiani* & *Maximini* haud raro graviter hallucinantur, ut notavit ὁ πάνυ Scaliger ad Euſebium n. 2326 & 2327. unde magnæ incautis Lectoribus oriuntur tenebræ.

## VAL. SEVERVS.

FL*avius*, VAL*erius*, SEVERVS, N*obiliſſimus* C*æſar*. IX. Caput *Val. Severi* laureatum. Hic, ut modo diximus, qui à Galerio Maximiano, una cum Galerio Maximino *Cæſar* appellatus, Italiæ & Africæ præfuit. Dum ab Urbe abeſt, Maxentius interim à prætorianis militibus, non abnuente Senatu, Auguſtus conſtituitur, magnaſque vires ſtatim acquiſivit. Contra quem Severus profectus, viribus impar, fugere coactus Ravennam uſque, ubi deliteſcens, dolo Maximiani Herculei Romam ire perſuaſus, in via ad *Tres Tabernas*, (quæ tribus millibus paſſuum ab Interamna fuerunt, inter Romam & Ravennam ſitæ, & ita dictæ à tribus cauponis, vel diverſoriis publicis, laqueo exſtinctus eſt, ut ſcribit Zoſimus Hiſtor. lib. II.

## LICINIVS SENIOR.

X. IMPerator, LICINIVS, Pius, Felix, AVGustus. Caput *Licinii Senioris* laureatum. *Licinius*, Dacia oriundus, post Val. Severi necem à Galerio Maximiano *Imperator* est factus, *Augustus*que dictus. Notus ei antiqua consuetudine, & in bello quod contra Narsen gesserat, strenuus laboribus & officiis acceptus, ut est apud Eutropium lib. X. Gal. Maximinum in Oriente res novas molientem prælio fudit. Constantiam, sororem Constantini Magni, uxorem habuit; quæ tamen affinitas non obstitit, quin variis præliis de Imperio certarent; in quibus ut plurimum Victor Constantinus; ita, ut Licinius pacem petere coactus sit, quam & impetravit his conditionibus, ut Licinius ipse Orientem; Asiam, Thraciam, Mœsiam, Scythiam minorem possideret. Filii Constantini, Fl. Iul. Crispus, Fl. Claudius Constantinus, & Val. Licinian. Licinius, Licinii filius, & Constantii Chlori ex filia Fl. Val. Constantia nepos, *Cæsares* designarentur, ut est apud Anonymum à Valesio editum. Verum pace iterum rupta à Licinio, varie denuo ab utraque parte pugnatum est. Tandem Licinius navali & terrestri prælio victus, apud Nicomediam se dedidit. impetrata ei vita per Constantiam uxorem à fratre Constantino, hac conditione, ut posita purpura privatus viveret. Postea tamen contra datum fidem Thessalonicæ occisus est; atque ita totius Romani orbis Imperium solus Fl. Constantinus, Constantii Chlori filius, nactus est.

## LICINIVS IVNIOR.

XI. LICINIVS, IVNior, NOBilissimus, CAESar. Caput laureatum *Licinii Iunioris*, dextra Orbem, cui Victoriola insistit, tenentis. Hic Licinii Imp. ex Constantia, Sorore Constantini, filius, à Constantino, una cum duobus ejus filiis, Iul. Crispo, & Constantino Iuniore, *Cæsar* appellatus est, cum vigesimum jam æta-

TAB. XIV.

1

2

3

4

5

6

7

8



9



10



11



12



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12

ætatis omnum ingreſſus eſſet, ut eſt apud Zoſimum lib. II. Iuvenis egregius & commodæ indolis ut Eutropio dicitur, inſidiis Fauſtæ, Conſtantini M. conjugis, ne peritia in militando filiis obeſſet, circumventus, & è vivorum numero ſublatus eſt.

XII. *

# TABVLA XIV.

## MARTINIANVS.

*Dominus Noſter*, *Marcus*, MARTINIANVS, *Pius*, *Felix*, AVG*uſtus*. Caput *Martiniani* radiatum; Qui ex Officiorum Magiſtro, à Licinio poſt infelix prælium ad Hadrianopolin, *Cæſar* appellatus, ejuſque partes contra Conſtantinum ſecutus eſt. Licinio autem victo, Martinianum Conſtantinus ſatellitibus ſuis occidendum tradidit, ut ſcribit Zoſimus Hiſt. lib. II. I.

## ROMVLVS.

DIVO ROMVLO, NVBIS, CONS*ervatori*. Caput juvenile nudum *Romuli*, filii Maxentii, qui à patre *Cæſar* dictus, & bis Conſul factus. Obiit arte parentem, à quo conſecratum, & inter DIVOS relatum ex hujus Nummi inſcriptione manifeſtum. II.

## CONSTANTINVS MAGNVS.

CONSTANTINVS, AVG*uſtus*. Caput laureatum *Fl. Val. Conſtantini*, cognomine *Magni*, filii Conſtantii Chlori ex Helena priore uxore. Hic natus, non in Britannia, ut Baronius in Annalibus contendit; non etiam *Tharſi*, ut ex corrupta apud Firmicum lectione Livinæus & Lipſius volunt, ſed apud *Naiſſum*, III.

*Daciæ mediterraneæ oppidum*, uti eſt apud Anonymum à Valeſio editum, item Stephanum in Ναΐσσος; Conſtantinum Porphyrogennetum lib. II. περὶ θεμάτων. & ita quoque eſt apud Firmicum in MSS. in quibus *apud Naiſum genitus*, non *apud Tharſum* legitur, ut Viris Doctiſſ. obſervatum. In Britannia vero, ubi advenerat, cum patrem Conſtantium ultima fata perurgebant, ut loquitur Victor Vulgatus, ſtatim poſt ejus mortem ab omni exercitu *Imperator* primum ſalutatus eſt; A quo tempore, quamvis Conſtantinus imperium re vera ſuſceperit, *Cæſaris* tamen appellatione contentus, *Imperatoris* & *Auguſti* nomen tum demum recepit, cum Fauſtam Maximiani Herculei filiam, uxorem duceret, uti manifeſtum ex Auctore Panegyrici V. cap. 1 & 2. Cæſar annis tribus in Galliis ſumma cum laude imperavit. A Senatu accerſitus contra Maxentium, Italiam ab ejus tyrannide liberavit, eamque biennii ſpatio cum Urbe priſtinæ majeſtati aſſeruit. Hinc Conſtantino arcus triumphalis à S. P. Q. R. erectus, appellatuſque eſt *Liberator Vrbis*, & *Fundator Quietis*. Poſt Licinium variis præliis devictum, & tandem occiſum, cum univerſum imperium Romanum in ſolius Conſtantini poteſtatem deveniſſet, inſolentior factus *Magni* & *Maximini*, ut eſt in Nummis, cognomen aſſumpſit. Ob Iul. Criſpum filium ex Minervia, aut Minervina, ſeu concubina, ſeu uxore, Cæſarem antea dictum, à Fauſta noverca falſo delatum, quaſi ipſam de ſtupro compellaſſet, inſontem ejus juſſu necatum, admodum male audivit. Sed & ipſam Fauſtam, ſcelere comperto; cum calenti ſupra modum balneo incluſiſſet, mortuam extraxiſſe, Auctor eſt Zoſimus lib. II. & Victor Vulgatus. Maximum poſt hæc opus ſuſcepit & perfecit, in amplificanda Byzantio urbe, quam de nomine ſuo *Conſtantinopolim* dici voluit, & *Novam Romam*; Imperii ſedem eo transferens; utque incolas eo alliceret, variis & inſignibus privilegiis Senatum, Populumque Conſtantinopolitanum ditavit. Converſus poſtea ad

bella

bella externa, Gotthos atque Sarmatas Thraciam diripientes variis præliis profligavit; quibus devictis, cum deinde Senex adversus Persas Mesopotamiam lacessentes bellum moliretur, ac copiis coactis Sotiropolim peteret, ut aquis calidis senile corpus foveret, hausto pharmaco, cui, ut ajunt, venenum immixtum, in morbum paullo post incidit; quo ingravescente ductus est in villam publicam prope Nicomediam, ubi anno ætatis sexagesimo & sexto, imperii verò trigesimo & uno, vitam cum morte commutavit. Corpus regia pompa Constantinopolim perductum à filio Constantino, & ibidem in templo XII. Apostolorum, in commune cum matre Helena sepulcrum depositum. Multis laudibus Constantinus M. à Veteribus Christianis Scriptoribus celebrari solet, ut qui primus Imperatorum Christianam fidem amplexus fuerit, ac Christianos omnes, eorumque Antistites & Præsules multo favore multisque beneficiis cumulaverit. Etsi hæc omnia in speciem potius à Constantino acta videri possint, quam quod ex animi sententia ita crederet. S. Baptisma saltem in extremum vitæ tempus distulit, cupiens, uti ajunt, in Iordane baptizari; ac moribundus demum ab Episcopo Nicomediensi baptizatus fertur. Cæterum, ut ad Nummum redeam, cernitur heic Constantinus M. ad amussim prout à Cedreno describitur, nempe *cervice crassa, capillo non denso, oculis leoninis, naso paullulum incurvo, genis amplis, barba rufâ*, aut potius *nulla*; cum cæteri Imperatores ab Hadriano fere omnes, qui ejus fuere ætatis, barbam satis densam & longam aluerint. Sic ut Constantinus M. tanquam alter Augustus, ob barbam rasam, imberbis plane compareat, sive id ab eo factum, ut à Novæ Vrbis conditore, sive potius in signum religionis mutatæ, & aversionem, quam a moribus Imperatorum gentilium haberet, designandam. Sane successores ejus omnes, qui Christum profitebantur, eum hac in re imitati sunt, ut ex Nummis eorum manifestum.

## CONSTANTIVS.

IV. *Dominus Noſter*, CONSTANTIVS, *Pius, Felix*, AVG*uſtus*. Caput *Conſtantii* filii Conſtantini M. cum diademate ex duplici unionum ſerie gemmato, ad exemplum parentis, qui tranſlata imperii ſede Conſtantinopolim, præter lauream regium etiam iſtud inſigne, faſciam gemmatam ſive Diadema, circa caput adſumpſit. Sic in Num. ſeq.

V. CONSTANTINVS, MAXI*mus*, AVG*uſtus*. ipſe *Conſtantinus Magnus* cum diademate gemmato cernitur; Victor Vulgatus de eo: *Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate*. Poſt Aurelianum, quem primum ex Imper. Rom. fatiſcente imperio, ſupra ex eodem Victore, diadema capiti innexuiſſe notavimus, Conſtantinus M. & qui eum ſecuti ſunt, ſucceſſores, ſemper fere diademati, rarius laureati in nummis conſpiciuntur.

## IVLIANVS.

IV. D. N. FL*avius*, CL*audius*, IVLIANVS, P*ius*, F*elix*, AVG*uſtus*. Caput *Iuliani*, qui ob divortium à Chriſtiana religione, *Apoſtatæ* cognomine inſignitus, cum ſimili diademate gemmato. Ac Iulianum tali uſum diſertis verbis teſtatur Ammianus Marcellinus lib. XXI. *Quinquennalia Auguſtus jam edidit, & ambitioſo diademate utebatur, lapidum fulgore diſtincto: cum inter exordia principatus adſumpta vili corona circumdaretur, Xyſtarthæ ſimilis purpurato*. Quod de initio Principatus Ammianus ait, idem lib. XX. ubi, cum primum *Auguſtus* diceretur, quam averſus ab ejus uſu videri voluerit, tanquam muliebri ornatu, Iulianus, ita refert: *Impoſitus ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, populo ſilente, Auguſtus renunciatus, jubebatur Diadema proferre: negansque unquam ſe habuiſſe; uxoris*

*uxoris colli vel capitis poſcebatur. Eoque affirmante, primis auſpiciis non congruere muliebri mundo, equi phaleræ* (quæ tum gemmis exornatæ ut plurimum) *quærebantur, uti congrua ornatus ſpecie ſaltem obſcuram ſuperioris prætenderet poteſtatis. Sed cum id quoque turpe eſſe aſſeveraret, Maurus nomine quidam, poſtea comes, qui rem male geſſit apud Suecorum anguſtias, Petulantium tum haſtatum, abſtractum ſibi torquem, quo ut draconarius utebatur, capiti Iuliani impoſuit confidenter. &c.* Hinc etiam eſt, quod Julianus in *Cæſaribus*, Conſtantinum M. exagitet, ut nimis mollem, & mulierum more comam exornare ſolitum, quod intelligendum de diademate gemmato, circa caput. Baronius in Annalibus ad an. 337. Conſtantinum à Juliani ſcommatibus defendere conatur, quaſi Lauream Coronam rejecerit, tanquam religioſiſſimus Chriſtianus, eamque exhorruerit, utpote ex Gentilium ſuperſtitionum Officina promanantem, & Apollini dicatam. Sed hanc non fuiſſe illius mutationis cauſam, ſatis apparet ex eo, quod Conſtantinus omni tempore & laurum, & diadema indifferenter geſtaverit, nunquam vero lauream coronam plane rejecerit; ſed diadema gemmatum tanquam regium inſigne, & quaſi quoddam ſummi faſtigii ornamentum eminentius adſumpſiſſe videtur. Iulianum porro Ammianus lib. XXV. deſcribit quod fuerit *mediocris ſtaturæ, capillis tanquam pexiſſet mollibus, hirſuta barba in acutum deſinente veſtitus, venuſtate oculorum micantium flagrans, ſuperliis decoris, & naſo rectiſſimo, ore paullo majore, labro inferiore diviſo, opima & incurva cervice, humeris vaſtis & latis*, &c. plane uti effigies ejus in hoc Nummo cernitur; Barbam denſam & hirſutam an geſtaverit tanquam Philoſophiæ deditus, an vero odio Chriſtianæ religionis, & ne quid commune haberet cum Conſtantino ejuſque filiis, qui imberbes plane conſpiciuntur, incertum. Sane Iulianum hirſutum ab aulicis Conſtantii deriſum, & *capellam*, *non hominem* appellatum idem notat Ammianus lib. XVII. Et quomodo Antiochenſes, qui inter primos Chriſtianam fidem amplexi, Julianum, ejuſque barbam longam exceperint, legere eſt apud eundem

Am-

Ammianum lib. XXII. *Ridebatur enim ut Cercops, homo brevis, humeros extentans anguſtos, & barbam præ ſe ferens hircinam* &c. Hinc etiam nata invectiva illa Juliani in Antiochenſes, quam *Miſopogonem* inſcripſit, ubi delitias & luxum Antiochenſium, eorumque mores corruptos ſalſe atque acerbe perſtringit; ſummam ipſis mollitiem exprobrans; quod dixerant, etiam ex *hirſuta ejus barba funes necti oportere*, κἀγὼ ἑτοίμως παρέχειν ἔχω, ὧν μόνον ἕλκειν δυνηθείητε, καὶ μὴ τὰς ἀτρίπτους ὑμῶν, καὶ μαλακὰς χεῖρας ἡ τραχύτης αὐτῶν δεινὰ ἐργάσηται, *Et ego vobis*, inquit, *perlibenti animo concedam, modo pilos poſitis extrahere, neque eorum aſperitas veſtras molles & delicatas manus offendat.* Addit porro, ſe iſto convicio gravius non commoveri, utpote qui ejus cauſam præbeat, hircorum ſimile mentum gerens, cum poſſet hoc læve, glabrumque efficere, formoſorum puerorum, milierumque inſtar; quas Antiochenſes in ſenectute etiam imitari dicit, & pro delicatiſſima eorum vita, & ſimpliciſſimis fortaſſe moribus ſtudioſe illud glabrum reddere, & virum, non ut ipſe, ex genis, ſed ex fronte oſtendere. Neque ſe prolixitate barbæ contentum, ſed præterea habere caput ſquallidum, raro tonderi, raro ungues ſecare, ac digitos etiam ex calamo fere nigros habere; præterea, eſſe ſibi pectus horridum atque hirſutum, eamque eſſe animi ſui aſperitatem & abjectionem, ut nunquam ullam corporis partem levem mollemque effecerit; omnia quæ, & ſimilia auſtera, quibus ipſe aſſueverat, delicatæ urbi quam maxime repugnarent. Sufficiant hæc obiter de Iuliano, qui cum inter plurimas virtutes, quibus, ringente licet invidia, optimis etiam Imperatoribus facile par, ſi non ſuperior fuit, vitiis tamen non minoribus abundaverit, varia ſemper hominum judicia, prout quiſque nimirum animatus, expertus eſt, quæ hodieque necdum ceſſant.

## EVGENIVS.

VII. D. N. EVGENIVS. *Pius, Felix, AVGuſtus.* Caput agmen

*Eugenii* cum diademate gemmato, eaque propter heic adjuncti, ut agmen claudat, cujus Nummi sunt carissimi. Hic ex Grammatico, & Litterarum Latinarum Doctore, post occisum Gratianum, sub Theodosio Magno, insidiis Arbogastis, Gallias occupavit, & *Augusti* nomen & dignitatem adsumpsit. Sed biennio post oppressus à Theodosio, interfectus, & Tyrannus declaratus est, Arbogaste quoque proprias sibi manus inferente.

VIII. IX. X. XI. XII. *. *. *. *. *.

Huc usque Ectypa Imperatorum ex Numismatibus, prout à Collectore in hisce Tabulis digesta fuere, qui in *Constantino Magno* subsistendum sibi ratus, nec ad liberos ejus, aut cæteros successores progrediendum, quia, præterquam quod omnes imberbes, sive rasa barba, uti & diademate gemmato, nec non consueto postea titulo D. N. *Domini Nostri*, ornati conspiciantur, eorum effigies adeo sibi similes sunt, ut majoris vel minoris ætatis ratio, aut differentiæ alterius nota vix ulla observari, aut discerni possit.

# CLASSIS II.

## REGIONVM, PROVINCIARVM, OPPIDORVM, FLVVIORVMQVE SYMBOLA exhibens.

## TABVLA XV.

I. NUm. *Hadriani*, cum Inſcr. RESTITVTORI ORBIS TERRARVM. Imp. *Hadrianus* togatus, mulierem capite turrito in dextrum genu prolapſam, & *Orbem*, ſive *Sphæram* ſuſtinentem, dextra porrecta ſublevare conatur. Quo Schemate deſignatur Terrarum Orbem oppidis cultum & ædificatum, Hadriani Imperatoris beneficiis inſtauratum ac recreatum. Eoque faciunt iſta Spartiani in Ejus Vita : *Nullus fere Principum tantum terrarum tam celeriter peragravit.* Et mox : *In omnibus pene Vrbibus & aliquid ædificavit & Ludos edidit.*

II. Num. *I. Cæſaris*, cum Inſcr. L. MVSSIDIVS LONGVS. *Globus* terrarum, ſive *Sphæra* cum Gubernaculo navis, Cornucopiæ, Caduceo, & Apice Pontificali, ad deſignandum ſub I. Cæſare Terrarum Orbem, juſto regimine, omnium rerum Abundantia, Religione & Pace felicem fuiſſe. L. MVSSIDIVS LONGVS, qui primum hunc cudit, IIII Vir fuit Monetalis iſto tempore, uti ex aliis nummis ab eo cuſis conſtat.

III. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. PAX ORBIS TERRARVM S. P. Q. R. *Orbis* terrarum inter duos *Oleæ* ramos; quo Symbolo *Pax Vniverſalis* ſub Auguſto, qui ſæpius Ianum cluſit, denotatur.

Num.

TAB. XV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10




11

12



Num. *Didii Iuliani*, cum Inſcr. RECTOR ORBIS. IV. Imp. *Didius Iulianus* togatus, dextra *Orbem* tenens. Per togam, qua Imp. indutus, ſignificare videtur, quod Imperium Rom. ſibi concreditum ſuper Orbem terrarum Pacis artibus adminiſtraturus ſit.

Num. *Commodi*, cum Inſcr. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. V. COS. V. P. P. Imp. *Commodus* Sellæ Curuli inſidens, dextra *Globum* ad Orbis terrarum Imperium deſignandum, tenens, à Victoriola advolante coronatur. Deſcribit hunc virum Salluſtius lib. II. Hiſtor. uti ejus verba à Macrobio lib. III. Saturnal. cap. XIII. nobis ſervata ſunt. *Præterea ſedenti in tranſenna demiſſum Victoriæ ſimulachrum cum machinato ſtrepitu tonitruum, coronam ei imponebat.* Sic D. Gregorius Nazianzenus Invectiva I. in Iulianum. *Imaginibus Imperatorum alii aliud quid appingere ſolent. Quidam Civitates clariores dona ferentes; alii autem Victorias capiti eorum coronas imponentes*, Græca Gregorii verba adducemus infra ad Tab. LXXI. Num. II.

Num. *Gordiani*, cum Inſcript. P. M. TR. P. IIII. COS. II. VI. P. P. Imperatorem *Gordianum* militari habitu amictum exhibet, ſiniſtra *Orbem*, dextra haſtam ferentem.

Num. *Gallieni* cum Inſcript. RESTITVTOR ORBIS. VII. Heic Imperator *Gallienus* ſiniſtra haſtam in terram defixam tenens, dextra hominem nudum ſublevat; per hominem nudum Terrarum Orbis deſignatur, cujus RESTITVTOREM ſe Gallienus prædicat.

Num. *Hadriani* cum Inſcript. LOCVPLETATORI VIII. ORBIS TERRARVM. S. C. Imperator *Hadrianus* in Tribunali Sellæ inſidens, & juxta eum fæmina *Abundantiam* exhibens, à Cornucopiæ nummos effundens in ſinum populi, ante Tribunal ſtantis, nummoſque effuſos togæ lacinia excipientis.

Summam Hadriani Liberalitatem & Beneficentiam deſignat, ut qui orbem Terrarum Munificentia ſua locupletaſſe dicitur.

XI. Num. *Ejuſdem Imp.* cum Inſcr. RELIQVA VETERA HS. NOVIES MILL. ABOLITA. Imp. *Hadrianus* ſiniſtra ſceptrum tenens, dextra verò facem accenſam, qua ſchedularum faſciculum in terra jacentem exurit; ante eum tres figuræ togatæ, quarum propior manu extenſa & ſublata gaudium & acclamationes populi conteſtatur. Percuſſus hic Nummus in memoriam ſingularis illius Beneficentiæ, qua Hadrianus Vetera *Reliqua* Debita Pop. Romani privatis debitoribus remiſit. Qua de re Spartianus in Hadriano: *Infinitam pecuniam quæ fiſco debebatur, privatis debitoribus in Vrbe atque Italia, in Provinciis vero etiam ex* RELIQVIS *ingentes ſummas remiſit; ſyngraphis in foro Divi Trajani, quo magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.* Idem quoque teſtatur Dio, & ejus rei fidem facit hic Nummus; in quo nativa rei geſtæ repræſentatio. Schedulæ in terra jacentes Syngraphas incenſas referunt. Recte autem Cl. E. Spanhemius Diſſertat. IX. de Vſ. & Præſt. Numiſm. per RELIQVA in hoc Nummo deſignari ait, publica & fiſcalia debita tam Civium Romanorum, quam reſidua Provinciarum ex præteritis Vectigalibus & Tributis; ubi & alia præclara habet ad Nummi hujus intelligentiam. Cæterum notanda quoque Magnitudo hujus Largitionis, de qua nullum apud Auctores indicium, quam Nummus expreſſit: HS. NOVIES MILL. quæ ſumma Doctiſſimorum hominum calculo adſurgit ad ducenties vicies quinquies centena millia ſcutatorum Philippeorum, ſeu, ut hodie loqui amant ad viginti duos milliones cum dimidio.

X. Num. *Auguſti* cum Inſcript. M. COCCEIVS M. F. NERVA III VIR. S. P. Q. R. In hoc Nummo cernuntur tres *Globi* pyramidatim diſpoſiti, quorum primo inſcriptum ASI; ſecundo EVR. tertio AFR. ad deſignandam *Aſiam*, *Europam*, & *Afri-*

*Africam*, ſive tres illas partes, in quas Veteres totum terrarum Orbem diſtinguere ſolebant; ac Nummus indicare vult, omnes totius Orbis nationes Romano Imperio ſubjectos eſſe. M. *Cocceius* M. F. *Nerva Triumvir*, cujus meminit inſcriptio, haud dubio fuit Triumvir Monetalis; quamvis Literas conſuetas A.A.A. F.F. id eſt, *auro*, *argento* *ære flando*, *feriundo*; quibus horum munus in Nummis alias deſignari ſoleat, heic adſcriptas non videamus.

Num. *Auguſti*, cum Inſcript. ASIA RECEPTA. *Victo-* XI.
*ria* alata, ſiniſtra manu Laurum, dextra coronam tenens, baſi inſiſtens. Infra duo ſinuoſi, & invicem caudis impliciti, angues adverſi adſurgunt; capita ab utraque parte Victoriæ hinc ad Coronam, inde ad Laurum uſque attollentes, & aperto ore quaſi adſibilantes. Gemini iſti Angues quid ſibi velint in hoc Nummo Auguſti, uti & in aliorum, Veſpaſiani nempe, & Titi, nec non Antonii Triumviri Nummis de quibus mox videndum, ubi ſimiles ſerpentes cernuntur, variis conjecturis à viris doctiſſimis tentatum. Ant. Auguſtinus ſuſpicatur eſſe aliquod tropæum, quod Auguſtus erexit in limitaneo Aſiæ & Europæ tractu, eaſque partes Orbis heic anguibus ſignificari. Æneas Vicus exiſtimat eſſe Victoriam Aſiaticam ſeu Ægyptiacam contra Antonium & Cleopatram ſerpentibus duobus deſignatam. Joan. Triſtanus quoque in Commentariis ſuis De Nummis, heic etiam Serpentes pro Victoriis accipit. Ab his omnibus abit Caſp. Gevartius in Triumpho Auſtriaco, ſive Pompa introitus Sereniſſ. Principis Ferdinandi Auſtrii, Hiſpaniarum Infantis Cardinalis, in Vrbem Antverpiam, ubi *Serpentem*, hoſtilitatis, diſſidii, Seditionis, bellique ſymbolum eſſe cenſet. Utque in Mercurii Caduceo, Pacis inſigni, Angues gemini, virga media diviſi, hoſtes ſejunctos, pacemque factam eſſe deſignant; unde apud Iſidorum Origin. lib. VIII. cap. XI. *Mercurius Virgam tenet, quæ Serpentes dividit, id eſt venena. Nam bellantes & diſſidentes Interpretum oratione ſedantur.* ita eodem modo in Nummo hoc

Augustæo, idem symbolice & hieroglyphice donotari asseverat. Putat nempe, per *geminos angues* heic expressos, designari Romani Imperii geminas in factiones divisi hostilitates, & dissidia, bellumque civile, quæ *Victoria* media dirimuntur; scilicet post M. Antonium apud Actium auspiciis ductuque Octaviani Augusti superatum. Et tum ASIA est RECEPTA, quæ in divisione Imperii M. Antonio obtigerat. Plurimis vero Veterum Scriptorum testimoniis ibidem adductis, Cl. Gevartius *Angues* hostilitatis, bellique Symbola esse probat. Gevartii sententiam olim secutus est Alb. Rubenius in suo ad prisca Imperatorum Rom. Numismata Commentario, quem, ut ipse ait, adolescens scripserat. Postea vero idem A. Rubenius Sententiam mutavit, aliamque protulit peculiari Dissertatione De Nummo Augusti, cujus Epigraphe, ASIA RECEPTA, quæque cum aliis ejus Opusculis postumis, haud ita pridem à Cl. Grævio in lucem edita est. Sententiam autem, quam ibi in medium fert A. Rubenius, quia ab omnibus aliis longissime discedit, submittit censuræ Eruditorum, & præsertim Doctissimi viri Ludovici Nonnii, cujus exstant eruditissimi in prisca Græciæ Numismata Commentarii. Ejus autem summa huc redit. Cum constet in Numismatum Romanorum & Græcorum postica parte, sæpe nomen civitatis, ubi percussa sunt, adjici solere, sæpe etiam insigne solum illius Vrbis aut regionis, ubi nummus cusus; quod variis exemplis antiquornm nummorum in medium adductis confirmat A. Rubenius, ita & censet, hunc Augusti Nummum, nec non Antonii, Vespasiani, & Titi nummos, signatos esse in loco aliquo, cujus insigne erant *duo Serpentes implexi*. Cum autem alibi, quam Romæ nummi isti signati sint, uti satis colligitur ex forma ipsorum, ideo non dubitat affirmare, illos in Creta insula percussos esse; atque hoc denotare duos illos angues, qui Cretensium insigne sunt, uti patet ex Nummis eorum apud Goltzium in Insulis Græciæ Tab. III. qui habent duos serpentes eodem modo implicitos, cum pharetra intermedia, & inscriptione KPHTAIΩN;

nec

nec non ex aliis Cretenſium Nummis apud eundem Golzium Tab. IV. qui habent hos angues implexos cum templo quodam, aut etiam Iove intermedio. Ex quibus ſatis manifeſtum, hoc Cretenſium inſigne gentilitium eſſe. Præſertim autem Rubenius in hac opinione confirmatur, quod videat baſin illam, cui in hoc Auguſti, uti & in Veſpaſiani & Titi, Nummis, Victoria inſiſtit; in Antonii vero muliebre caput, & fæmina urceum tenens, non aram eſſe, vel cippum, ut alii credunt, ſed ex accurate à ſe inſpecto nummo Auguſti, affirmat eam eſſe ciſtam myſticam, (quod & vidiſſe jam Pierium Valerianum, qui lib. XV. Hieroglyph. cap. XIV. ait, Victoriam calathiſco inſiſtere) eadem plane forma, qua cernitur in nummis Cretenſium apud Golzium in Inſulis Græciæ Tab. III. Num. V. & Tab. IV. Num. III. niſi quod in his Cretenſium Nummis ciſtæ illæ levato paululum orificio expreſſæ ſunt; in Auguſtis vero & Antonii penitus clauſæ, utpote quibus alia quædam figura inſiſtit. Ciſtam autem eſſe baſin illam, colligit ex ſtriis multis & lineis eam in Auguſti & Antonii nummis dividentibus, quomodo nuſquam alibi in nummis aliis altare aut cippus effictus. Striis autem iſtis cannas deſignari, ex quibus conflabantur ciſtæ, uti conſtat ex Iſidoro lib. XX. Orig. cap. IX. Hinc Rubenio videtur, ut Cretenſes in Nummis ſuis ab una parte duos angues, ab altera Sacram ciſtam exprimebant; ita & in his Romanorum Imperatorum nummis in Creta ſignatis cum Imperatoris caput unam partem Numiſmatis occupet; à poſtica parte utraque ſimul Cretenſium inſignia, duos angues implexos, & ciſtam myſticam, impreſſa eſſe. Cretenſes autem ciſtam cum Serpente in Nummis ſuis ſignaſſe ab Orgia Bacchica, quæ apud eos celebrabantur, & quorum inventionem Cretenſes ſibi arrogabant, late in ſequentibus probat Rubenius. Quibus perdocte explicatis, concludit tandem, in hoc Auguſti Cæſaris Nummo, qui ab una parte habet Caput ejus, cum Inſcript. CÆSAR IMP. VII. ab altera parte Cretæ, ubi percuſſus, inſignia, Ciſtam inter duos Serpentes, cui inſiſtit Victoria, cum Inſcript. ASIA RE-

RECEPTA; Victoriam heic adjunctam esse, ob Victoriam Actiacam, qua Cæsar Asiam recepit; & in qua Victoria obtinenda haud malam operam præstitisse Cydoniatas & Lampæos, Cretæ incolas, quibus ideo Cæsar statim post Victoriam libertatem dedit, teste Dione Cassio lib. LI. Κυδωνεάτας τε καὶ Λαμπαίους ἐλευθέρους ἀφῆκεν, ὅτι τινὰ αὐτῷ σωτήριον τοῖς γε Λαμπαίοις καὶ τὴν πόλιν ἀνεσῶσαν συγκαλώκισε. *Cudoniis ac Lampæis libertatem dedit, præstiti sibi auxilii causa, instaurata etiam Lampæorum civitate, quæ eversa fuerat.* Hæc est Alb. Rubenii de hoc Augusti Nummo sententia, cujus summam, cum ingeniosa & perdocta sit, heic adducere visum[4]; quamvis Lud. Nonnius Archiater Antverpianus, Antiquarius eximius, quem suæ & Gevartianæ super *Augustæi Nummi* interpretatione controversia Arbitrum delegerat Rubenius, juxta Gevartii Sententiam Suffragium suum dederit, uti notatum ad calcem Dissertationis istius. Interim tamen hoc non dissimnlandum, Serpentem & Draconem Felicitati, Victoriæ, Salutis Symbolum frequenter fuisse non apud Ægyptios solum, sed apud Græcos etiam & Romanos; cum tot Nummi clarissime id ostendant, & res obvia sit ex priscis monumentis; ut merito miretur Doctiss. E. Spanhemius Dissertatione III. De Præstant. & Usu Numism. eruditissimum Gevartium id inficias iviisse.

XII. Num. *Vespasiani*, cum Inscript. PON. MAX. TR. P. COS. VI. In hoc Vespasiani Nummo idem Symbolum, sive Emblema cernitur, quod in præcedenti Augusti Nummo. *Victoria* nempe Basi insistens, coronam ostentans & palmam, & infra gemini Serpentes, caudis & spiris suis inter se impliciti, sinuosi adsurgentes & adsibilantes. Exstat etiam, uti diximus, *Titi* Nummus cum simili Symbolo, & Inscript. PONTIF. TR. P. COS. IIII. unde patet eodem anno utrumque Nummum percussum, quo nempe Vespasianus VI. Titus IIII. Consules fue-

TAB. XVI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9




10

11

12

fuerunt. Cl. Gevartius ſimiliter Emblema hoc referendum putat ad bellum civile Vitellianum, auſpiciis Veſpaſiani Auguſti profligatum; tum enim Imperium Romanum in duas quoque factiones diviſum fuiſſe æque ac tempore Auguſti. Alb. Rubenius vero in Nummis Veſpaſiani & Titi exiſtimat Victoriam Iudaicam cum Cretenſium inſignibus quoque expreſſam eſſe. Cui tamen aliquo modo obſtare videtur, quod Baſin iſtam, cui in his Veſpaſiani & Titi Nummis Victoria inſiſtit, quam Ciſtam myſticam ex cannis compoſitam eſſe vult Rubenius, non æque heic ſtriæ & lineæ dividant atque diſtinguant; uti quidem iſtud diſcernere eſt in Nummis Auguſti & Antonii; ſed heic baſis iſta potius cippum, aut aram referre videtur; niſi forte dicendum, Scalptoris vitio ſtrias iſtas ſive cannas non bene in hiſce Nummis expreſſas. Varias etiam conjecturas de hoc Veſpaſiani Nummo, adfert Hemelarius in Commentar. ad Imperat. Roman. Aurea Numiſmata; quas apud ipſum videſis.

# TABVLA XVI.

Num. *Antonii*, cum Inſcript. III. VIR. R. P. C. Heic I. videre eſt caput muliebre diademate cinctum, baſi impoſitum inter duos dracones caudis implexos, & reliquo corpore plurimum ſinuoſo capita attollentes; ab altera parte hujus Nummi effictum eſt caput Antonii in corona hederæ, cum Inſcr. M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. Sic in alio

Num. *Ejuſdem Antonii*, cum Inſcript. III. VIR. R. P. C. II. cernere eſt figuram muliebrem baſi ejusmodi ſimiliter inſiſtentem quæ dextra urceolum, ſiniſtra haſtam puram tenet, cum duobus ſerpentibus implicitis & adſibilantibus. Ab altera nummi parte expreſſæ ſunt imagines Antonii & Cleopatræ, cum Inſcript. M. ANTON. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. Quid autem in hiſce duobus Antonii Nummis ſibi

ſerpentes iſti velint, variis quoque conjecturis ab Antiquariis tentatum. Vix autem, ut iſtud præmittam, Cl. Gevartii explicatio heic locum videtur habere poſſe; neque diſſidia aut hoſtilitates, quæ Victoria media dirimantur, per ſerpentes heic deſignari; cum non Victoria, ſed in altero caput muliebre; in altero verò fœmina ſtans medium obtineat locum. Æneas Vicus lib. I. Commentar. ad Numiſm. Iul. Cæſaris, per duos Angues iſtos in Nummis Antonii Triumviri vult denotari *Aſiam*, quia in Nummo Auguſtæo exſtet Inſcript. ASIA. RECEPTA. Aliis videtur, Nummos hoſce cuſos ab Antonio poſt Armeniam devictam, Regemque captivum in Ægyptum perductum, ac Reginæ Cleopatræ donatum; cujus etiam effigiem & figuram volunt eſſe, quæ baſi inſiſtit. qua Victoriâ præter Parthos & Medos, quos per duos angues deſignari volunt, tota Aſia magis obnoxia reddita. Doctiſſimi A. Rubenii ſententia, ex iis, quæ ad Nummum Auguſti adduximus, facile patet. Vult enim, & hoſce nummos in Creta in honorem Antonii cuſos eſſe; & Baſin, cui caput muliebre, & fœmina iſta inſiſtunt, eſſe ciſtam myſticam Cretenſium, quæ cum duobus ſerpentibus implicitis iſtius inſulæ inſignia referat. Sane ſtriæ iſtæ, quos cannas, ex quibus ciſtæ conflabantur, ſignificare vult, ſatis perſpicue à ſculptore in utroque hoc nummo expreſſæ. Quod ad Caput muliebre, ciſtæ impoſitum, Sebaſtianus Erizzus tradit iſtud galeatum eſſe; Quod ſi verum eſt, putat Rubenius, (neque enim ipſum nummum videre ei contigit) eſſe caput Minervæ, quæ cor Liberi patris à Titanibus occiſi ciſtæ incluſit. Iul. Firmicus de Error. Profan. Religion. cap. VI. de myſteriis Cretenſium: *Præfertur ciſta, in qua cor ſoror latenter abſconderat.* Addit porro Rubenius, ſi caput hoc ſine galea eſt, ut ſane heic eſt expreſſum, non cum galea, ſed cum diademate, quod male forſan Seb. Erizzus pro galea accepit, tum ſe exiſtimare illud Cleopatræ, vel Dianæ Btitomantidos eſſe. Cum autem caput diademate, regio nempe inſigni, redimitum ſit; non dubito iſtud Cleopatræ Ægyptiorum

reginæ

reginæ esse. In secundo vero Antonii Nummo, per figuram muliebrem cistæ mysticæ cum urceo in dextra, & hasta pura in sinistra, insistentem, existimat idem Rubenius, designari Pietatem M. Antonii, qui forte mysteriis istis Orgicis initiari voluerit. Urceum autem manu tenere, ob Auguratum Antonii, aut Sacerdotium D. Iulii. Hinc & Antonium in Nummis sæpe cerni cum urceo ejusdem formæ, ut apud Goltzium Tab. XXXII. Num. XII. & in Augusto Tab. XXV. Num. VII. & Tab. XXVI. Num. V. & sæpe alias. Tandem subjungit Rubenius, non mirum, in Creta hos nummos in honorem Antonii signatos esse, cum pater ejus Creticus cognominatus sit, teste Plutarcho. Denique Antonium etiam Cretam Insulam liberam esse voluisse; istudque constare ex Oratione Ciceronis contra Antonium apud Dionem lib. XLV. Καὶ πῦ τῦτο γεγραμμένον εὗρες, ὥπερ τὸ τὸς Κρῆτας ἐλευθέρυς μετὰ τὴν τῦ Βρύτυ ἀρχὴν γενέσθαι, ὧν ἡμεῖς μετὰ τὸν τῦ Καίσαρος θάνατον ἄρξαι ἐψηφισάμεθα. *Vbi vero hoc scriptum invenisti? quemadmodum & illud, ut Cretenses post Bruti interfectionem liberi forent. Quibus nos ut imperaremus, post Cæsaris mortem statuimus.* Cui respondet deinde lib. XLVI. Q. Fusius Calonus hisce verbis: Εἰ δὲ ἐκεῖνος φανερῶς ὕτω καὶ ἀναισχύντως τά τε ἄλλα ἐκακύργησεν, ὡς λέγεις, καὶ τὴν Κρήτην ὅλην ἥρπασεν, ὡς καὶ ἐκ τῶν τῦ Καίσαρος γραμμάτων ἐλευθέραν μετὰ τὴν τῦ Βρύτυ ἀρχὴν ἀφειμένην, ἣν ὕστερον ἐκεῖνοι παρ' ἡμῶν ἐπετράπη, πῶς μὲν ἂν ἐσιώπησας; πῶς δ' ἂν τῶν ἄλλων τὶς ἠνέσχετο, *Quod si Antonius adeo palam ac impudenter, ut tu dicis, dolo malo egit, ut præter reliqua Cretam totam rapuerit, velut ex libellis Cæsaris post præfecturam Bruti liberam esse jussam, cum tamen à nobis ea provincia Bruto post mortem demum Cæsaris fuerit mandata: hæc si sunt, inquam, qui fiebat, ut tu taceres, ac reliqui etiam id admitterent?* Hanc itaque ob causam Cretenses, honoris causa, Antonii Caput in Nummis cum Insulæ insignibus signarunt.

III. Num. *Hadriani* cum Inſcript. ASIA. *Matrona* ſtans dextra Serpentem, ſiniſtra navis gubernaculum tenens, dextro pede roſtro navis inpoſito *Aſiam minorem* repræſentat; nam *Aſiæ* nomine tunc *Aſia minor* veniebat. gubernaculum & roſtrum navis, rei navalis peritiam qua ejus incolæ tunc excellebant, deſignare videntur. ſerpentem vero manu comprimit forſan, quod Aſia Serpentibus abundaret. Pomponius Mela lib. I. cap. XIX. ſcribit circa Rhyndacum flumen Aſiæ minoris, *angues naſci immanes, neque ob magnitudinem modo, ſed ab id etiam mirabiles, quod ubi in alveum ejus æſtus, ſolemque fugerunt, emergunt atque hiant: ſupervolantesque aves, quamvis alte & perniciter ferantur, abſorbent.*

IV. Num. *Antonini*, cum Inſcr. COS. III. ASIA. Hic viciſſim *Aſia Minor* per *Matronam* turrito capite, ſiniſtra anchoram tenentem deſignatur. Videtur hic nummus cuſus in memoriam, oppidorum Aſiæ, quæ terræ motu conciderant, ab Antonino inſtauratorum; cujus rei meminit I. Capitolinus in Antonino.

V. Num. *Veſpaſiani* cum Inſcr. IVDÆA. Mulier humi ſedens, caput ſiniſtrâ lugentis inſtar, ſuſtentans, *Iudæam* à Veſpaſiano Imperatore devictam repræſentat: à tergo *Trophæum* ſuſpenſis armis & clypeis ornatum, ut victoriæ ſignum, erectum.

VI. Num. *Veſpaſiani* cum Inſcr. IVD. CAPT. S. C. Heic ſimiliter, *Iudæa* captiva ſub forma mulieris mœſtæ humi ſedentis ſub palmæ arbore; à tergo ſtat Imperator dextra haſtam puram, ſiniſtra *parazonium* tenens, & galeam pede ſiniſtro calcans; ad denotandum hoſtes virtute bellica ſuperatos. Parazonium, ut hoc obiter moneam, erat gladius latus cuſpide carens.

VII. Num. *Veſpaſiani*, cum ſimili Inſcr. IVDÆA CAPTA S.C. *Iudæa* triſtis ſub palma arbore ſedens ſuper thoracem. Qui à tergo ſtat cum clypeo ad pedes, A. Rubenius captivum vult eſſe; ſed potius

potius videtur Imperator deſignari, utpote paludamento, veſte militari Imperatorum, indutus.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. itidem IVDAEA CAPTA. Eadem fere figura Iudææ captivæ ſub palma arbore ſuper arma ſedentis, ante eam clypeus; poſt verò arma quædam congeſta cernuntur. VIII.

Num. *Titi* cum Inſcr. IVD. CAP. Heic cernere eſt *Trophæum* erectum cum armis ſuſpenſis, cui adſidet ab una parte *Iudæa* mœſta; ab altera captivus manibus poſt tergum divinctis. IX.

Num. *Veſpaſiani* cum Inſcr. IVDAEA DEVICTA. *Iudæa* capite velata, manibus ante pectus decuſſatis ad deſignandam virium imbecillitatem, adſtans palmæ arbori. X.

Num. *Titi*, cum Inſcript. IMP. XIII. *Scrofa*, ſive *Sus*, cum quatuor Suculis, qualis etiam cernitur in quodam Nummo Veſpaſiani, cum Inſcript. IMP. XIX. In opprobrium Iudæorum poſt Victoriam Iudaicam Veſpaſiani & Titi Impp. videtur hæc ſus cum ſuculis impreſſa. quaſi Iudæis exprobrans nunc etiam Scrofis una cum ſuculis ſuis libere per univerſam Iudæam vagari & oberrare licitum; unde antea à Iudæis excludebantur. Sic poſtea quoque Hadrianus Imp. *Suem marmoream* in fronte portæ Hieroſolymæ, *Æliæ* à ſe vocatæ, quæ Bethlehemum tendebat, exſculpi juſſit, ut teſtatur Euſebius in Chronico. XI.

Num. *Nervæ* cum Inſcript. FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. S. C. In hoc præclaro Nummo cernitur *Palma*, Iudæorum Inſigne, quia Regio illa Palmis abundat. Per *Fiſcum Iudaicum* verò heic deſignatur Tributum, quod Iudæi omnes, qui in Imperio Romano erant, ſolvere tenebantur. Hoc autem quomodo ſub Domitiano acerbiſſime exactum fuerit, notat Suetonius in Ejus Vitâ hiſce verbis: *Præter cæteros Iudaicus fiſcus acerbiſſime actus eſt.* XII.

*ad quem deferebantur, qui veluti profeſſi Iudaicam intra Vrbem viverent vitam, vel diſſimulata origine impoſita genti tributa non pependiſſent. Interfuiſſe me adoleſcentulum memini, cum à procuratore frequentiſſimoque concilio inſpicieretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet.* Hunc *Fiſcum Iudaicum* ab Imp. Nerva, Domitiani ſucceſſore, relaxatum aut ſublatum docet hic Nummus.

# TABVLA XVII.

I. Num. *Hadriani Imp.* cum Inſcript. IVDAEA. Cernitur heic *Iudæa* ſub figura mulieris in genua prolapſæ, cum tribus nudis infantibus circa ſe, quarum unum manu tenet, cæteri vero duo ſupplices manus verſus Imperatorem *Hadrianum* tendunt, qui togatus Iudæam ſublevat, ac eam in gratiam recipit.

II. Num. *Ejuſdem Imp.* cum Inſcr. ADVENT*ui* AVG. IVDAEAE. *Iudæa*, Matronæ inſtar, velata, cum duobus nudis infantibus, quarum alter palmam manu fert, alter ſacrificat ob *Adventum Hadriani*, qui iterum heic togatus, dextram elevatam tenet quaſi votis ejus annuens; prope Aram incenſam cernere quoque eſt adſtantem Victimam.

III. *.

IV. Num. *Hadriani*, cum Inſcript. COL*onia* AEL*ia* CAP*itolina* COMM*odiana*. Per *Coloniam Æliam* heic deſignatur Colonia, quæ ab Hadriano Hieroſolymam, quam à prænomine ſuo *Æliam* appellavit, poſt quam Iudæos rebellantes ſubjugaſſet, deducta fuit. *Commodiana* dici videtur in memoriam Cejonii Commodi ab Hadriano adoptati; *Capitolina* autem, quia dedicata Iovi Capitolino Romæ in Capitolio culto; cujus templum columnis & Deorum ſtatuis ornatum; quoque heic in Nummo expreſſum. In Cujus meditullio

TAB. XVII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

ditullio apparet Commodus, ſiniſtra ſceptrum, dextra globum tenens; dextro quoque pede Globum premente, ad Orbis Terrarum Imperium denotandum.

V. VI. *. *.

Num. *Traiani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. & infra, ARAB. ADQ. Mulier ſtolata, dextra *Ramum arboris Thuriferæ*, ſiniſtra *Calamum Odoratum* tenens, cui adſtat *Camelus* cum unico gibbo, *Arabiam* deſignat, quæ iſtis omnibus abundare dicitur. Arabiam nempe à Trajano in formam Provinciæ redactam denotat hic nummus; idque ſatis indicant litteræ ARAB. ADQ. id eſt, *Arabia Adquiſita*. Ramum autem eſſe arboris Thurem ferentis, & Calamum itidem Odoratum, quem mulier iſta præfert, ut Arabiæ celebres merces, feliciter probavit Cl. Triſtanus in Comment. Hiſtor. ad Impp. Numiſmata. Sic in alio VII.

Num. *Ejuſdem Imp.* cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. COS. V. P. P. & infra, ARAB. ſub ſimili figura muliebri, cum *Ramo* in dextra, & *Calamo* in ſiniſtra, & Camelo juxta eam, *Arabia* exprimitur. In alio denique VIII.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. & infra ARAB. ADQVIS. *Arabiam* ſub eodem Schemate expreſſa, niſi quod loco Cameli, *Struthionem* juxta ſe ſtantem habeat. IX.

X. *.

Num. *Gentis Æmiliæ*, cum Inſcr. M. SCAVR. AED. CVR. EX SC. & infra REX ARETAS. Inſigne monumentum rei à M. Scauro geſtæ. Hic enim in Aſia Pompeii Proquæſtore in Judæam cum exercitu deflectens Hieroſolymam ab obſidione XI.

Aretæ

Aretæ Regis Arabiæ liberavit; & usque ad Petram eum fugavit. Vid. Ioseph. Antiquit. lib. XIV. cap. IV. & IX. & de Bel. Iud. lib. I. cap. V. & VI. in cujus rei memoriam, *Rex Aretas* ipse supplicis instar in dextrum genu prolapsus, cum *Camelo*, quem per frenum sinistra tenet, & *Ramo arboris Thuriferæ* in dextra manu, in hoc nummo signatus videtur. Ramum autem illum, quem Aretas Rex dextra protendit, esse arboris Thuriferæ, præterquam quod arbor ista Arabiæ proprium decus sit, etiam folia indicant, quæ Lauri foliis similia heic conspiciuntur; & arbori isti tribuuntur à Theophrasto, qui lib. IX. Hist. Plant. c. IV. δαφνοειδὲς τὸ λειόφυλλον εἶναι, *Thuris folium laurinum leveque esse* ait. Unde etiam Plinius lib. XII. cap. XIV. *Cortice lauri esse constat; quidam & folium simile dixere.*

XII. *.

# TABVLA XVIII.

I. II. III. *. *. *.

IV. Num. *Severi*, cum Inscr. PART. ARAB. PART. ADIAB. COS. II. P. P. Duo captivi, *Arabs* alter, alter *Adiabenus*, manibus post terga revinctis ad Trophæum ex trunco, cum armis & clypeis suspensis. Severus Imp. exemplo Traiani in Adiabenem, quæ olim Assyria dicta, irrumpens, *Adiabenici* cognomen meruit. in cujus rei memoriam hic nummus percussus. Spartianus de Severo: *Arabas in deditionem accepit; Adiabenos in tributarios coëgit.*

V. VI. VII. *. *. *.

VIII. Num. *Traiani.* cum Inscr. ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. IN. POTESTATEM. P. R. REDACTAE. S. C. Impe-

TAB. XVIII.

1



2

3



4

5



6



7



8

9



10



11

12

TAB. XIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Imperator *Traianus* habitu militari cum ſceptro, & parazonio, armatus, pedibus premens ventrem mulieris humi jacentis; dextra capiti mitra ornato admota, ſiniſtra vero in terram poſita ſemet ipſam ſuſtinentis, inter duas figuras, quæ altera manu ſcirpos tenent, altera vero urnæ ex qua aqua profluit, incumbunt. ut Dii Fluviatiles pingi ſolent; incumbunt. Imago *Meſopotamiæ* inter duos fluvios celeberrimos *Euphratem* & *Tigrim* heic per Deos iſtos fluviatiles repræſentatos, ſitæ.

IX. X. XI. *. *. *.

Num. *Auguſti*, cum Inſcript. CAESAR. DIVI. F. AR- XII.
MENIA CAPTA. Figura veſte oblonga & fluida induta, cum Tiara in capite in dextrum genu prolapſa, manuſque ſupplicantis inſtar protendens, *Armeniam* devictam deſignans.

# TABVLA XIX.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. ARMENIA CAPTA. *Victoria* I.
arma ad Trophæum ſuſpendens; infra duæ figuræ, quarum altera captivum manibus ad terga revinctis, cum ablongo pileo in capite; altera fæminam captivam, lugentis inſtar, caput manu ſuſtentantem repræſentat.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. ARMENIA CAPTA. *Victoria* II.
alis expanſis Taurum proſtratum cornibus apprehendens, & quaſi domans. A. Rubenius per taurum æquivocè denotari putat *Taurum* montem, qui Armeniam contingit; adeoque Taurum montem Victoriis Auguſti eſſe ſubactum.

Num. *Auguſti* cum eadem Inſcript. ARMENIA CAPTA. III.
Heic *Armenia* deſignatur per duas Pharetras cum ſagittis, & per Arcum thecæ ſuæ inditum; Hæc enim Armeniorum arma.

IV. Num. *Auguſti*, cum ſimili Inſc. ARMENIA CAPTA. *Capricorni* vulgaris apud antiquos effigies, Capri nempe ab anteriore parte, in caudam piſcis poſteriora verſus deſinentis. *Orbem* heic pedibus tenet, & ſupra eum *Cornucopiæ* cernitur; in aliis etiam Auguſti nummis *Gubernaculum navis* præterea additum habet; quæ omnia ſolita Fortunæ inſignia, quam Auguſtus ſibi propitiam eſſe hoc Schemate indicare voluit. Capricornus autem ab Auguſto in nummis ſignatus, quia ſub hoc ſidere primum lucem adſpexit. Qua de re Suetonius in ejus Vita: *Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumque argenteum nota ſideris* CAPRICORNI, *quo natus, percuſſerit.* Quas autem dividias hæc Suetonii verba de natali Auguſti inter Principes Chronologorum noſtræ ætatis dederint, nemini paullo humaniori ignotum. Inter Alb. Rubenii Opuſcula poſtuma haud ita pridem à Cl. Grævio publicata, elegantiſſima quoque exſtat Diſſertatio, quamvis ultima manus ei non fuerit impoſita, De Natali Auguſti, quam omnino vide ſis.

V. Num. *Auguſti* cum Inſcr. CAESAR DIVI F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. In hoc Nummo cernitur *Armenus* barbarico cultu dextra haſtam, ſiniſtra arcum tenens, cum pileo oblongo in capite. Qui habitus Armenorum fuit.

VI. Num. *Auguſti* cum Inſcrip. C. CAESAR. AVGVS. F. Hic Nummus percuſſus in honorem *Caii Cæſaris*, Auguſti ex filia Iulia, nepotis, quem Auguſtus contra Phraatem Parthorum Regem, in Armeniam magna manu prorumpentem, miſit. Cernitur heic ipſe *Caius Cæſar* equo veloci inſidens, in Armeniam proficiſcens, cum ſignis Rom. militaribus, quibus Romani exercitus robur & Vis deſignatur. Dum in itinere *Caius* hærebat, *Phraätes*, literis ad Auguſtum datis, pacem petebat; quibus Auguſtus reſpondens, cum ſimplici inſcriptione nominis ejus *Phraäti* abſque titulo *Regi Regum*, imperabat, ut *Armeniam* reſtitueret. Ipſe vero

hoc

hoc neglexit, quoad Caius Cæſar cum legionibus in Syriam uſque jam adveniſſet; Quo nuncio audito, Phraätes, cum domi etiam res ipſius turbatæ, Armeniâ deſiſtebat, ac cum Auguſto denuo in gratiam rediit.

Num. *M. Aurelii* cum Inſcr. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. ARMEN. Heic *Armenia* ſub ſpecie mulieris mœſtæ, humi ſedentis, juxta trophæum, de ſpoliis Armeniorum fixum, dextrâ caput ſuſtentantis, ſiniſtra arcum depoſitum tenentis cum pileo oblongo in capite cernitur. Victoriam M. Aurelii de Armeniis deſignat. VII. Capitolinus: *Geſtæ ſunt res in Armenia proſpere per Statium Priſcum, Artanatis captis: delatumque Armeniaci nomen utrique Principum, quod Marcus per verecundiam primo recuſavit, poſtea tamen recepit.* VII.

Num. *L. Veri* cum Inſcr. S. C. ARMEN. Heic ſimiliter *Armenia*, fæminæ lugentis inſtar, inter arma humi ſedentis, cum vexillo militari ante ſe, repræſentatur. VIII.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. TR. P. V. IMP. III. COS. II. ARMEN. CAP. Cernitur heic *Armenius* captivus humi ſedens manibus poſt terga ligatis, cum pileo oblongo, (quem apud Armenos, tam viris, quam fœminis communem fuiſſe conſtare poteſt ex Num. VII. & VIII. hujus Tab.) in capite. Ante eum *Pharetra, Arcus & Scutum* depoſita. Hieronymus alicubi in Epiſt. ad Lætam: *depoſuit pharetras Armenius.* IX.

Num. *Ejuſdem Veri* cum Inſcr. TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. REX. ARME. DAT. Imperator *L. Verus* habitu militari in Suggeſtu ſellæ Curuli inſidens inter duas figuras adſtantes, ſiniſtra parazonium tenet, dextra vero extenſa caput hominis ante tribunal humi ſtantis tangit, quaſi aliquid langiretur; quo ſchemate *Regem Armeniis datum*, uti Inſcriptio docet, deſignatur. X.

XI. Num. *Augusti* cum Inscript. SIGNIS. PARTHICIS. RECEPTIS. S.P.Q.R. *Corona quercea* cum glandibus, quæ alias *Civica* dicitur, & *ob cives servatos* dari solebat. Heic vero Augusto tribuitur ab signa Rom. militaria, à Parthis M. Crasso & M. Antonio ademta, suo vero sub Imperio recepta. Qua victoriâ Augustum supra modum gavisum fuisse, testes sunt tot & tam varii eâ de re signati Nummi veteres, cum Inscriptione SIGNIS. PARTHICIS. RECEPTIS. & sumpliciter SIGNIS. RECEPTIS; quorum nonnulli hac & sequenti Tabula XX. exhibentur. Historiam ipsam tangit Suetonius in Augusto his verbis: *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt: & signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt: obsidesque insuper obtulerunt: denique pluribus quodam de regno concertantibns, non nisi ab ipso electum comprobaverunt.*

XII. Num. *Augusti* cum Inscript. SIGNIS PARTHICIS RECEPTIS. Thema genethliacum Augusti, signum sc. *Capricorni*, sub quo Augustum natum ad Num. IV. hujus Tab. ex Suetonio diximus.

## TABVLA XX.

I. Num. *Augusti* cum Inscr. CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PARTHIS. RECVP. *Porta*, sive *Arcus Triumphalis*, in cujus fastigio Augustus laurum manu tenens in curru triumphali cum quadrigis, *ob cives & signa militaria à Parthis recuperata*, inter duas figuras acclamantes, sive gaudio exsultantes, uti videtur; ambæ signa militaria alterâ manu ostentare videntur; altera etiam dextrâ arcum tenet. Historiam ex Suetonio supra attigimus; de ea vero re Dio Cassius lib. LIV. ita scribit: Κ᾽αὐ τοῦτῳ ὁ Φραάτης, φοβηθὴς μὴ ἢ ἐπιστρατεύσῃ οἱ, ὅτι μηδέπω τῶν συγκεμένων τί, τὰ

TAB. XX.

1

2




3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

τά τε σημεῖα αὐτῶν, καὶ τοὺς αἰχμαλώτους, πλὴν ὀλίγων, οἵ ὑπ' αἰσχύνης σφᾶς ἔφθειραν, ἢ καὶ κατὰ χώραν λαθόντες ἔμειναν ἀπέπεμψε. &c. *Interim Phraätes, quia nihil dum eorum, quæ pactus fuerat, perfecisset, veritus ne bello ab Augusto impeteretur, signa ei militaria & captivos omnes, paucis demptis, qui se ipsos pudore moti interemerant, aut in Parthia occulte remanserant, remisit.* Quanti autem Augustus factum hoc fecerit, ex iis quæ à Dione subjunguntur liquet; sic enim pergit: Καὶ αὐτοὺς ἐκεῖνος, ὡς καὶ πολέμῳ τινὶ τὸν Πάρθον νενικηκὼς ἔλαβε, καὶ γὰρ ἐφρόνει μέγα, λέγων ὅτι τὰ πρότερον ποτὲ ἐν ταῖς μάχαις ἀπολόμενα, ἀκονιτὶ ἐκεκόμιστο. *Et ea quidem Augustus, quasi bello aliquo Parthum vicisset accepit. Nam hanc rem magnæ sibi laudi ducebat, quod prœliis prius amissas res citra ullum certamen recepisset.* Quin & mox addit, Augustum propterea sacrificia, & Templum Marti Ultori, in Capitolio, ubi signa militaria suspenderentur, decrevisse. denique & equo ovantem in Urbem invectum, & arcu triumphali, cujus memoria in hoc Nummo, honoratum fuisse. Verba Dionis ipsa mox addam.

Num. *Augusti*, cum Inscript. SIGNIS RECEPTIS. II.
Heic cernitur ipse *Mars* stans galeatus, cetera nudus, nisi quod cingulo militari sub pectore cinctus, cum signis militaribus in utraque manu. Haud dubie heic *Mars Vltor* designatur, cui templum ab Augusto in Capitolio ædificatum, & signa militaria à Parthis recuperata, suspensa notat Dio lib. LIV. hisce Verbis, quæ post modo adducta statim sequuntur: Ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς, καὶ νεὼν Ἄρεος τιμωροῦ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατὰ τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου ζήλωμα, πρὸς τὴν τῶν σημείων ἀνάθεσιν, τῶν ψηφισθῆναι ἐκέλευσε, καὶ ἐποίησε, καὶ προσέτι, καὶ ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν ἐσήλασε, καὶ ἀψῖδι τροπαιοφόρῳ ἐτιμήθη. Id est,

*Itaque* (Auguſtus,) *& ſacrificia ejus rei cauſa, & templum Martis Vltoris in Capitolio ad mutationem Iovis Feretrii, qua ſigna ea militaria ſuſpenderentur, decerni juſſit, ac deinde perfecit. Equo etiam ovans in Vrbem invectus, ac arcu triumphali trophæum geſtante honoratus eſt.*

III. Num. *Auguſti* cum Inſcript. SIGNIS. RECEPTIS. S. P. Q. R. Cuſus hic nummus in ejuſdem rei memoriam, ac præcedentes; exhibentur heic vero ipſa ſigna militaria, Aquila ſcilicet, Legionis totius ſignum, & aliud ſignum Cohortis, cum intermedio Clypeo Votivo, uti ex Litteris inſcriptis C L. V., quæ *Clypeum Votivum* deſignant, manifeſtum.

IV. Num. *Auguſti.* cum Inſc. CÆSAR AVGVSTVS, SIGN. RECEPT. Heic *Parthus* in alterum genu procumbens ſupplicis inſtar; femoralibus & interula indutus, cum pileo oblongo in capite; à tergo veſtis lacinia dependet; manibus ſignum militare, cui vexillum appenſum, exhibens.

V. Num. *Auguſti* cum Inſcr. DE PARTHIS. *Tiara*, indumentum capitis regium à Parthis, aliisque Orientalibus Regibus uſurpatum heic cernitur, cum *Arcu & Pharetra* ſagittis plena; quæ etiam inter inſignia Regum Orientalium erant.

VI. Num. *Antonii triumviri* cum Inſcript. IMP. TER. Eadem inſignia, ac in præcedenti nummo. *Tiara* nimirum cum *Arcu & ſagitta.* Nummus hic ab Antonio percuſſus in memoriam Artavaſdis Armeniorum Regis à ſe capti, cujus *Tiara* & cætera inſignia regia heic exhibentur.

VII. Num. *Antonii triumviri* cum Inſcrip. ANTONI. ARMENIA. DEVICTA. *M. Antonii* caput nudum heic cernitur, pone adjectâ *Tiarâ*, ob Artavaſdem Armeniorum Regem devictum & captum.

Eſt

Eſt averſa pars nummi præcedentis VII. in qua Effigies *Cleo-* VIII.
*patræ*, Ægyptiorum Reginæ, cum roſtro navis ob navales copias, exhibetur, & Inſcriptione, REGINÆ REGVM FILIORVM REGVM CLEOPATRAE. Hoc enim titulo Cleopatra cum filiis ab Antonio donata, ut præter alios, teſtis eſt Dio Caſſius lib. XLIX. Μετὰ ταῦτα ὁ Ἀντώνιος τὰς Ἀλεξανδρέας εἱστίασε, καὶ τῇ Κλεοπάτρᾳ, τούς τε παῖδας αὐτῆς ἐν ἐκκλησίᾳ παρεκαθίσας. δημηγορήσας τε πρὸς ἐκείνην τε ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καὶ τὸν Πτολεμαῖον, ὃν Καισαρίωνα ἐπωνόμαζον, ΒΑΣΙΛΕΑ ΒΑΣΙΛΕΩΝ καλέσας ἐκέλευσε· καὶ αὐτοῖς καὶ τῷ Αἰγύπτου, τῷ τε Κύπρου, ἄλλων διανομὴν πρός ποιησάμενος, ἔδωκε. Id eſt: *Deinde Antonius Alexandrinis epulum præbuit, ac in concilio populi Cleopatræ ejuſque liberis, propter ſe ſedem dedit: habitaque ad populum quadam oratione Cleopatram* REGINAM REGVM; *Ptolomæum, Cæſarionem cognomine* REGEM REGVM, *appellari juſſit: iiſque Ægyptum & Cyprum alia à priore diviſione inſtituta addixit.* Cæterum hujusmodi Nummos cum Cleopatræ effigie à M. Antonio percuſſos Anagniæ notat Servius ad illud Virgilii, *quod dives Anagnia poſſit* hiſce verbis: *Dives Anagnia aut fertilis, aut abludit ad hiſtoriam. Nam Antonius Auguſti ſorore contempta, poſtquam Cleopatram duxit Vxorem,* MONETAM *ejus nomine in Anagnia civitate juſſit fieri.*

Num. *Traiani* cum Inſcr. P. M. TR. P. COS. VI. PP. IX.
S. P. Q. R. & infra: PARTHIA CAPTA. *Trophæum*, cum armis & Clypeis ſuſpenſis, ad cujus truncum ab una parte Vir nudus, ab altera fœmina itidem nuda religati; ambo alterâ manu caput ſuſtentantes; alterâ vero in genu ſepoſitâ, *Parthiam* à Traiano ſubjugatam & ſpolia inde lecta deſignant.

Num. *Severi* cum Inſcr. VICT. PARTHICA. *Victoria*
alata

alata gradiens, dextra coronam, ſiniſtra trophæum geſtans; ante pedes ejus *Parthus* pileatus, manibus poſt terga revinctis, humi reſidet. Severi Imperatoris Victoriam à Parthis partam repræſentat.

X. Qua de re ita Spartianus in ejus Vita : *Circa Arabiam plura geſſit; Parthis etiam in ditionem redactis, nec non etiam Adiabenis, qui quidem omnes cum Peſcennio ſenſerant. Atque ab hoc reverſus triumpho delato, appellatus eſt* ARABICVS, ADIABENICVS, PARTHICVS. *Sed triumphum reſpuit, ne videretur de civili triumphare victoriâ. recuſavit &* PARTHICVM *nomen, ne Parthos laceſſeret.*

Num. *Traiani*, cum Inſcr. REX PARTHIS DATVS. Imperator *Traianus* laureatus, & habitu militari, cui à tergo adſtat *Satelles*, pro Tribunali in Sella Curuli ſedens, ſiniſtra ſceptrum tenens, dextram verò protendens, ad caput hominis ante Tribu-

XI. nal in terrâ ſtantis, qui dextram elevatam tenet; ante eum mulier æſtive veſtita, capite turrito, in dextrum genu prolapſa, dextram, ſupplicantis inſtar, extendit; quæ ipſam *Parthiam* repræſentat, Regem à Traiano petens. Homo vero adſtans dextra elevata, & ipſe Rex *Parthamaſpates*, quem Parthis Traianus dedit, & qui hoc ſchemate fidelitatis, jusjurandum præſtare videtur, aliis tamen placet Imp. Traianum heic curuli in ſuggeſtu inſidere inter duos milites, & in genu poſitum, eſſe ipſum *Parthamaſpatem* ſupplicem cum corona, quem Regem Parthis protenſa dextra conſtituit, juxta nempe Phraätis exemplum, cujus meminit Horatius lib. I. Ep. XII.

——— *Ius imperiumque Phraätes*
*Cæſaris accepit genibus minor.* ———

Aut illud Claudiani VI. Conſul. Honor.

——— *poſitoque Tiaram*
*Submiſere genu.* ——— Quic-

TAB. XXI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Quicquid ſit, rem ipſam, quæ hoc nummo deſignatur, diſertis verbis ita narrat Dio lib. LXVIII. Τραϊανὸς ὃ φοβηθεὶς μὴ καὶ οἱ Πάρθοι τί νεοχμώσωσι, βασιλέα αὐτοῖς ἴδιον δοῦναι ἠθέλησε. καὶ ἐς Κτησιφῶντα ἐλθὼν, συνεκάλεσεν, ἐς πεδίον τί μέγα πάντας μὲν τοὺς Ῥωμαίους, πάντας δὲ τοὺς Πάρθους τοὺς ἐκεῖ τότε ὄντας· καὶ ἐπὶ βῆμα ὑψηλὸν ἀναβὰς, ἐμεγαληγορήσας ὑπὲρ ὧν ἐπράξατο, Παρθαμασπάτην τοῖς Πάρθοις βασιλέα ἀπέδειξε τὸ διάδημα αὐτῷ ἐπιθείς. *Traianus metuens, ne Parthi quoque aliquid molirentur, Regem eis dare conſtituit. Itaque ut Cteſiphontem venit, convocatis in magnam planiciem Romanis omnibus, Parthiſque, qui tum aderant, excelſum tribunal conſcendit. Ibi apud eos de rebus ab ſe geſtis gloriatur, deinde Parthis Regem Parthamaſpatem deſignat, eique diadema imponit.*

Num. *Traiani* cum Inſcr. REGNA ADSIGNATA. S. C. XII. Cernitur heic ſimiliter *Traianus* Imp. in Tribunali Sellæ Curuli inſidens, cum duobus ſatellitibus poſt eum. ante tribunal tres homines ſtantes, quorum primo Corona radiata in capite, reliquis duobus Galeæ aut potius Tiaræ, tres Reges referre videntur, quibus *regna* à Traiano *adſignata*, uti inſcriptio docet. Videtur hic nummus repræſentare varias illos gentes, quas Dio tradit, Traianum ab ſe ſuperatas ad Senatum numquam non perſcripſiſſe, adeo ut Senatus eos neque cognoſcere, neque nominare ſatis poſſet. His autem poſt victoriam Reges pro ſuo arbitrio Traianus dedit.

# TABVLA XXI.

I. II. * *.

Num. *Traiani*, cum Inſcr. S.P.Q.R. DIVO TRAIANO PARTHICO. Hic nummus exhibet *Dianam Luciferam* curru à leone & apro vectam, dextra facem tenentem; præeunte III.

*Hercule*, Deam retro adſpiciente, clavam dextro humero geſtante. Sub Herculis figurâ heic ipſe Traianus deſignatur, utpote qui rebus à ſe geſtis Herculeos labores æquaſſe ſibi viſus, unde & *Hercules* dici voluit in nummis quibuſdam, quorum Inſcriptiones A. Occo exhibet in uno : IMP. HERCVLES CAES. AVG. P. M. & in alio : IMP. HERCVLES ROMANVS CAES. AVG. P.P. S.P.Q.R. OPT. PRIN. Per Dianam Luciferam ipſam Indiam, ſive Plagas Orientales, quas Traianum quoque cum exercitu adiiſſe Dio refert, denotari volunt.

IV. V. *. *.

VI. Num. *Hadriani* cum Inſcript. CAPPADOCIA. S. C. Figura ſtans ſive virilis ſive muliebris Cappadociam repræſentat, capite turrito, ut regionem urbibus frequentem oſtendat veſte ſuccinctâ, cui circa collum exuviæ leonis aut ſtruthionis adſtrictæ, quæ à tergo dependent ad latus utrumque ; ſiniſtrâ manu haſtam cum vexillo, dextra monticulum, ſeu ſcopulos in acumen aſſurgentes, (Ant. Auguſtinus Dial. III. pilas vocat, ſed male meo judicio) ſuſtinere videtur; quibus quidam regni limites & terminos deſignari putant.

VII. Num. *Hadriani* cum Inſcript. RESTITVTORI BITHYNIÆ. *Bithynia* laxiori veſte induta, turrito capite, ac poſito genu ſupplex, ſiniſtra vexillum militare in humero geſtans, per dextram ab Imperatore Hadriano togato ſublevatur. Faciunt huc illa Euſebii in Chronico, ubi de Hadriano : Αὐτὸς Νικομηδείαν σεισμῷ καταπεσοῦσαν & Νίκαιαν πόλεις Βιθυνίας χρήμασιν ἀνεκτήσατο. *Ipſe Nicomedeam terræ motu ſubverſam, & Nicæam, Vrbes Bithyniæ, pecuniâ inſtauravit.*

VIII. IX. X. XI. *. *. *. *.

Num.

TAB. XXII.

1

2

3

4

5




6

7

8

9



10

11

12



Num. *Hadriani* cum Inſc. RESTITVTORI PHRY- XII.
GIAE. S. C. Figura virilis, uti videtur, in dextrum genu prolapſa, cum braccis & pileo oblongo in capite, ſiniſtra ſuper genu ſiniſtrum recumbente, ſertum, ſive coronam tenens, ab Imperatore Hadriano dextrâ porrecta erigitur.

# TABVLA XXII.

Num. *Hadriani* cum Inſcript. RESTITVTORI MA- I.
CEDONIAE. Imp. *Hadrianus* togatus ſimiliter *Macedoniam* cum petaſo in capite, in alterum genu procumbentem, & ſcuticam ſive flagellum ſiniſtrâ ſuper humerum, inſtar aurigæ, tenentem dextrâ ſublevat. A. Rubenius, heic aurigæ cultu putat Macedoniam videri, ob præſtantiam forte Macedonum eâ tempeſtate in aurigando, aut equorum ad currus aptorum proventum & copiam: Hinc *Pellæi equi* laudati Gentio in Cynægetico.

Num. *Conſtantino Magno* vulgo adſcriptus, quamvis incertum, II.
an ejus ſit; cum Inſcript. CONSTANTINOPOLIS. Caput *Iuvenculæ* Heroinæ inſtar, cum galea criſtata, cui laurea corona circumcincta, & veſte palmata circa humeros, Vrbem *Conſtantinopolim* repræſentans. In averſa parte hujus

Num. cernitur imago *Victoriæ* cum alis expanſis dextrâ ha- III.
ſtam tenens, ſiniſtrâ verò clypeo incumbens; dextro etiam pede navigii proræ impoſito. Quibus Symbolis Conſtantinopolis Vrbis robur juvenile, vires militares, Victoriæ, & rerum maritimarum peritia deſignatur.

Num. *trium Auguſtorum*, quos Hemelarius putat eſſe Gratia- IV.
num, Valentianum & Theodoſium, cum Inſc. CONCOR-DIA AVG. G. G. Sedet *Nova Roma*, ſive *Conſtantinopolis*

galeâ cristatâ armata, dextra hastam, sinistra globum, seu Orbem ferens, ac pedibus navigii proram premens. In inferiori Nummi parte cernuntur Literæ COM. OB. quæ quid sibi velint, à variis hariolatum est, quamvis crebro occurrant in nummis aureis Augustorum posteriorum, uti & faciunt literæ CONOB. ubi N. loco M. reperitur. quas postremas, Cedrenus sic interpretatur C. *Civitates* O. *omnes* N. *noscere* O. *obediant* B *venerationi.* Sed meritò, ut Monachi interpretatio ista explodi-tur. Melius forsan Ortelius in Itinerario : *Constantinopoli obsignata*, ubi intelligendum *pecunia.* Vel, ut alii, Co. *Constantinopoli.* N. *nummus* OB. *obsignatus.* Et hoc modo in nostro Nummo, *Constantinopoli Moneta Obsignata.* Quamvis & hæ interpretationes difficultate sua non careant, & præstet in re obscura ἐπέχειν.

V. Num. *Constantii* cum Inscript. GLORIA REIPVBLICAE. Duæ figuræ in subselliis sedentes, quarum altera à dextris galeata, *Romam veterem* repræsentans ; altera capite turrito, cum sceptro, cujus fastigio animalis cujusdam caput effictum, (forte massa, sive clava ex armorum Thraciorum genere est) pede dextro navigii proræ impositio, *Romam Novam*, sive *Constantinopolim* designans. ambæ ingentem Clypeum votivum sustinent, cui literæ inscriptæ VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Vota tricennalia, & multiplicata quadragenalia* exhibent. Bene Hemelarius signari putat Occidentalis & Orientalis Imperii in Votis pro salute Reipub. & Principum conceptis consensum, & ex concordia gloriam & amplitudinem.

VI. Num. *Valentiniani.* cum Inscr. GLORIA REIPVBLICÆ. Sedent heic similiter duæ figuræ, uti in præcedente nummo, utramque *Romam Veterem* & *Novam* designantes, nisi quod ista, quæ Romam veterem repræsentat, nudo capite conspiciatur, & altera humero sinistro & pectore seminudo cum duabus Crucibus â lateribus positis loco subsellii, quod in præcedente expressum; nisi quis ma-

malis cum Hemelario, Cruces haſce ſubſellii reclinationem eſſe, deraſis in numiſmate lineis, imperfecte expreſſam.

Num. *Hadriani* cum Inſcr. RESTITVTORI ACHAIAE. VII. Matrona *Achaiam* referens, in alterum genu ſupplex procumbens ab Hadriano Imperatore porrectâ dextra heic quoque ſublevatur, quemadmodum id in aliis regionibus in Nummis ipſius expreſſis, ab eo factum. Inter Imperatorem & Achaiam cernere eſt urceum cum duabus anſis, ex quo aſſurgit floſculus, ſive arbuſculum cum foliis acutis. Spartianus in Hadriano. *Poſt hoc per Aſiam & inſulas ad Achaiam navigavit* &c. *Et in Achaia quidem illud obſervatum ferunt, quod cum in ſacris multi cultros haberent, cum Hadriano nullus armatus ingreſſus eſt.*

Num. *Maximiani* cum Inſcrip. VIRTVS ILLVRICI. TR. VIII. Imperator *Maximianus*, ſive alius armatus equo inſidens, navim bellicam, in qua milites remigant, prætento ſcutorum ordine, veloci curſu tranſiliens. Videtur hic Nummus deſignare vires copiarum terreſtrium & navalium Illyrici. Literæ TR. *Treviris* nummium hunc cuſum indicant. ubi Moneta erat. Hinc in Notitia Imperii *Præfectus Monetæ Trevirorum.*

IX. *.

Num. *Traiani* cum Inſcript. DARDANICI. Matrona X. decenti habitu ſtans, lauri, vel oleæ ramulum dextra tenens, *Dardaniam* repræſentare videtur; quæ Traianum Imperatorem per ejus Oras in Daciam tranſeuntem civili more cum pacis ſigno exceperit.

Num. *Ælii Cæſaris* cum Inſcript. TR. POT. COS. II. XI. PANNONIA. S.C. Figura ſtans turrito capite, dextera vexillum militare ferens, ſiniſtra vero laciniam panni circa humeros & inferiorem corporis partem ita circumvoluti, ut intermedia pars

nuda appareat, ſuſtinens, *Pannoniam*, cui *Ælius Verus*, ab Hadriano adoptatus, & *Cæſar* appellatus, præfuit, deſignat. Ea de re ita Spartianus in Ælio Vero: *Adoptatus autem Ælius Verus ab Hadriano eo tempore, quo jam, ut ſuperius diximus, parum vigebat, & de ſucceſſore neceſſario cogitabat: ſtatimque Prætor factus & Pannoniis dux & Rector impoſitus; mox Conſul creatus, & quia deputatus imperio, iterum Conſul deſignatus eſt.* in cujus ei memoriam hic nummus cuſus.

XII. Num. *Traiani Decii*, cum Inſcript. PANNONIÆ. Duæ Matronæ ſtantes vultu à ſe invicem averſo, decoro habitu, & capita tectæ velo dependente, dextris ad cœlum ſublevatis, altera cohortis Inſignia à dextris poſita habet, altera ſiniſtra clavam, cui pila præfixa tenet. Duplicem *Pannoniæ* provinciam, *ſuperiorem* & *inferiorem* deſignare videntur.

## TABVLA XXIII.

I. Num. *Traiani Decii* cum Inſcript. PANNONIÆ. Heic ſimiliter cernuntur duæ Matronæ eodem habitu ſtantes, ac in præcedentis Tab. XXII. Num. XII. niſi quod heic junctis dexteris juxta ſignum militare intermedium, facies ſibi invicem adverſas gerant; Symbolum pacis & concordiæ ſuperioris & inferioris *Pannoniæ*.

II. Num. *Nervæ Traiani* cum Inſcript. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. In hoc nummo *Dacia* capta repræſentatur ſub figura hominis Dacici captivi, ſcuto humi poſito inſidentis, & caput ſub alto pileo ornatum, mœſti inſtar, ſiniſtra manu ſuſtinentis, toto corpore nudi, niſi quod intermedias partes panno obvelatas habeat; infra etiam fragmentum arcus confracti adjacet.

III. Num. *Nervæ Traiani* cum Inſcr. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. DAC. CAP. *Dacus* Captivus pene nudus,

TAB. XXIII.

1

2

3




4

5

6

7

8

9




10



11

12

nudus, manibus post terga deligatis, cum pileo in capite, super arma nationis humi disjecta & accumulata sedet. Cernuntur autem duo scuta, duo arcus, cum duabus sagittis.

Num. *Nervæ Traiani*, cum simili Inscript. COS. V. P.P. IV. S.P.Q.R. OPTIMO PRINC. & infra. DAC. CAP. Captivus *Dacus* interula & femoralibus vestitus, cum pileo consueto, sedens super arma disjecta, dextro cubito super dextrum genu posito, caput sustentans.

Num. *Nervæ Traiani* cum Inscr. S.P.Q.R. OPTIMO V. PRINCIPI. *Dacus* captivus pæne nudus, super scutum oblongum humi positum, dextro crure extenso, sedens, & caput pileatum siniſtro cubito, siniſtro genu innixo, sustentans, dexterâ super idem genu quiescente. Supra caput arma quædam nationis trophæi instar suspensa cernuntur.

Num. *Nervæ Traiani* cum Inscript. COS. V. P. P. S.P.Q.R. VI. OPTIMO PRINC. & infra DAC. CAP. *Dacus* manibus ante pectus colligatis, adstat super scutum humi positum; ad pedes ipsius cernuntur armorum spolia. Cæterum ex tot Traiani Nummis hic adductis cum titulo *Optimi Principis*, utique appareret, quam isto titulo OPTIMI inter plurimos alios à Senatu ipsi delatos, Traianus delectatus fuerit; & verissimum esse, quod de eo Dio notat: Πολλῳ γὰρ μᾶλλον ἐπὶ τῇ ΟΠΤΙΜΟΥ προσηγορίᾳ, ἢ ταῖς ἄλλαις ξυμπάσαις, ἅτε τῶν τρόπων αὐτοῦ μᾶλλον ἢ τῶν ὅπλων ὄντη, ἐστεμνύετο. I.e. *Sed cognomine OPTIMI multo magis, quam cæteris omnibus gloriari videbatur, ex quo natura moresque ejus suavissimi magis, quam arma cognoscerentur.*

Num. *Nervæ Traiani* cum Inscript. DACIA AVGVSTA VII. PROVIN. S.C. Cernitur heic Matrona decoro habitu in montis vertice sedens, siniſtra vexillum militare ferens, dextera autem

supra

ſupra dextrum femur repoſita; ad pedes ſtat frumenti menſura, modius forſan, cum duobus infantulis nudis, quorum alter ramulum dextra tenet. Mons iſte Daciam montoſam eſſe regionem deſignat. Unde Statius:

*Et conjurato dejectos vertice Dacos.*

Idem alibi:

*Quæque ſuum Dacis donat Clementia Montem.*

Nummus hic *Daciam* à Traiano in Provinciam redactam docet, in quam & colonias miſit. Qua de re Xiphilinus ex Dione: Δεκέβαλος δὲ, ὡς καὶ τὸ βασίλειον αὐτοῦ, καὶ ἡ χώρα κατείληπτο σύμπασα, καὶ αὐτὸς ἐκινδύνευεν ἁλῶναι, διχρήσατο ἑαυτὸν, καὶ ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἐς τὴν Ῥώμην ἀπεκομίσθη· καὶ οὕτως ἡ Δακία Ῥωμαίων ὑπήκοος ἐγένετο, καὶ πόλεις ἐν αὐτῇ Τραϊανὸς κατῴκισεν. *Decebalus* (Daciæ Rex) *poſtquam regiam, regionemque ſuam omnem captam eſſe cognovit, imminereque periculum, ne ipſe quoque caperetur, manus ſibi intulit. Ejus caput Romam perlatum eſt, & ſic Dacia in poteſtatem populi Romani venit: in eamque Traianus colonias deduxit.* Et Eutropius lib. VIII. *Daciam Decebalo victo ſubegit, provincia trans Danubium facta.* Et paullo poſt, ubi de Hadriano: *Traiani gloriæ invidens*, inquit, *ſtatim provincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, id eſt Aſſyriam, Meſopotamiam, & Armeniam. Revocavit exercitus, ac finem imperii eſſe voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt, ne multi cives Romani Barbaris traderentur, propterea, quod à Traiano victa Dacia, & toto orbe Romanorum infinitas eò copias hominum tranſtulerat ad agros & urbes colendas.*

VIII. Num. *Hadriani*, cum Inſcript. S. C. DACIA. Heic *Dacia* non amplius captiva, ſed quaſi libera cernitur thoraci ferreo inſidens, dextra ſignum militare, ſiniſtra palmæ ramum tenens. Typus,

pus, ut videtur, majoris Libertatis, quam Daciam ſub Hadriani Imperio obtinuiſſe verba Eutropii modo adducta ſatis indicant.

Num. *Traiani Decii*, cum Inſcript. DACIA. *S. C. Dacia* IX. ipſa ſub ſpecie matronæ veſtibus comptæ, dextrâ haſtam tenentis, in cujus vertice caput aſini, aut equi, aut potius capri; ob os acutius, & barbulam oblongam infra mentum; ſiniſtra veſtis ſinum explicare videtur. Haſta iſta cum capite affixo, forte pro ſigno militari Septentrionalium nationum accipienda.

X. *.

Num. *Domitiani* cum Inſcr. SARMATIA DEVICTA. XI. Videre heic eſt captivus pænitus nudus, ſcuto oblongo inſidens, lugentis inſtar caput inclinatum ſiniſtra ſuſtentans; juxta cernitur haſta, vel ſagitta fracta. Sarmatiam ab Domitiano devictam deſignat. De re ipſa Suetonius in Domitiano, cap. VI. *Expeditiones partim ſponte ſuſcepit, partim neceſſario; ſponte in Cattos: neceſſario unam in Sarmatas; legione cum Legato ſimul cæſa. In Dacos duas, primam Appio Sabino conſulari oppreſſo: ſecundam, Cornelio Fuſco præfecto cohortium prætorianarum, cui belli ſummam commiſerat. De Cattis Daciſque poſt varia prælia duplicem triumphum egit. De Sarmatis lauream modo Capitolino Iovi retulit.* Vide Martialem lib. VIII. Epigr. XV. & lib. IX. Epigr. CIII.

Num. *Domitiani* cum inſcript. SIGNIS. A. SARMATIS. XII. RECEPT. Cernitur heic *Sarmata* in dextrum genu procumbens, & dextrâ ſignum militare Rom. cum vexillo quaſi tradens; forte quia ſub Domitiano Sarmatæ cæſi ſigna quædam militaria, quæ à Romanis antea occupaverant, reſtituere coacti ſunt, ut Nummi Inſcriptio denotare videtur. Vides porro heic Sarmaticas braccas, quibus amictus, laxas, uti eas Lucanus deſcribit:

*Et qui te laxis imitantur, Sarmata braccis.*

# TABVLA XXIV.

I. Num. *Constantini Magni* cum Inscr. SARMATIA DEVICTA. *Victoria* alata & galeata gradiens, dextra Trophæum, sinistra palmæ ramum ferens; ante pedes ipsius *Sarmata* captivus manibus post terga revinctis humi adsidet. De Constantini Magni Victoria à *Sarmatis* reportata ita Cedrenus: Τῷ κβ'. ἔτει Κωνσαντῖνος ὁ εὐσεβέσταλος κατὰ Γερμανῶν καὶ Σαυροματῶν καὶ Γότθων στρατεύσας, νίκην ἤρατο κραταιὰν, διὰ τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ δυνάμεως. Οὗτος εἰς ἐχάτην ἤγαγε δουλείαν. *Anno XXII. Constantinus facta in Germanos, Sauromatas & Gothos expeditione, Crucis vi magnam reportavit victoriam, easque gentes in servitutem egit.*

II. Num. *M. Aurelii* cum Inscript. IMP. VIII. COS. III. P.P. DE SARMATIS. Varia armorum genera accumulata heic cernuntur, thorax, sive lorica, scuta oblonga & rotunda, vexilla, sagittæ, arcus, hastæ, tubæ, & cornua; quæ spolia Sarmatarum. De Sarmatarum armis, & quomodo ab iis conficiebantur, vide Pausaniam in Atticis: qui & in Arcadicis, sive lib. VIII. De M. Aurelio scribit: Ὁ δὲ Ἀντωνῖνος οὗτος ὁ δεύτερος καὶ τοὺς τε Γερμανοὺς μαχιμωτάτους καὶ πλείστους τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ βαρβάρων καὶ ἔθνος τὸ Σαυροματῶν πολέμῳ καὶ ἀδίκιας ἄξιον ποιησάμενος ἐπεξῆλθε. *Is autem Antoninus secundus & ferociſsimos Germaniæ populos, & plurimas Barbarorum in Europa nationes, & in his Sauromatarum gentem, à quibus multis injuriis, & injusto bello fuerat provocatus, armis domuit.* Faciunt huc etiam, quæ I. Capitolinus habet in M. Aurelii vita: *Triennio bellum cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis etiam gesſit: & si anno uno superfuisſet, Provincias ex his feciſſet.*

Num.

# TAB XXIV.

1

2




3

4

5

6

7

8



9

10

11

12

Num. *Traiani*, cum Inſcr. COS. V. P. P. S. P. Q. R. III.
OPTIMO PRINC. & infra: DANVVIVS. Simulachrum *Danubii* Fluvii cum veſtis laciniâ is fornicis modum ſupra caput expanſâ, ſiniſtro cubito hydriæ, ex qua aqua profluit, impoſito, dextra vero ſuper navigii proram recubante. Danubium repræſentat, in quo pontem lapideum, qui per veſtem illam ſupra caput forſan deſignatur, Traianus erexit. Qua de re ita Dio in Traiano: Τραϊανὸς ὃ γέφυραν λιθίνην ἐπὶ τοῦ Ἴστρου κατεσκευάσατο, ὡς ἐγὼ πῶς οὐκ ἀξίως αὐτὴν θαυμάσω. εἰσὶ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα αὐτοῦ ἔργα διαπεπέσατα, τοῦτο δὲ ὑπὲρ ἐκεῖνα. *Interim Traianus pontem lapideum in Danubio faciendum curavit, quem ego quidem digne admirari non queo. Nam etſi Traiani ſunt alia opera magnifica, tamen is pons longe omnibus antecellit.* Qui & ejuſdem pontis uberiorem deſcriptionem, quot pilis ſcilicet, quam altis, quam latis, iſte ſuffultus eſſet, qua diſtantia à ſe mutuo pilæ fornicibus conjunctæ fuerint, ſubjungit.

Num. Conſtantini Magni cum Inſcript. SALVS REIP. IV.
& infra DANVBIVS. Alterum *Danubii* fluminis ſimulachrum, ſub figura hominis nudi jacentis cum hiſpida & longa barba, dextro brachio quieſcentis ſuper hydriam aquam effundentem, quæ profluit per pontem fonicatum à latere exſtructum; in cujus ſuperficie cernitur *Victoria* alata gradiens, dextram protenſam imponens capiti hominis ante ſe in alterum genu procumbentis, & ſupplicis inſtar manus extendentis, ſiniſtram vero ſublevatam tenens, cum facie verſa retrorſum ad hominem armatum & galeatum, dextra haſtam ferentem, ſiniſtra vero Alas Victoriæ tangentem. Videtur hoc Nummo Conſtantinus renovare voluiſſe memoriam magnæ iſtius Victoriæ, quam de Sarmatis reportavit; utpote quâ *Reipublicæ Salus* quam maxime procurata fuerit. Vid. notata ad Num. I. Hujus Tab.

V. Num. *Iul. Cæsaris* cum Inscript. GERMN. INDVTI. III. Hic nummus, quamvis nomen non habeat adscriptum, videtur tamen repræsentare simulachrum *Rheni*, Germaniæ inclyti fluminis, qui eam à Gallia separat, sub figurâ senis barbati seminudi, sinistram super navigium ponentis, & dextra tenentis hydriam, ex qua aqua profluit, ad radices montium quorundam, quorum cacumina satis alta hic expressa. Creditur, ut dixi, Rhenus heic designari, tum ex eo quod Iul. Cæsar primus fuerit, qui in bello Germanico Rhenum transiverit; tum etiam ex montium cacuminibus heic effictis, quòd in alio

VI. Num. *Drusi* cui disertim inscriptum RHENVS, etiam reperiantur hujusmodi montium cacumina expressa, ad cujus radices sedet homo senex, barbatus, ex hydria sub sinistro brachio aquam effundens, & dextra arundinem tenens. Ovidius de Drusi Victoriis agens, inter alia de Rheno sic loquitur:

*Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva*
*Decolor ipse suo sanguine Rhenus erat.*

VII. Num. *Domitiani* cum Inscr. RHENVS. S. C. Heic *Rheni* simulachrum similiter cernitur expressum, ut in præcedenti nummo sub figura senis cum hydria & arundine, quem Imperator Domitianus habitu militari amictus, armatusque hasta pura, & parazonio, pedibus quasi calcare & supprimere videtur. Domitianus enim & Germanos & Rhenum ipsum armis subegisse videri voluit, unde & *Germanici* cognomen sæpissime in ipsius Nummis legitur. Quomodo autem Germaniam subegerit, Xiphilinus ex Dione docet in Domitiano. Ἐκστρατεύσας δὲ εἰς τὴν Γερμανίαν, καὶ μηδ' ἑωρακώς πȣ πολέμιον, ἐπανῆκε. *Profectus in Germaniam cum exercitu, hoste nusquam viso revertit.* Triumphum tamen de Germanis egit; at qualem notat Tacitus in Vita Agricolæ: *Inerat (Domitiano) conscientia, derisui fuisse nuper falsum è Germania trium-*

*triumphum, emptis per commercia, quorum habitus & crines in captivorum ſpeciem formarentur.*

VIII. *.

Num. *Vitellii* cum Inſcript. GERM. CAPT. *Victoria* IX.
alata, ſeminuda, ac reliquo corpore pellucida veſte tantum tecta, gradiens, *Clypeum* rotundum, cui literæ VIC. GER. inſcriptæ ad arborem ſuſpendit; ad cujus truncum paullò inferius duo ſcuta oblonga decuſſatim affixa; præterea captivus nudus manibus arboris trunco poſt tergum alligatis cernitur. Imperatoris Vitellii Victorias de Germanis, quem & *Germanici* cognomen delatum, cupide recepiſſe teſtatur Suetonius, deſignare vult.

Num. *Domitiani* cum Inſcrip. GERMANIA. S.C. *Germanus* X.
captivus utroque brachio & cruribus nudus, cætera adſtricta veſte amictus, ſupplex cum ſcuto oblongo in manibus in dextrum genu procumbit, ante Imperatorem *Domitianum* laureatum, militari habitu, parazonio & haſta pura armatum.

Num. *Domitiani*, cum Inſc. GERMANICVS. COS. XV. XI.
*Captivus* pene nudus, ſcuto oblongo humi poſito inſidet, inclinatum caput moeſti inſtar, ſiniſtra manu ſuſtentans; adjacet juxta ſagitta confracta. GERMANICVS heic Cognomen Domitiani eſt.

Num. *Domitiani* cum Inſcrip. DE. GER. *De Germanis* ſc. XII.
Spolia reportata, quæ heic exhibentur Arma varii generis, ſcuta duo oblonga decuſſatim poſita, cum quatuor ſpiculis, tubis, cornibus, & vexillo militari intermedio, in ſignum victoriæ bellicoſiſſimæ gentis, quæ ſub ſpecioſis titulis omnium fere Imperatorum triumphata potius fuit, quam re vera debellata.

# TABVLA XXV.

I. Num. *Druſi*, cum Inſcrip. DE GERMANIS. Heic ſimiliter Germanorum ſpolia cernuntur, uti in Nummo Domitiani *Tab. præced.* Scuta nimirum oblonga duo cum quatuor ſpiculis ſimili modo diſpoſita, duæ itidem tubæ, & vexillum intermedium. *Druſus* hic, Tiberii Imp. frater, Liviæ quippe filius ex Tiberio Claudio Nerone, & pater Germanici, diu ſub Auguſto, cum Germanis bella geſſit, iisque ita terrori fuit, ut etiamnum nomen ejus ad imprecationem mali & terrorem incutiendum proverbio Germanico uſurpetur. *Germanici* cognomen victoriis maximis de Germanis partis meruit, & Senatus decreto id ipſi poſterisque ejus conceſſum, ut teſtatur Suetonius. Mors tamen eum in Germania invenit. Suetonius in Tiberio: *Druſum fratrem in Germania amiſit, cujus corpus pedibus toto itinere prægrediens, Romam uſque pervexit.* De Druſi Geſtis in Germania videndus porro Dio lib. LIV.

II. Num. *Druſi*, cum Inſcript. DE. GERMANIS. *Arcus triumphalis* in cujus faſtigio *Druſus* equo inſidens inter duo trophæa erecta. Quo Ovatio Druſi de Germanis deſignatur. De hoc Arcu Suetonius: *Ei Senatus inter alia complura, marmoreum arcum cum trophæis via Appia decrevit.*

III. Num. *Ejuſdem Druſi*, cum ſimili Inſcr. DE GERMANIS; Ubi quoque *Arcus triumphalis*, cujus faſtigium Druſus haſtam ferens, equo veloci percurrit inter duo trophæa, ad quorum utrumque captivus nudus, manibus poſt terga revinctis, conſpicitur. Quem ritum tangit Iuvenalis Satyr. X.

——*Et ſummo triſtis captivus in arcu.*

Num.

TAB XXV.

1




2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Hadriani* cum Inſcr. GERMANIA. Matrona veſtibus compta ſtans, dextera haſtam ferens, ſiniſtra ſcutum oblongum in terra poſitum ſuſtinens, typum *Germaniæ* refert nondum pacatæ, neque Romanis plane obnoxiæ. Spartianus De Hadriani profectione in Germaniam: *Inde in Germaniam tranſit pacis magis quam belli cupidus, militem quaſi bellum inmineret, exercuit.* Optime animadvertit Hemelarius Germaniæ velut devictæ titulum occurrere in variis Nummis, ut Druſi, Germanici, Tiberii, Claudii, Neronis, Domitiani, Traiani Impp. ſed eam adhuc ſtantem, & nondum exarmatam aut ſubactam hoc nummo fateri Hadrianum. Idque clarum eſſe ex eo, quod & ſequentes fere omnes ordine Imperatores ex hoc muſtaceo ſibi lauream & honorem titulis & trophæis ambiverint ſolidiorem. IV.

Num. *M. Aurelii* cum Inſcript. IMP. VII. COS. III. P. P. DE GERMANIS. Spolia ſc. lecta, & ex variis armorum generibus in cumulum congeſta; ubi diſcernere licet, ſcuta tam rotunda, quam oblonga, thoracem ferreum, ſpicula, vexillum, buccinas, tubas; *Trophæum* exhibent de Germanis devictis. Sic in alio V.

Num. *Ejuſdem* cum Inſcr. IMP. VIII. COS. III. P. P. DE GERM. cernere eſt *Trophæum* cum armis Germanorum ſuſpenſis, ad cujus truncum duo captivi humi ſedentes, alter manibus poſt terga devinctis, altera, lugentis inſtar caput manu ſuſtentans. Nec non in alio VI.

Num. *Ejuſdem* cum Inſcr. GERMANIA SVBACTA. IMP. VI. COS. III. S. C. *Germania* captiva, ſeminuda, humi ſedens cernitur, manibus ad trophæum alligatis, ut & adhuc in alio VII.

Num. *Ejuſdem Imperatoris*, cum gemina Inſcriptione, *Germania*, ſub ſpecie fœminæ lugentis altera manu caput ſuſtentans, altera ſpicu- VIII.

ſpiculum & ſcuta tenens, humi quoque ſedens habetur. Denique in alio adhuc

IX. Num. *M. Aurelii*, cum eadem Inſcript. viciſſim cernitur trophæum ex armis Germanorum erectum, ad cujus truncum mulier ſeminuda manibus alligatis ſedet, cum arcu & ſpiculo ante ſe, uti in Num. VII. Sed inverſo ſitu. Ex tot Imperatoris M. Aurelii Nummis, quibus Trophæum de Germanis devictis inſculptum, utique manifeſta redduntur, quæ Iul. Capitolinus in Ejus Vita, De Bello contra Germanos, præſertim contra Marcomannos feliciter geſto, habet variis locis, primo cum dicit: *Eo tempore & Catthi Germaniam & Rhetiam irruperant, & contra Catthos Aufidius Victorinus miſſus eſt.* Et mox: *Dum Parthicum bellum geritur, natum eſt Marcomannicum, quod diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum eſt, ut finito bello Orientali, Marcomannicum agi poſſet.* Et paullo poſt: *Fratre poſt quinquennium reverſo, in Senatu egit Marcus, ambos neceſſarios dicens bello Germanico Imperatores. Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, ut undique ſacerdotes Antonius acciverit, peregrinos ritus impleverit, Vrbem luſtraverit, celebraverit & Lectiſternia Romano ritu per ſeptem dies.* Denique ſubjungit: *Contra Germanos res feliciter geſſit. Specialiter ipſe bellum Marcomannicum, ſed quantum nulla unquam memoria fuit, tum virtute, tum felicitate tranſegit.* Nil itaque mirum M. Aurelium Victoriæ tam inſignis & præclaræ memoriam tot in Nummis exſtare voluiſſe.

X. Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcrip. GAVDIVM ROMANORVM. & infra ALEMANNIA Sic enim in ipſo Nummo, non ALAMANNIA, uti heic, & in Tabula LXV. Gazæ Areſchotanæ male ſcalptum. *Trophœum* ſub quo ſpecie mulieris ſedentis & lugentis, capite in dextram ſuppoſitam inclinato, *Alemannia* à Conſtantino Magno ſubacta repræſentatur. Ex ejus verò luctu hoſtili *Gaudium Romanorum* ortum. Alemanni olim dicebantur, qui partem Germaniæ, intra Danubium & Aleman-

Alemannum fluvios incolebant ; poſtea Germania univerſa Alemannia appellata ; quo nomine hodiéque Gallis vocatur. Alemannos, ut diverſos à cæteris Germaniæ incolis, diſertim recenſet Nazarius Panegyrico Conſtantino M. dicto, ubi de expeditione ejus in Germaniam: *Quid memorem Bructeros, quid Chamavos? quid Cheruſcos; Vangiones, Alemannos, Tubantes? bellicum ſtrepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipſis vocabulis adhibet horrorem. Hi omnes ſigillatim, dein pariter armati, conſpiratione fœderatæ ſocietatis exarſerant. Tu tamen, Imperator, quum tantam belli molem videres, nihil magis timuiſti, quam ne timereris.* &c.

Num. *Ejuſdem Conſtantini*, cum Inſcript. GAVDIVM ROMANORVM. & infra FRANCIA. *Trophæum* Conſtantini M. de *Francia*, quæ pariter heic ſub eo ſedet lugens, dextra capiti ſuppoſitâ, unde *Romanorum Gaudium* ob gentem ferocem ſubactam. Quomodo Conſtantinus Francos rebellantes coëcuerit, deſcriptum quoque à Nazario: *Illico tu Francis obvius fuiſti, & præſentia tua, ne auderent tranſitum Rheni, terruiſti. Etiam videbaris rem votis tuis feciſſe contrariam, quod inhibita irruptione non foret materia Victoriæ. Sed inopinato conſilio uſus (abiiſti enim ſimulato nuncio majoris in ſuperiore limite tumultus) occaſionem ſtolidis ac ferinis mentibus obtuliſti in noſtra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui ſecuros adorirentur. Quo cum veniſſent, conſilium tuum ſequitur fortuna; Toto Rheni alveo oppleto navibus devectus, terras eorum ac domos mœſtas lugenteſque populatus ; tantamque cladem vaſtitatemque perituræ genti intuliſti, ut vix poſt illud nomen habitura ſit.* In Veteris Germaniæ Tab. apud Ortelium Franci ponuntur eo Germaniæ tractu, qui nunc Franconia dicitur, inter Mænum, Rhenum & Nicerum fluvios. Quæ autem FRANCIA in hoc Nummo deſignetur, abunde conſtare poteſt ex Procopio, vel ex Agathia; apud quos frequens mentio Francorum circa Rhenum habitantium; qui olim Germani dicti. Sic ut *Francia* tum appellata, quæ antea *Germania.* XI.

*mania.* Quo faciunt & illa Hieronymi in Vita Hilarii: *Inter Saxones quippe & Alemannos gens ejus non tam lata, quam valida, apud Historicos,* GERMANIA, *nunc vero* FRANCIA *vocatur.* Vid. Cl. Spanhemii Dissert. VIII. De Præst. & Usu Numism.

XII. Num. *Germanici* cum Inscript. SIGNIS. RECEPT*is.* DEVICT*is* GERM*anis.* *Homo* gradiens militari habitu indutus, dextram protendens, sinistra vero Signum Legionis Rom. *Aquilam* ferens. Typus Victoriæ *Germanici* de Germanis cæsis partæ, qua *Signa recepta* cum Quintilio Varo amissa. Nam post cladem Varianam in Germanorum devenerant potestatem, signa, & Aquilæ duæ; tertiam signifer hastili revulsam abditamque intra balthei sui latebras, servaverat. Hæc signa à Germanico recuperata, cui reduci, Romæ propter ædem Saturni ob hanc causam arcus triumphalis erectus est; in cujus rei memoriam hic nummus videtur cusus; in quo figura ista virilis forsan ipsum Germanicum designat. Quanquam istud de Signis Variana clade amissis, an ductu Germanici unquam recepta fuerint, non adeo in liquido esse apud Auctores, satis demonstrat Reverendiss. & Celsissimus Auctor in Monumentis Paderbornensibus pag. 30. & seq. Edit. Amstelod.

## TABVLA XXVI.

I. Num. *Augusti* absque Inscriptione. in quo *Matrona* vestibus compta subsellio insidens, capite turrito, sinistra *Cornucopiam*, dextrâ quam protendit, *Strobilum* sive *Nucem pineam* ferens, nulla addita Inscriptione, *Augustam Vindelicorum*, ubi Augustus Coloniam deduxit, quam à nomine suo appellavit, ut late probat Marcus Velserus in libro Rer. Augustanar. heic designari, ex *Nuce pinea*, quæ hodieque Insigne istius Urbis est, Viri Doctissimi haud absurde inferunt. Sic in alio

Num.

TAB. XXVI.

1

2

3

4




5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Auguſti* cum Inſcript. TI. CLAVDI. TI. F. NE-II.
RO. COS. ITER. IMP. ITER. cernitur *Currus triumphalis* cum quadrigis, in quo loco aurigæ, *Nux pinea* collocata eſt. Victoriam de Rhætis & Vindelicis, in quorum regione Auguſta Vindelicorum ſita, à Tiberio partam, eoſque quaſi in triumphum deductos, denotare videtur. Suetonius de Tiberio: *Exhinc Rhæticum Vindelicumque bellum, inde Pannonicum, inde Germanicum geſſit. Rhætico atque Vindelico, gentes Alpinas: Pannonico, Breucos & Dalmatas ſubegit. Germanico, quadraginta millia dedititiorum trajecit in Galliam, juxtaque* ripam *Rheni ſedibus aſſignatis collocavit. quas ob res & ovans, & curru urbem ingreſſus eſt; primus ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris.* Sic quoque in alio

Num. *Auguſti* cum Inſcript. TI. SEMPRONI. TI. F. III.
GRACCVS LEG. PROCOS. *Nux pinea* ſuper baſi collocata. Fuit autem iſte *Sempron. Graccus*, cujus mentionem Inſcriptio facit, Tiberii Legatus in oris Vindelicis, quæ heic per nucem pineam deſignantur, ut & in præcedentibus nummis. Haud dubie ex eo, quod Vindelicorum tractus hujuſmodi arboribus corniferis & piniferis abundaverit.

Num. H *Ludovicii Pii* Imp. Caroli Magni filii cum Inſcript. IV.
DORESTATVS. per quam *Batavodurum*, cujus Tacitus meminit, & quæ hodie exiſtimatur eſſe *Wyk te Duurſtede*, deſignari volunt, ex vocabuli *Doreſtatus* convenientia cum *Duurſtede*. Cernitur in hoc nummo navigii genus quoddam, multis remis & gubernaculo inſtructum, cum malo in meditullio navis erecta, à cujus vertice, in quo Crux poſita, utrinque verſus proram & puppim extenſi funes, quibus malus ſuſtinetur. Navigium in hoc nummo expreſſum innuere videtur *Doreſtatum* tum temporis Urbem fuiſſe copiis navalibus florentem.

V. Num. *Galbæ* cum Inſcript. GALLIA. HISPANIA. Duæ figuræ armatæ, galeâ, thorace, haſtis, ſive ſariſſis dextras jungentes, deſignant *Galbam* & *Iul. Vindicem* eodem tempore omneis contra Neronem inſurgentes, hunc in Galliâ, illum in Hiſpaniâ junctis quaſi viribus Neronis Imperium detrectantes.

VI. Num. *Serg. Galbæ* cum Inſcr. TRES GALLIÆ. Cernuntur heic facies trium fæminarum pectore tenus denudataram; quarum una galeata; altera comam pendulam, tertia capillos in nodum ſupra verticem conſtrictos geſtare videtur; quibus tres *Galliæ* partes denotantur, uti inſcriptio docet. Iul. Cæſar lib. I. Com. deB. G. initio: *Gallia eſt omnis diviſa in partes tres. quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui in ipſorum lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur.* Notum eſt veteribus aliàs Galliam diviſam in *Ciſalpinam* & *Tranſalpinam*.. Gallia Ciſalpina dicebatur, quæ hodie Italiæ partem ſub *Longobardiæ* nomine conſtituit. Tranſalpina vero Gallia diviſa in iſtas partes à Cæſare diſtinctas. Alio adhuc modo Gallia in tres partes dividebatur, in *comatam* nimirum, quæ erat Gallia Ciſalpina.. *togatam*, & *braccatam*, quæ Tranſalpinam Galliam conſtituebant; illa Alpibus proxima, hæc remotior, & extremas Galliæ partes comprehendebat. Cæterum Nummus iſte, vulgo inter Imperatoris Galbæ recenſeri ſolet ob Inſcriptionem anterioris partis, ubi nomen SERG. GALBA. expreſſum. Verum alii haud abſque ratione, hunc nummum ad tempora Iul. Cæſaris, ejuſque expeditionem in Gallias referunt, & non S. Galbam, Imperatorem, ſed aliquem è majoribus Proavum nempe ejus, Sergium Galbam Legatum I. Cæſaris in Galliis, deſignari putant; illum nempe, de quo ipſe Cæſar ſtatim ab initio lib. III. De B. G. *Quum in Italiam proficiſceretur Cæſar, Ser. Galbam cum legione duodecima & parte equitatus in Nantuates, Veragros, Sedunosque miſit.* &c. qui porro toto iſto libro geſta ejus in Galliis proſequitur. Nomen vero Ser. Galbæ, Legati Cæſaris, in hoc nummo expreſſum,

eodem

eodem modo, atque istud factum in aliis nummis *Minutii Thermi*, *Titurii Sabini*, aliorumque Legatorum I. Cæsaris, quorum nomina in nummis occurrunt.

Num. *Hadriani* cum Inscrip. RESTITVTORI GALLIÆ. VII. Imperator *Hadrianus* togatus, dextra porrecta, *Galliam* in alterum genu supplicis instar procumbentem sublevare conatur. Spartianus in Hadriano. *Post hæc profectus in Galliam, omnes causariis liberalitatibus sublevavit.* Dicitur *causaria liberalitas*, ut recte explicat I. Casaubonus, cui aliquis casus, aut calamitas fuit causa, quale est incendium, terræmotus, inundatio, bellica vastatio, & id genus similia.

Num. *Ejusdem* cum Inscr. ADVENTVI AVG. GAL- VIII. LIAE. *Gallia* decore vestita stans, & patetam dextra tenens supra ignem in ara, cui adstat Victima, accensum, sacrificat ob felicem *Advertum* Hadriani, qui togatus ab altera aræ parte conspicitur dextra sublevatâ, quasi votis ejus annuens.

Num. *Gallieni* cum Inscr. RESTIT. GALLIÆ. *Gallia* semi- IX. nuda, in dextrum genu supplex prolapsa, ab Imp. *Gallieno*, habitu militari, & sinistra hastam puram tenente dextrâ porrectâ sublevatur. A. Rubenius hunc nummum percussum putat, cum Gallienus Germanos à Gallia strenue arceret, uti est apud Aurelium Victorem Schotti; quod factum initio imperii ipsius. Alii tamen potius hanc restitutionem Galliæ referendam existimant ad factum Postumii, qui, interfecto à Gallis Salonino, Gallieni filio, *ab omni excercitu*, ut est apud Trebellium Pollionem, *gratanter acceptus, talem se præbuit per annos septem, ut Gallias instauraverit, cum Gallienus luxuriæ & popinis vacaret, & amore Barbaræ mulieris conseneseret.* Accedit, quod idem Emblema cum eadem inscriptione reperiatur quoque in Nummis Postumii; sic, ut vero simile sit, tam Gallienum, quam Postumium, qui eodem tem-

pore Imperium tenuerunt, *Galliæ reſtitutæ* Gloriam quemque in nummis ſibi vindicaſſe.

X. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. CO L*oniæ* NE M*auſenſis*. *Crocodilus* cum catena Palmæ alligatus, in memoriam Ægypti ab Auguſto, poſt Antonium devictum, captæ. Literæ COL. NEM. ſignificant Nummum *Nemauſo* in Aquitania, ubi Auguſtus Coloniam deduxit, cuſum. Doctiſſ. E. Spanhemius per Crocodilum palmæ alligatum, in hoc Nummo, non male putat illuſtrari Heſychium in voce δενδείτης κροκόδειλος. A quo non abit Vir ſummus Bochartus in Præfat. Hieroz.

XI. Num. *M. Antonii triumviri*, cum Inſcr. LVGVDVNI. *Leo* Gradiens & caudam vibrans: Forte, quia Antonius Leonem, quibus etiam ante currum triumphalem uſus fuiſſet, teſte Plinio, ut inſigne Vrbi *Lugduni* in Galliis à ſe ſociiſque ejus Silano, Lepido, Planco conditæ, dedicaverit; cum & hodie Vrbs iſta non tantum nomen à Leone Gallice *Lyons* ferat; ſed etiamnum Leonem gradientem, caudamque vibrantem, pro inſigni civitatis habeat.

XII. Num. *Claudii* cum Inſcript. BRITANNIA. Mulier veſtibus compta, ſtans juxta proram navigii, & dextra navis gubernaculum tenens *Britanniam*, repræſentans; quod vel ipſa jam ab antiquo navalibus copiis potens fuerit, vel, quod, ut inſula in mari ſita, non niſi navibus adiri potuerit. Suetonius de Claudio: *Cum decretis ſibi à Senatu ornamentis triumphalibus leviorem Majeſtati principali titulum arbitraretur, velletque juſti triumphi decus unde acquireret*, BRITANNIAM *potiſſimum elegit*, &c. *ac ſine ullo prælio aut ſanguine intra pauciſſimos dies parte inſulæ in deditionem recepta, ſexto quam profectus erat menſe, Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu.*

TA-

TAB XXVII.

1



2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

# TABVLA XXVII.

I. *.

Num. *Claudii* cum Inſcript. DE BRITANNIS. *Arcus* II.
*Triumphalis*, in cujus faſtigio Claudius Cæſar equo inſidens, inter duo trophæa erecta, triumphum DE BRITANNIS deſignat. Qua de re, præter Suetonium, cujus verba præcedent. Tab. adducta, Dion Caſſius lib. LX. poſtquam Claudii Expeditionem in Britanniam narraſſet, ita ſcribit : Μαθοῦσα δ' ἡ γερουσία τὰ κατειργασμένα Βρεττανικόν τε αὐτὸν ἐπεκάλεσε, καὶ τὰ θρίαμβα αὐτῷ ἔπεμψαι ἔδωκε. πανήγυριν τε ἐτησίαν, καὶ ἀψῖδα τροπαιοφόρον ἐν τῇ πόλει, καὶ ἑτέραν ἐν τῇ Γαλατίᾳ (ὅθεν ἐς τὴν Βρεττανίαν ἐξαναχθεὶς ἐπεραιώθη) χρυσᾶς ἐψηφίσαντο. *Senatus, rebus geſtis cognitis, Britannici cognomentum ei, triumphum, ludos annuos, arcum trophæa ferentem in urbe, aliumque in Gallia (unde in Britanniam trajecerat) fieri decreverunt.*

Num. *Claudii* ſine Inſcript. in hac averſa parte. Heic *Romanus* III.
armatus galea & ſcuto, pugione dimicat cum *Barbaro* nudo, pugione tantum inſtructo. A. Rubenius hunc Barbarum *Britannum* eſſe vult; eo quod Zonaras & Xiphilinus in Severo armaturam Britannis aſſignent, Clypeum brevem, haſtam & pugionem. Quamvis Tacitus in Agricola, Britannis longos gladios ſolos attribuat.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. COS. IIII. BRITANNIA. IV.
S. C. hoc Nummo *Britannia* rupibus inſidens militis habitu exhibetur, cum vexillo militari & ſcuto. Similiter in alio

Num. *Ejuſdem Antonini*, cum Inſcr. BRITANNIA. S. C. V.
*Eadem* repræſentatur ſcopulis aut rupibus inſidens, dextra ſignum mili-

militare, ſiniſtra haſtam tenens cum ſcuto. Denique in alio adhuc

VI. Num. *Ejusdem Antonini*, cum Inſcrip. IMPERAT. S. C. BRITANNIA. *Eadem* deſignatur, *Globo*, aut *Orbi* undis innatanti inſidens cum ſigno militari in dextra. Per Orbem undis innatantem *Britannia*, quaſi novus terrarum Orbis à reliquo ſeparatus denotatur. Cambdenus in Britanniæ Deſcriptione, putat hos nummos ſignatos à Provincia Britannia in Antonini Pii honorem, cum ille Imperium auſpicaretur. Militarem vero illum provinciæ Britanniæ habitum denotare, Britanniam tunc temporis militari gloria floruiſſe.

VII. & VIII. Num. ad *Britanniam* pertinens, repertus olim inter rudera *Arcis Britannicæ*, uti vulgo vocatur, in littore prope Cattovicum in Hollandia, cujus in antica parte cernitur *Equus*, cum Inſcr. CVNO, quod eſt *Cunobilinus*, uti plene in aliis nummis apud Cambdenum legitur, qui Tiberii tempore Britanniæ præfuit. in altera parte cernitur *ſpica*, cum Inſcript. CAMV, quod eſt *Camulodunum*, & locum, ubi ſignata fuit pecunia, denotare videtur. *Camulodunum* enim regiam *Cunobilini* fuiſſe putat Cambdenus. qui etiam opinatur hujusmodi nummum vectigalem fuiſſe. Penſitaſſe enim provinciales pro ſativis, plantariis, arboretis, paſtionibus majorum minorumque animalium; in eumque uſum cuſus nummus pro majoribus animalibus cum equo; pro minoribus cum porco, pro ſylvis cum arbore, pro ſativis cum ſpica. Alii hoc nummo Britanniæ Abundantiam tam in animalibus, quam frumentis deſignari putant.

IX. Num. *Auguſti*. cum Inſcrip. L. AQVILIVS FLORVS III VIR. & infra, SICIL. Heic *Sicilia* repræſentatur ſub forma fœminæ penitus nudæ, niſi quod veſtimenti laciniam circa pubem obducti ſiniſtra apprehendat, & in terram prolapſæ prorſus in genua, dextra manu quaſi ſe erigere conantis, quæ à viro armato dextrâ

dextrâ per ſiniſtrum brachium ſublevatur. Videtur deſignare Auguſtum poſt devictum Sext. Pompeium Siciliam iterum reſtituentem. Sic teſtatur Strabo lib. VI. Auguſtum Syracuſas, à S. Pompeio antea fere devaſtatas & exhauſtas, miſſâ coloniâ magnam veteris ſtructuræ partem inſtauraſſe. Εφ' ἡμῶν ὃ Πομπηΐου τὰς τε ἄλλας κακώσαντος πόλεις, καὶ δὴ καὶ Συρακούσας, πέμψας ἀποικίαν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ, πολὺ μέρος τοῦ παλαιοῦ κτίσματος ἀνέλαβε L. AQVIL. FLORVS, IIIVIR. Monetæ fuit tempore Auguſti, cuius nomen & in aliis nummis Auguſti reperitur.

Num. *Auguſti*, cum Inſcrip. IMP. IX. SICIL. *Diana Venatrix* pectore tenus nuda, ac veſtibus ſuccincta, dextra haſtam, ſiniſtra arcum tenens, cum cane venatico. Sic in alio X.

Num. *Auguſti*, cum ſimili Inſcr. IMP. X. SICIL. *Eadem Diana Venatrix* feſtinans expreſſa, ſiniſtra arcum tenens, dextra vero ſagittam ex pharetra à tergo pendente trahens. *Siciliam* venationibus illuſtrem denotare videtur. Vel quod Diana inter Siciliæ deos tutelares habita. Tradit utique Diodorus Siculus lib. V. Dianam, Minervam & Proſerpinam διὰ τὰς μετ' ἀλλήλων διατριβὰς τε καὶ ὁμιλίας, ἁπάσας στέρξαι τὴν νῆσον ταύτην μάλιστα, καὶ λαχεῖν ἑκάστην αὐτῶν χώραν, *propter familiarem inter ſe conſuetudinem inſulam mirifice dilexiſſe, adeoque unamquamque certum in eo ſibi locum vendicaſſe.* XI.

Num. *Auguſti* cum Inſcrip. M. AGRIPPA. L. F. COS. ITER*um*. DES*ignatus*. TER*tium*. Caput *Agrippæ*, generi Auguſti, corona navali roſtrata, ob Sext. Pompeium apud Siciliam prælio navali devictum, redimitum, ſive, ut Virgilius lib. VIII. Æneid. XII.

——— *cui belli inſigne trophæum*
*Tempora navali fulgent roſtrata corona.*

Velleius Paterculus lib. II. de hac corona: *Insigne coronæ classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello* (Actiaco sc.) *Agrippa singulari virtute meruit.* Ita quoque Livii Epitome CXXIX. *M. Agrippa navali corona donatus est, qui honos nemini ante eum habitus erat.* Nec non Dio Cassius lib. XLIX. Τῷ Ἀγρίππᾳ στέφανον χρυσοῦν ἐμβόλοις ἠσκημένον ἐδωρήσατο. ὃ μὴ πρότερον, μήτ' αὖθις ἄλλῳ τῳ ἐγένετο. *Agrippam corona rostrata aurea donavit: quod neque ante, neque postea cuiquam contigit.* Plinius tamen lib. XVI. c. 4. & lib. VII. c. 30. & M. Varronem piratico ex bello, dante Pompeio Magno, corona navali donatum testatur. Infra M. Agrippæ caput cernuntur *tria crura*, in quorum medio caput fæmineum: *Siciliæ* typus, quæ triangularis est, & tribus promontoriis in diversa procurrit, unde *Tricuspis*, *Triquetra* & *Trinacria* appellata. Strabo lib. VI. Ἐστὶ δ' ἡ Σικελία, τείγωνον τῷ σχήματι· καὶ διὰ τοῦτο Τριναχρία μὲν πρότερον, Τρινακὶς δ' ὕστερον προσηγορεύθη, μετονομασθεῖσα εὐφωνότερον. Τὸ δ' σχῆμα διορίζουσι τρεῖς ἄκραι. &c. Ad Inscriptionem hujus nummi, ubi Agrippa dicitur COS. ITER*um*, DES*ignatus* TER*tium*. pertinent illa Taciti lib. I. Annal. c. III. *M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiæ, & victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit.*

## TABVLA XXVIII.

I. Num. *Augusti.* cum eodem *Siciliæ* schemate & τριχέλυ nisi quod spicam singulis cruribus interpositam habeat, ad Siciliæ fertilitatem designandam; quippe quæ promus condus & horreum quasi totius Italiæ fuerit. Strabo lib. VI. Καὶ δὴ καὶ καλοῦσιν αὐτὴν ταμεῖον τῆς Ῥώμης· νομίζεται γὰρ τὰ γινόμενα πάντα πλεῖν ὀλίγων τῶν αὐτόθι ἀναλισκομένων δεῦρο. ταῦτα δ' ἐστὶν ἔκ τε καρποὶ μόνον,

TAB. XXVIII.

1

2



3

4

5

6

7



8

9

10

11

12

μόνον, ἀλλὰ καὶ βοσκήματα, καὶ δέρματα, καὶ ἔρια, καὶ τὰ τοιαῦτα.
*Atque adeo penus Romæ appellatur Sicilia, quod omnes ejus proventus, demtis quæ ibi abſumuntur paucis, Romam comportantur : non fructus duntaxat, ſed & pecora, pelles, lanæ, aliâque id genus.*

II. *.

Num. *Gentis Valeriæ* cum Inſcript. C. VALERIVS. ad *Siciliam* pertinet, quæ in eo repræſentatur ſpecie Nereidos, ſive virginis infra umbilicum duplicem in piſcem deſinentis : Quale monſtrum Virgilius expreſſit lib. III. Æneid. III.

*Prima hominis facies & pulcro pectore virgo*
*Pube tenus.* ——

Cum Horatio De Art. Poët.

——*ut turpiter atrum,*
*Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.*

adblandientis maris ſtatum ſerenum & tranquillum denotat, qui mox in horrendam tempeſtatem, decumanosque fluctus erumpit.

Num. *Sext. Pompeii*, cum Inſcrip. PRÆF. ORÆ. MARIT. ET CLAS. SC. Idem fere monſtrum ac in præcedenti nummo, niſi quod tres canes intermedios infra pubem adnexos habeat; *Scyllam* exprimit, ad *Siciliam*, cui Sext. Pompeius & S C. præfuit, deſignandam, plane ut à Virgilio deſcribitur Eclog. VI. IV.

*Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt,*
*Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris*
*Dulichias vexaſſe rates, & gurgite ab alto*
*Ah! timidos nautas canibus latraſſe marinis.*

Uti heic ſcalpta eſt, gubernaculum navis Palinuro alicui ereptum ambabus manibus ſupra caput levatum, ſumma vi in profundam voraginem quaſi præcipitaret; denotat, navem, cui gubernaculum ventorum vi excuſſum, procellis expoſitam, naufragium haud evitaturam.

V. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcrip. TR. POT. COS. III. ITALIA. Heic *Italia*, ſpecie matronæ decore cultæ, capite turrito, ad Urbium multitudinem deſignandam, globo ſtellato inſidet, ſiniſtra *Sceptrum*, ad Orbis Imperium, dextra *Cornucopiæ* tenet, ad ejus fertilitatem & omnium rerum Abundantiam denotandam.

VI. Num. *Hadriani*, cum Inſcrip. ADVENTVI AVG. ITALIÆ. *Italia* ſtolata cum Cornucopiæ in ſiniſtra, ſtans ante aram ſacrificat ob *adventum Hadriani*, qui è regione adſtat togatus, dextra protenſa votis ejus annuens.

VII. *.

VIII. Num. *Nervæ* cum Inſcrip. TVTELA ITALIÆ. S. C. *Nerva* Imperator togatus, ſellæ curuli inſidens, ante eum *Italia* cum duobus infantibus, puero & puella, ſtans, Ejus *Tutelæ* ſe committit, uti Inſcriptio docet. Exſtat & Nummus Traiani, cum Inſcript. ITALIA RESTITVTA, in quo idem Typus Italiæ cum liberis duobus ante Traianum ſedentem cernitur, qui unice illuſtratur verbis Xiphilini de Traiano: Ἐις ὃ τὴν Ῥώμην εἰσελθὼν, πολλὰ ἐποίησε πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν, καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν· ἐπεί τε διαφερόντως ἐπεμελήθη, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τότε δωρεῶν. *Poſtquam Romam venit, multa fecit ad emendandum corrigendumque ſtatum reipublicæ, atque in gratiam bonorum, quorum & reipublicæ curam inprimis geſſit.*

Nam

*Nam civitatibus Italiæ multa largitus est ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit.*

Num. *M. Aurelii*, cum Inscr. RESTITVTORI. ITALIÆ. IX.
IMP. VI. COS. III. SC. Imperator *M. Aurelius* sagatus stans, cum sceptro in sinistra manu, dextrâ porrectâ *Italiam*, turrito capite, seminudam, sinistrâ globum tenentem, & in dextrum genu supplicis instar prolapsam, opemque ejus implorantem erigit. Typum declarant Verba I. Capitolini de M. Aurelio : *Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex Vrbe donavit : omnique frumentariæ rei consuluit.* Et mox : *Datis juridicis Italiæ consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.*

Num. *Fam. Rom.* incertæ, cum Inscript. ITALIA. In quo X.
Caput elegans fæmininum, comatum, & laureatum, *Italiam* repræsentat. In altera hujus Nummi parte, quæ exhibetur infra Tab. CXI. Num. V. ex Fulvii Ursini sententia Italicorum Conjuratio scalpta est, de qua præter alios Velleius lib. II. & Appianus Alexand. lib. I. Bel. Civil.

Num. *Q. Fusii Kaleni.* cum Inscrip. HO. VITR. KALENI. XI.
Heic per duo Capita, quorum alterum laureatum, cum coma annulatim, sive per spiras flexa, dependente, alterum galeâ armatum, quibusdam *Italia* & *Roma*, sub nomine *Honoris* & *Virtutis*, repræsentari videtur. præsertim cum in aversa parte

Num. *Ejusdem*, cernantur duæ Figuræ stantes, *Italiam* & *Ro-* XII.
*mam* exhibentes. quæ invicem dexteras conjungunt. Italia, ut Matrona habitu decoro, Cornucopiæ tenens; Roma verò heroico habitu & galeata, uti in nummis Cæsarum solet, sinistra sceptrum habet, & dextrum pedem globo imponit. *Caduceus* à tergo Italiæ, denotat pacem per Italiam solum, cum jam Imperio Romano subesset, redditam, & inde omnium rerum Abundantiam, cujus signum Copiæcornu natam.

# TABVLA XXIX.

I. Num. *Neronis* cum Inſcript. ROMA. Quæ armata cum galea criſtata, ſuper thoracem ſedet, Amazonis inſtar, exſertâ alterâ mammâ, ſiniſtra parazonium, dextra *Victoriolam* geſtans. dextro pede galeam humi jacentem calcans. Sic in alio

II. Num. *Ejuſdem* cum ſimili Inſcrip. *Roma* ſed veſte ad talos demiſſa, ſimiliter galeata armis inſidet, ſiniſtra ſuper clypeum poſita, dextra haſtam ferens.

III. Num. *Titi* cum Inſcript. COS. VI. *Roma* Galeata ſedens ſuper arma disjecta, quæ inter duo clypei cum galeâ conſpicui; juxta pedes ejus Lupa lactans Romulum & Remum, dum ad caput ejus utrinque duæ Aquilæ advolent.

IV. Num. *Galbæ.* cum Inſcript. ROMA RENASC. *Roma* galeata ſtans cum *Victoriola* in dextra, ſiniſtra vero haſtam cum Aquilâ ferens. *Renaſcens* dicitur heic *Roma*, quaſi ſublato Nerone, ſub Galbæ Imperio novas vires acquiſiverit. Sic in alio

V. Num. *Ejuſdem* cum Inſcript. ROMA VICTRIX. *Roma* galeata, & altera mammâ nuda, ſtans, dextro pede Globum premens, ſiniſtra ferens ſceptrum, dextra lauri ramum protendens.

VI. Num. *Veſpaſiani* cum Inſcrip. ROMA. Quæ heic ſimiliter cernitur galeata, & altera mamma exſerta ſtans, thoraci poſt tergum trophæi inſtar ſuper truncum erecto innitens, & ſiniſtra *Aquilam*, Legionis ſignum, dextra *Victoriolam* ferens. Quod attinet Mammam nudam, qua Romam Heroinæ inſtar, in aliquot Nummis hujus Tab. ſcalptam vidimus, plane eo modo ab Antiquis deſcribi ſolet. Sic enim præter Claudianum Conſul. Probi & Olyb. & Si-

TAB. XXIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

& Sidonium Apollinarem in Anthemii & Majorani Corippus lib. I. De Laudib. Juſtini.

*Addidit antiquam tendentem bracchia Romam,*
*Exſerto & nudam geſtantem pectore mammam,*
*Altricem Imperii, libertatiſque parentem.*

Num. *Veſpaſiani* cum Inſcrip. ROMA RESVRGES. Heic ex nonnullorum ſententia, *Roma* ſub ſpecie mulieris inermis, & pectore tenus nudæ, in dextrum genu procumbens ab Imperatore Veſpaſiano togato, dextra ſublevatur, poſt bellum nimirum civile ſub Vitellio, ope Titi filii, vel alterius ſtrenui Ducis, quem adſtare volunt, profligatum. Verum melius, meo judicio, Rubenius, qui per mulierem in genua procumbentem, *Libertatem* ſub Vitellio oppreſſam intelligit, quam Imperator Veſpaſianus dextra elevat, & *Romæ* militari forma adſtanti reſtituit. In quam ſententiam de Republ. Flavius Vopiſcus in Caro: *Paſſa deinceps tot Nerones, per Veſpaſianum caput extulit.* VII.

Num. *Nervæ*, cum Inſcr. ROMA FELIX. *Roma* galeata, & altera mamma nuda Globo inſidens, ſiniſtra navis Gubernaculum, hoc eſt imperii per terrarum Orbem derigens, & dextra Lauri ramum præferens. VIII.

Num. *Hadriani* cum Inſcr. ROMA ÆTERNA. *Roma* ſolita forma, monticulis quibus clypeus adpoſitus, inſidens, dextro pede globum premens, ac ſiniſtra haſtam, dextra vero lunam falcacam, è cujus medio caput radiatum, hoc eſt, Sol ipſe, exſurgit, tenens. *Æternitatis* ſc. Symbolum. IX.

Num. *Theodoſii*, cum Inſcr. CONCORDIA AVGGG. Sedet heic *Roma* cum galea criſtata in capite; dextra haſtam, ſiniſtra globum ſeu Orbem ferens, & pedibus navigii proram premens. X.

*Deſi-*

Designatur vero *Nova Roma*, sive *Constantinopolis*; & tres Augusti, quorum inscriptio meminit, sunt Gratianus, Valentianus, & Theodosius, quorum *Concordia* denotatur, quia satis consentientibus animis per quinque fere annos Imperium universum administrarunt.

XI. Num. *L. Aur. Veri*, cum Inscr. TRP. VII. IMP. IIII. COS. III. SC. *Roma* armis insidens, sinistra hastam tenens, Imp. *Verum*, è bello Parthico redeuntem & paludatum, dextra porrecta excipit; ac si adventum ei gratularetur, aut Fædus cum eo iniret.

XII. Num. *Maxentii*, cum Inscr. CONSER. VRB. SVAE. Heic Templum cernitur, in cujus Adyto, elevata super gradus sedet *Roma* consueta forma, ad quam Victoria alata seminuda accedens ei Lauream coronam offert, captivumque cui manus post tergum devinctæ, capillis arreptum, arte pedes ejus trahit. Maxentius heic CONSER*vatorem* VRB*is* SVÆ se vocat. Forte Nummus percussus à Maxentio post Victoriam à Severo reportatam, quem contra se Romam venientem prorsus fudit, fugavitque; quâ Victoriâ Urbem conservasse videri voluit; cum interim Roma libidinosius aut crudelius à nemine unquam agitata fuerit. Præter alios Zosimus lib. II. Hist. de eo: Μαξέντιος μὲν οὖν ταῦτα διαπραξάμενος, καὶ τοῖς κατὰ τὴν Ἰταλίαν τε καὶ τὴν Ῥώμην αὐτὴν μετὰ πάσης ὠμότητος τε καὶ ἀσελγείας προσενεχθεὶς, ἐν τούτοις πῶς ἦν. *Maxentius quidem, cum hæc ita perageret, & omnia per Italiam ac in ipsa Vrbe summa crudelitate & libidine administraret, in tali statu erat.*

TA-

TAB. XXX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



# TABVLA XXX.

Num. *Conſtantinopolitanus* cum Inſcript. VRBS ROMA. I.
Heic *Vrbs* ipſa ſpecie matronæ eleganter cultæ, & decore veſtitæ cum veſte palmatâ circa humeros, ac pectore tecto repræſentatur, galeam criſtatam in capite ferens. In averſa parte hujus

Num. cui Inſcr. T R. P. cernitur *Lupa* Romulum & Remum, II.
Urbis conditores, lactans, cum duabus ſtellis ſupra tergum, gemellos deſignantibus, fauſti ominis ergo, uti Caſtor & Pollux repræſentare ſolent. Quemadmodum Vulcanus in Clypeo Æneæ, ex deſcriptione Virgilii:

*Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro*
*Procubuiſſe Lupam, geminos hinc ubera circum*
*Ludere pendentes pueros, & lambere matrem*
*Impavidos, illam tereti cervice reflexam*
*Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.*

Num. *Hadriani*, cum Inſcript. P. M. TR. P. COS. III. Se- III.
nex hic ſeminudus humi procumbens ſub umbroſa fronde arboris, cui ſiniſtro cubito innititur, caput manu ſuſtentans, & ſcuticam dextra tenens, quamvis nomen adſcriptum non habeat, *Tiberum* fluvium ſive *Tiberinum* deſignare videtur, præſertim cum à Virgilio eodem fere modo deſcribatur:

——— *Fluvio Tiberinus amæno*
*Populeas inter ſenior ſe attollere frondeis*
*Viſus; eum tenuis glauco velabat amictu*
*Carbaſus, & crineis umbroſa tegebat arundo.*

IV. Num. *Antonii Pii*, cum Inſcr. TR. POT. COS. III. TIBERIS. Heic ſub ſenis itidem ſeminudi, & carbaſo cincti forma *Tiberis* adumbratus; qui Septem montibus incumbens, ſiniſtra arundinem tenet, dextram vero naviculæ imponit.

V. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcript. IMP. VII. COS. III. S. C. Heic ſimiliter ſenex ſcalptus, qui dextram navigio aut ſcaphæ imponit, ſiniſtrâ vero, qua arundinem habet, urnæ, ex quâ aqua magna copia undulatim profluit, incumbit, nullo adſcripto nomine, cernitur. Clariſſ. Patinus in Imperatoribus ex ære mediocri, *Rhenum* ſub M. Aurelio ſubjugatum denotare putat. Verum longe melius ad Tiberim hic nummus refertur, in memoriam inundationis, quæ ſub hoc Imperatore graviſſima fuit, & per aquam ex urna profluentem deſignatur. Qua de re Jul. Capitolinus in M. Aurelio: *Interpellavit Felicitatem ſecuritatemque Imperatoris, Tiberis inundatio, quæ ſub illo graviſſima fuit; quæ res & multa urbis ædificia vexavit, & plurimum animalium interemit & famem graviſſimam peperit. Quæ omnia Marcus & Verus ſua præſentia temperarunt.*

VI Num. *Pompeji Magni*, cum Inſcr. PRO. Q. M. MINAT. SABIN. Imp. *Pompeius Magnus*, ex nave in terram deſcendens, à fœmina æſtive veſtita, & ſiniſtra ſceptrum ſuper humerum tenente, dextra porrecta excipitur, quaſi adventum felicem ipſi gratularetur, dum hinc inde omnis generis arma, quæ inter & jaculum, ſive *gæſum* apparet, ad pedes ejus projecta cernantur. Fœmina iſta *Hiſpaniam* repræſentare videtur, quæ Sertorii tempore, Pompejum adventantem ad eam liberandam, gratulabunda excipit. Cuſus nummus à *Marco* MINATio SABINo PRO *Quæſtore* Pompeii in Hiſpania, quod ex jaculo inter arma ante pedes liquet; ut plurimum enim Hiſpania cum duobus jaculis aut *gæſis*, exprimi ſolet. Quamvis ſint, quos inter etiam Cl. Moriſotus in Orbe Maritimo, qui hunc nummum ad bellum Piraticum & Mithridaticum

cum pertinere putant; & fæminam hanc non Hiſpaniam, ſed Romam deſignare velint; quæ Cn. Pompeio poſt Victoriam de Piratis reportatam, confecto bello, de navi in Romanum littus deſcendenti, quam ſpoliis hoſtium oneraverat, obviam progreſſa, dextra porrecta, adventum ipſi gratuletur. haud ita bene, meo judicio.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. HISPANIA Mulier militari habitu ſuccincta, ſtans, cum parvo ſcuto, ſive *cetra*, ut Hiſpani appellabant, duobusque telis, ſive jaculis, quæ Hiſpanis *gæſa* dicta, in ſiniſtra manu; dextra vero duas ſpicas tenens; *Hiſpaniam* & Armis & agrorum fertilitate florentem deſignat. VII.

Num. *Galbæ*, cum Inſcript. HISPANIA. Similiter heic *Hiſpania*, ſub ſchemate mulieris ſtantis, ſed veſte dimiſſa, cum *cetra* & duobus jaculis in ſiniſtra, & ſpicis in dextra manu, repræſentatur. In memoriam Hiſpaniæ, cui Galba per octo annos præfuit, & in qua provincia primum *Imperator* ſalutatus eſt, Sic in alio VIII.

Num. *Ejuſdem.* cum Inſcript. HISPANIA. Caput elegans fæmininum humero tenus cernitur, cum coma reflexa & collecta in ſpiram, præter cirros quoſdam undulatim circa cervicem defluentes; ad latus ſcutum parvum, ſive *cetra* cum duobus jaculis apparet. IX.

Num. *Galbæ*, cum Inſcr. HISPANIA. CLVNIA. SVL. Videtur hic Nummus pertinere ad ipſum Actum, quo Galba in Hiſpania Imperator declaratus. Cernitur enim *Galba* laureatus, & veſte imperatoria amictus cum parazonio in ſiniſtra manu, Sellæ inſidens; ante quem matrona ſtolata ſtans, cum Cornu copiæ in ſiniſtra, dextrâ imagunculam quandam, ſive Fortunam, ſive aliquid aliud deſignet, ei offert & porrigit, quam Imperator dextra extenſa recipere videtur. Ex Inſcriptione HISPANIA X.

CLVNIA. SVL. Quidam heic per Matronam ipſam Hiſpaniam intelligunt, quæ ſe & Fortunam ſuam SVL*pitio Galbæ* ut Imperatori ſubmittit; poſtquam ipſi in CLVNIA Citerioris Hiſpaniæ oppido vaticinio prædictum fuerat, Imperatorem ſeu aliqando futurum. Læv. Torrentius ad Suetonium, demonſtrans CLVNIAM antiquitus jam SVLPITIAM vocatam, (forte quod ex *Sulpitia* gente aliquis Coloniam ibi deduxerit,) ad Interpretationem hujus Nummi, reique geſtæ memoriam, que heic exhibetur, haud alia magis, quam hæc Suetonii verba è Vita Galbæ facere exiſtimat: *Legato Aquitaniæ auxilia implorante, ſupervenerunt Vindicis literæ, hortantis*, ut humano generi aſſertorem ducemque ſe accommodaret. *Nec diu cunctatus, conditionem partim metu, partim ſpe recepit. Nam & mandata Neronis de nece ſua ad procuratores clam miſſa deprehenderat, & confirmabatur cum ſecundiſſimis auſpiciis & ominibus, tum virginis honeſtæ vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina ſacerdos Iovis CLVNIÆ ex penetrali, ſomnio monitus eruerat, ante ducentos annos ſimiliter à fatidica puella pronuntiata. Quorum carminum Sententia erat: Oriturum quandoque ex Hiſpania Principem, Dominumque rerum.* Quicquid ſit, ob Vaticinium CLVNIÆ, Hiſpania heic Galbam, tanquam, Imperatorem ſalutare videtur.

XI. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. HISPANIA. Fæmina humi ſedens, ſiniſtro cubitu ſcopulis incumbens, dextrâ ramum pacificæ oleæ tenet; ad cujus pedes cernitur cuniculus. Hiſpanicæ regionis indolem & naturam exhibet. Ita, ut Ramus olei ubertatem, quo Hiſpania ſemper abundavit, Romamque miſit; Cuniculus vero, qui rarus admodum ſemper in Italia, animalis hujus copiam in Hiſpania, ut ex Strabone, Æliano, aliiſque notum, deſignet. Imo, ut Plinius lib. XIII. Cap. LV. ex Varrone notat, tanta ejus in Hiſpania multitudo, ut oppidum quoddam à cuniculis ſubfoſſum, funditus in voraginem peſſum iverit; ita ut propterea haud male cuniculus ad pedes Hiſpaniæ expreſſus videatur. Quo pertinet

TAB. XXXI.

1




2

3




4

5

6

7

8

9

10




11

12

tinet & illud Catullii: *Cuniculoſæ Celtiberiæ fili.* Niſi quis malit cum Ant. Auguſtino per cuniculum heic ſignificari, cuniculos ſubterraneos, venaſque, quibus metalla auri, & argenti, effoderent, quorum tum temporis magna copia in Hiſpania, ita ut & Romam inde mitti ſolebat; unde Claudiano dicitur:

*Dives equis, frugum facilis, pretioſa metallis.*

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. RESTITVTORI HISPANIÆ. *Hiſpania* cum cuniculo juxta pedem ſiniſtrum, in dextrum genu prolapſa, & ſiniſtra oleæ ramum tenens, ab Imperatore Hadriano laureato & togato adſtante, dextra porrecta ſublevatur. Faciunt heic illa Æl. Spartiani de Hadriano: *Poſt hæc Hiſpanias petiit, & Tarracone hiemavit: ubi ſumptu ſuo ædem Auguſti* RESTITVIT. *omnibus Hiſpanis Tarraconem in conventum vocatis.* &c. XII.

# TABVLA XXXI.

Num. *Auguſti*, cum Inſcrip. HISPANIA RECEPTA. T. CARISIVS. LEG. Heic Hiſpanorum ejus temporis arma cernuntur, *tria* nimirum *ſcuta* depicta ſive cælata, quæ ipſi ut & Afri, Galli, Britanni, qui iſtis uſi *cetras* appellabant, *Haſta*, & *enſis falcatus*. Silius lib. III. de Afris I.

*Verſicolor contra cetra, & falcatus ab arte*
*Enſis.* ——

De Hiſpanis I. Cæſar lib. I. de Bel. Civil. *Hos levis armaturæ Luſitani peritique earum regionum, cetrati citerioris Hiſpaniæ conſectabantur.* Sed videndus Lipſius in Analect. ad Milit. Rom. lib. III. Dial. I. In memoriam *Hiſpaniæ* ab Auguſto pacatæ hic nummus

percussus. Velleius Paterculus lib. II. *Hispaniæ nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ &c. multo varioque Marte pacatæ.* De T. CARISIO, qui *Legatus* Cæsaris Augusti in Hispania fuit, ut inscriptio indicat, ejusque ibidem prospere gestis, Dio Cassius lib. LIII. Καὶ Τίτῳ μὲν ταῦτα Καρίσιῳ τῷ τε Λαγκίαν τὸ μέγιστον τῶν Ἀστύρων πόλισμα ἐκλειφθὲν εἷλε, καὶ ἄλλα πολλὰ παρεσήσατο. πανσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τῇ Ἀυγούσῃ Ἠμερίταν κτίσαι ἔδωκεν. *Titus deinde Carisius Lanciam, quæ est maxima Asturiæ urbs, desertam occupavit, multaque alia in suam potestatem redegit, finitoque hoc bello Augustus emeritos milites exauctoravit, urbemque eos in Lusitania Augustam Emeritam condere jussit.* Idem Dio lib. LIV refert, Asturas, qui à Carisio Augusti Legato desciverant, C. Furnio Cantabriæ Præfecto auxilium ferente, à Carisio coërcitos, atque rursus in servitutem redactos. De Ejusdem Gestis in Hispania vide & Florum lib. IV. circa finem, & Paul. Orosium lib. VII.

II. Num. *Augusti* cum Inscr. P. CARISIVS LEG. PRO. PR. *Trophæum* ob Victoriam de Cantabris erectum, in quo varia armorum istius gentis genera discernere est; præter Loricam enim, scutum sive cetra à sinistro, duo jaculi à dextro latere affixi, cum galea cristata capitis loco; infra cetræ variæ; jaculi, ensis falcatus, tubæ, litui, aliaque id genus armorum congesta. P. CARISIVS, cujus heic mentio, ut Augusti in Hispania LEGatus PRo PRætore, frater haud dubie fuit T. CARISII, quod etiam Fulvio videtur.

III. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. BILBILIS. Cernere heic est Equitem currentem cum jaculo in manu; an ob equorum copiam aut excellentiam æque in hoc tractu, ac in reliqua Hispania? unde

unde Claudiano Hiſpania *Dives equis* in verbis ad Num. XI. præcedentis Tabulæ adductis. Imo diſertim Martialis de Bilbili patria ſua, lib. I. Epigr. I.

*Videbis altam Liciniane Bilbilim*
*Equis, & armis nobilem.*

Et ab *armis*, & ab *equis* eam laudat; quanquam ſint, qui hic *aquis* pro *equis* legant & intelligant *Salonem*, fluvium circa Bilbilim, de quo idem Martialis lib. X. Epigr. CIII.

*Municipes, Auguſta mihi quos Bilbilis acri*
*Monte creat, rapidus quem Salo cingit aquis.*

Sed nihil mutandum in priori Martialis loco. *Bilbilim* enim tam ab equorum præſtantia, quam ab armorum cum fabricandorum, tum tractandorum peritiâ, quâ utrâque ejus incolæ excelluêre, celebrare videtur. Sic in alio quoque

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. OSCA. itidem Eques currens cum jaculo in manu expreſſus; ob eandem haud dubie rationem. Quamvis Ant. Auguſtino videatur repræſentare Equeſtrem ſtatuam Auguſto poſitam. OSCA Civitas citerioris Hiſpaniæ, in Arragonia, vulgo *Hueſca*, dicitur. Hic Sertorius olim diu ſedem habuit, in qua etiam à Perperna occiſus. Velleius Paterculus lib. II *Sertorium inter cœnam Oſcæ interemit.* Ita enim recte à Viris doctiſſimis emendatum, ubi vulgo corrupte *Etoſcæ* legitur. Strabo lib. III. de eodem Sertorio ait; Ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκῃ. Et Florus lib. III. cap. XXII. *Oſcam* inter eas civitates recenſet, quæ poſt Sertorii cædem, in Romanorum fidem venerunt. IV.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. VALENTIA. Duplex *Cornucopiæ* fructibus repletum, haud dubie ad ſoli fertilitatem & fructuum abundantiam deſignandam circa *Valentiam*, Sic in alio V.

Num.

VI. Num. *Cæſaris* cum gemina Inſcr. VALENTIA. Similiter duplex Cornucopiæ expreſſum, cum lituo, ſive radio, cui animalis cujuſdam caput adnexum, niſi forte galeæ formam præferat. Utrumque & Ubertatis & Fortitudinis Symbolum. Utrum vero VALENTIA in hiſce Nummis ad *Valentiam* in Hiſpania, an vero ad *Valentiam* in Italia, quæ etiam *Vibovalentia* dicitur, referri debeat, dubitant Antiquarii, & Ant. Auguſtinus, aliique ad Italicam pertinere putant, præſertim cum hi Nummi magis affabre ſculpti ſint, quam quidem reliqui Hiſpanici. Hinc non dubito, cum Alb. Rubenio hæc duo Numiſmata ad *Valentiam* Calabriæ, quæ olim Hipponium, referre, ac cum ibi percuſſa ſint, inſigne iſtius Urbis, duplex ſc. Cornucopiæ, gerere; ob fertilitatem territorii illius: quamvis à Collectore heic digeſta, ac ſi ad Valentiam in Hiſpania pertinerent.

VII. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. ILERDA. Heic Lupus expreſſus, an ut inſigne urbis *Ilerdæ*, quæ hodie levi litterarum tranſpoſitione *Lerida* dicitur; an vero ad copiam luporum, quibus iſte tractus abundaverit denotandam? Non procul enim ab iſta Urbe locus eſt, qui hodieque Hiſpanis *Val da Llou*, id eſt *Luporum Vallis* dicitur.

VIII. Num. *Ejuſdem* cum Inſcr. P. CARISIVS LEG. PRO. PR. CO L*oniæ* TOLET*anæ*. Caput fæmininum turrita corona inſignitum, Urbem *Toletum*, ubi Auguſtus *Coloniam* deduxit, munitam, ac ædificiis florentem deſignat. CO L*oniæ* TOLET*anæ*, à qua Nummus percuſſus, vix uſquam, quam in hoc Nummo mentio exſtat. Unde Ant. Auguſtinus Dial. VII. Antiquit. cum in alio Nummo Toletano ex litteris quibuſdam, *Toletum* nomine *Coloniæ* dictam, colligere ſibi videretur, dubitanter addit: *etſi non memini alibi* Coloniam *hanc urbem unquam vocitatam.* Quod non ſcripſiſſet, ſi hujus Nummi copiam habuiſſet; qui adeo ſignanter CO L*oniæ* TOLET*anæ* meminit.

Num.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. P. CARISIVS LEG. PRO. IX. PR. EMERITA. Portam arcuatam super duas columnas, & lateribus intermediis exstructam hic Nummus exhibet, in memoriam EMERITÆ Urbis ab Augusto in Lusitania per emeritos milites conditæ. Dionis verba ex lib. LIII. ad Num. I. hujus Tab. adducta, unice hunc Nummum declarant: Παυσαμένου δὲ τοῦ πολέμου τούτου, ὁ Αὔγουστος τοὺς μὲν ἀφηλικεστέρους τῶν στρατιωτῶν ἀφῆκε, καὶ πόλιν αὐτοῖς ἐν Λυσιτανίᾳ τῇ ΑΥΓΟΥΣΤΑΝΗΜΕΡΙΤΑΝ κτίσαι ἔδωκεν. *Finito autem hoc bello Augustus emeritos milites exauctoravit, Urbemque eos in Lusitania* AVGVSTAM EMERITAM *condere jussit.*

Num. *Hadriani*, cum Inscr. P. M. TR. P. COS. III. X. HERC*ules* GADITA*nus*. *Hercules* nudus dextra clavam, sinistra poma Hesperidos, sive aurea præferens; Quemadmodum describitur in Anthologia lib. V. Epigr. XXVII.

Ἡρακλέης δ' ἀνίσλον ἐδείκνυε κύκλον ὑπηνίης,
Μῆλα λεοντοφόνῳ παλάμῃ χρύσεια κομίζων
Γαίης ὄλβια δῶρα λιβυσίδος.

*Hercules imberbem demonstrabat circulum barbæ,*
*Poma leones occidenti manu aurea ferens,*
*Terræ beata munera Libycæ.*

Infra juxta clavam cernitur scapha, & ab altera parte senex seminudus arundinem dextra tenens, *fretum Gaditanum*, sive *freti Gaditani* Genium proculdubio designans. HERC*ules* GADIT*anus* ita appellatus, quod ad Gades usque pervenerit, ubi navigationem stiterit, duasque ibi columnas *Abilam* & *Calpen*, alteram in Europa, alteram in Africa, posuerit, quæ *Herculis Columnæ* propterea dictæ.

Quod vero Hadrianus Imperator *Herculem Gaditanum* in Nummis ſcalpendum curaverit; ratio ejus videtur, quod, cum iter ſuum in Africam terrâ, quantum fieri potuit, inſtituerit, heic ad Herculis columnas per fretum Gaditanum ex Europa in Africam, breviſſima ſc. via trajecerit; ejuſque rei memoriam in hoc Nummo exſtare voluerit.

XI. Num. *Auguſti*, cum Inſcript. DIVI. F. Facies fæminina; cum coma plexa ad collum demiſſa, quæ pro calantica geſtat exuvias capitis elephantini; in quibus diſcernere eſt dentes proëminentes, proboſcidem, oculos parvos, & aures oblongas, quamvis nomen adſcriptum non habeat, conſtat tamen hoc Symbolo Veteres *Africam* repræſentare voluiſſe, ut elephantorum feracem. Hinc etiam primi qui Romæ conſpecti elephanti, ex Africa eò delati. Sic in alio

XII. Num. *Hadriani*, cum Inſcript. AFRICA. SC. Matronā ſedens ad monticulos quoſdam, *Africam*, ut ex Inſcriptione patet, referens, ambobus brachiis, & altera mamma nuda ſpectatur, ſcorpionem dextra tenens, ſiniſtra autem Cornucopiæ; ad pedes eſt calathus floribus & fructibus refertus; in capite vero ſimile tegumentum ex elephantini capitis exuviis cum proboſcide ſurſum levata. *Scorpio* magnam variorum animantium, etiam venenatorum, copiam in Africa deſignat, quæ à Lucano lib. IX. Pharſalic. pluribus, uti & à Nicandro in Theriacis & Alexipharmacis commemorantur. Cornucopiæ frugum omnis generis abundantiam, nec non calathus, herbas præſertim medicas, quas Africa humano generi utiles profert, denotare videntur. Huc faciunt illa Claudiani lib. II. de laud. Stilic.

*Tunc ſpicis & dente comas illuſtris eburno,*
*Et calido rubicunda die, ſic Africa fatur.*

TA-

TAB. XXXII.

1

2

3

4

5

6




7

8

9

10

11

12

# TABVLA XXXII.

I. Num. *Hadriani*, cum Inſcript. AFRICA. Heic viciſſim *Africa*, ſub ſpecie matronæ cum galea Elephantina in capite, humi ſedentis, brachiis, & altera mamma nudæ, dextro cubito calatho frugibus & herbis pleno incumbentis, ſiniſtram vero Leonis capiti imponentis, repræſentatur. Præter agrorum fertilitatem, Regionem Leonibus feracem eſſe deſignat.

II. Num. *Ejusdem*, cum Inſcr. ADVENTVI AVG. AFRICÆ. *Africa* cum ſolito capitis ornatu ſtans ſtolata, ante aram ſacrificat ob felicem Imp. Hadriani *Adventum*, qui ab altera parte togatus vota ejus benigne excipit. Adeſt & Victima prope aram, collum præbens. Quas Africa ſiniſtra manu herbas tenet, videtur eſſe *Silphium*, aut *Laſerpicium* Cyrenaicum, inter rariores Africæ plantas habitum, & decantatum. Faciunt huc illa Spartiani: *Quando in Africam venit* (Hadrianus) *ad Adventum ejus poſt quinquennium pluit: atque ideo ab Africanis dilectus eſt.*

III. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcript. RESTITVTORI AFRICÆ. *Africa*, ſiniſtra ſpicas tenens, poſito genu ſupplex ab Imp. Hadriano togato, porrecta dextra, ſublevatur. ÆL. Spartianus de Hadriano: *Inde Romam venit, atque ex ea in Africam tranſiit, ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit.*

IV. Num. *Sept. Severi*, cum Inſcript. AFRICA. *Africa* ſtolata ſtans, dextro brachio nuda, & ſiniſtra ſpicas in ſinu gerens, cum Leone ad pedes. Videtur à Severo hic Nummus cuſus in memoriam Africæ, unde oriundus, à ſe pacatæ. Qua de re Spartianus in ejus Vita: *Tripolim, unde oriundus erat, contuſis bellicoſiſimis gentibus, ſecuriſſimam reddidit.*

V. Num. *Augusti*, cum Inscript. C. MARIVS. C. F. PR. Q. III. VIR. AFR*ica*. In hoc Augusti Nummo *Africa*, uti ex Inscriptione manifestum, per *Pegasum* alatum designatur: vel quia Æthiopia, Africæ provincia, producit *Pegasos equino capite volucres*, ut est apud Plinium; vel quia Medusa, ex cujus sanguine Pegasus generatus dicitur, Afra erat; vel potius ob velocitatem & perniciem equorum Africanorum, quasi currentes alis & vento veherentur; ut Virgilius Georg. III. & Varro lib. II. de R. R. alicubi in Hispania equas vento concipere ajunt, ac edere pullos velociores.

VI. Num. *M. Lepidi* cum Inscr. M. LEPIDVS IMP. ITER. Cernere heic est *equum* sine alis, ferocem & salientem, cum *Scorpione*; quo indicatur *Africa*, cui M. Lepidus Triumvir solus aliquamdiu præfuit, quo tempore hic Nummus ab eo cusus.

VII. Num. *Carthaginiensis*, sine Inscriptione quidem in antica parte, sed in qua cernitur facies pulchra fæminæ, cum corona herbacea in capite, monili ex unionum serie circa collum, aure gemmata, & quattuor delphinis circum circa; in aversa vero parte

VIII. Num. *Ejusdem*, videre est *equi caput* generosæ indolis, egregie sculptum; & juxta *Palma* arbor est, cum dactylis in ramis. Infra equi caput cernuntur quædam literæ, sed ignotæ, & quæ vix legi, nedum intelligi possunt. Creduntur esse literæ Punicæ, & quibusdam indicare vetus nomen Punicum *Carthaginis*, quod Stephanus Byzantius de Urbibus habet, KAKKABH, & significare ait, *equi caput*, hisce verbis: Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Κακκάβη. Τούτῳ δὲ κατὰ τὴν οἰκείαν αὐτῶν λέξιν ἵππου κεφαλὴ δηλοῦται. Idem quoque scribit Eustathius Commentario in Dionysium Alexandrinum. De Situ Orbis: Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Καινὴ πόλις, καὶ Καδμεία, καὶ Κακκάβη, ὅσπερ τῇ ἐγχωρίῳ διαλέκτῳ ἵππου δηλοῖ κεφαλήν. Vir summus, & Orientalium linguarum sui temporis peritissimus

Sam.

Sam. Bochartus in Geograp. Sacr. Parte II. lib.I. cap. XXIV. putat Græcos vocem peregrinæ linguæ ad ſuam accommodaſſe, ſed ita, ut facili negotio poſſit reſtitui; nempe ſi legatur *Carcabe*. Hanc vero eſſe contractam ex כר *car* & רכבה *recaba*. Quorum alterum ex Hebraica lingua, analogica ratione Punice ſignificaſſe vult *caput*, alterum *equum*. Quem vide ſis. Cæterum *equi Caput* in nummis à Carthaginienſibus ſcalptum videtur, in memoriam iſtius, quod è terra eruerint, cum prima Urbis Fundamenta jacerent; idque poſtea in omen verſum. Juſtinus ex Trogo lib. XVIII. *Ibi quoque caput equi repertum, bellicoſum fortemque populum ſignificans, Vrbi auſpicatam ſedem dedit.* Hinc Virgilius lib.I. Æneid.

*Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra:*
*Quo primum jactati undis, & turbine Pœni*
*Effodere loco ſignum, quod regia Iuno*
*Monſtrarat, caput acris equi: ſic nam fore bello*
*Egregiam, & facilem victu per ſecula gentem.*

Nec non Silius Italicus Punic. lib. I.

*Oſtentant caput effoſſa tellure repertum*
*Bellatoris equi, atque omen clamore ſalutant.*

Et hujusmodi caput equi, *acris*, ut ait Virgilius, ſive *bellatoris*, ut Silius, in hoc Nummo expreſſum cernere eſt. Præterea adeſt juxta equi caput *Palma* arbor cum dactylis; quæ ſecundum Ant. Auguſtinum Dial. VI. Antiquit. duo hic ſignificare videtur; primum, quod refert Euſtathius ad Dionyſium Alexandrinum paullo poſt verba ſuperius adducta: ubi inter alia ſcribit: Ὀρυξάντες ὑπό τινα φοίνικα πεφυκυῖαν, εὗρον κεφαλὴν ἵππου, καὶ συμβαλόντες σημαίνεσθαι σχολὴν αὐτοῖς, καὶ παρ' ἄλλων δόσιν τροφῆς, καὶ τοῖς ἵπποις, ἔκλισαν ἐν τῷ τοιούτῳ τόπῳ τὴν Καρχηδόνα, ἐς τάχα διὰ τοῦτο ἡ Καικάβη ἐκλήθη. Senſus eſt, Carthaginienſes advenas

cum foderent juxta palmam reperiſſe caput equi, idque cum ipſis boni ominis eſſet, in eo loco Urbem ædificaſſe, quam propterea *Caccaben* nominaverint; quod Punica lingua *Equi caput* ſonare modo dictum. Denique *Palma* etiam ſignificare videtur regionem, è qua profecti venerant; idque nomen oſtendere. Græcis enim *Palma* φοίνιξ eſt, unde & Provincia *Phœnicia* dicta, quod palmis abundaret, Carthagenienſes etiam *Pœni* appellati, eorumque lingua *Punica*, utpote ex *Phœnicia* oriundi; ſpiritu mimirum ſublato, *Pœni* pro *Phœnis*, & *Punici* pro *Phœniciis* dicti. De Palmis porro tum Phœniciis, tum aliis, videſis omnino quæ egregie obſervata habet Vir ſummus, nec uno nomine laudandus, E. Spanhemius Diſſertat. IV. De Præſt. & Uſ. Numiſm. *Facies* autem matronæ, quæ in antica Nummi parte ſpectatur, quam repræſentet haud facile dictu eſt; poteſt enim ut ibidem conjicit Ant. Auguſtinus, vel ipſius eſſe Didonis, quæ Carthaginem condidiſſe dicitur; poteſt eſſe Veneris, aut Tethyos Oceani conjugis, aut ipſius Urbis maritimæ; vel denique Deæ Carthaginienſium propriæ, quam Tertullianus in Apologetico, Ambroſius in Symmachum, Xiphilinus in Heliogabalo, Herodianus lib. V. Hiſtor. Appuleius lib. VI. Metamorph. *Vraniam* dicunt; etſi Virgilius *Junonem* Carthaginis patronam ſtatuat. In alio

IX. Num. *Carthaginienſium*, itidem abſque Inſcriptione non Caput equi, ſed *integer equus* juxta *Palmam* ſtans, quaſi ei innixus, cernitur. Ad Carthaginem quoque refertur hic Nummus, ab Antiquariis merito, qui in antica parte caput quoque matronæ præfert.

X Num. *M. Lepidi Triumviri*, cum Inſcrip. CABE. Caput pulchrum Matronæ, cum coma compta & in cyrrum quaſi ab omni parte reflexa, præter cyrros quoſdam annulatim contortos circa cervicem defluentes. F. Urſinus in Gente *Æmilia*, putat hunc Nummum CABÆ eſſe cuſum, quam urbem Africæ eſſe dicit. Hunc

tangit

tangit L. Nonnius, quando ait, quosdam existimare CABE esse Urbem in Africa, sed incertum, ubi sita sit. Addit porro, Ptolemeum ponere *Acaben*, montem Ægypti, circa sinum Arabicum; Plinium quoque mentionem facere urbis *Tacabe*, in regione Tripolitana. Sed vix dubitandum, quin hoc nummo Lepidi ipsa *Carthago* designetur, sub prisco nomine *Caccabe*, sive, quod literæ quædam temporis injuriâ in nummo exesæ fuerint; sive, quod antiquum istud nomen, usu quodammodo contractius pronunciatum fuerit. Quare autem M. Lepidus, antiquum potius nomen, quam *Carthaginis* exprimere voluerit, ejus haud dubie causa fuit, quod nomen *Carthaginis*, ut æmulæ olim Imperii Romani, etiam funditus deletæ, Romanis exosum fuerit, nec alio fere, quam sub *Coloniæ Rom.* nomine tum temporis ipsis veniret. Sane quam parum gratum *Carthaginis* nomen Romanis esset, argumento quoque est factum Hadriani Imp. qui dum novam coloniam eò deduceret, à nomine suo *Hadrianopolin* vocavit, teste Spartiano. Primus Cæsarum, qui Carthaginis nomen denuo resuscitasse videtur, est Severus Imp. Africanus, in Nummo quodam, cum Inscrip. INDVLGENTIA IN CARTH. Vide Tab. XLVIII. Num. V. Quem postea secuti sunt Impp. Diocletianus & Maximianus Herculius, in variis eorum Nummis; quorum unus heic sculptus, nempe

Num. *Diocletiani & Maximiani Herculii*, cum Inscript. SALVIS AVGG. & CAESS. FEL*ix* CART*hago*. in quo cernitur Matrona turrito capite, humero, dextroque brachio nuda, cæteroquin decoro habitu culta, manibus utrinque expansis, dextra spicas nonnullas, sinistra verò herbas quasdem exoticas ferens. XI.

XII. *.

TA-

# TABVLA XXXIII.

I. Num. *Hadriani*, cum Inſcrip. ADVENTV AVG. MAVRETANIÆ. Ut aliæ provinciæ, quas Hadrianus peragravit, ſuum erga Principem beneficentiſſimum amorem in Nummis teſtatæ, ejusque felicem adventum ſibi gratulatæ fuerint, ſacrificiis & victimis cæſis, ſic etiam heic *Mauretania*, ſuccincta ſtans, dextro humero nuda, cum Elephantis proboſcide in capite, ut Africæ Provincia, ſiniſtra vexillum militare, dextra vero tenens pateram, qua libans aram intermediam adſpergit, in ſalutem, gratumque Principis ADVENTVM, qui ab altera aræ parte votis ejus annuit. Ad pedes Mauretaniæ juxta aram adſtat *Victima*, cervicem ictui præbens; à parte vero Imperatoris inter aram ejusque pedes, cernitur *caput muliebre*; quod Deæ alicujus, eſſe putat Hemelarius, cui ſc. ſacrificabatur: Verum abſque ulla ratione; nec enim Deæ alicui, ſed ipſi Imperatori ſacrificium fit; denique ſi Deæ caput eſſet, non humi poſitum, ſed ſuper baſin, ſive columnam quandam collocatum foret. Magis itaque veroſimile, per hoc caput matronæ deſignari heic ipſam *Carthaginem*, ab Hadriano inſtauratam, & nova colonia auctam; quam heic ſub veteri capitis fæminini forma repræſentat, ad Mauris gentibus indicandam beneficentiam, quam ab ejus liberalitate ſibi promittere poſſent. Nam, ut Spartianus de eo teſtatur, *multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit.*

II. Num. *Ejuſdem.* cum Inſcript. MAVRETANIA. S. C. Hic *Maurus* ſuccincta veſte cernitur, dextra equum generoſum fræno ducens, ſiniſtra vero bacillum, ſive virgulam tenens ad equum gubernandum. Strabo lib. XIII. teſtatur de Mauris, eos parvis equis uſos, celeribus tamen, & manſuetis adeo, ut ſola virgula guber-

nen-

TAB. XXXIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

nentur, μικροῖς ἵπποις χρώμενοι, ὀξέσι δὲ καὶ εὐπειθέσιν, ὥς τ' ἀπὸ ῥαδίας διαιτίζεσθαι. Sic in alio

Num. *Ejuſdem*, cum gemina Inſcr. MAVRETANIA. III.
S. C. Viciſſim *Maurus* ſuccincto habitu ſtans, ſiniſtra equum alacriter incedentem freno tenet, dextra haſtam ferens. Strabo lib. XIII. de Mauris: Μάχονται δ' ἵπποις τὸ πλέον ἀπὸ ἀκοντίων, χρυσοχαλίνοις χρώμενοι τοῖς ἵπποις, καὶ γυμνοῖς. *Pugnant fere ab equis haſtati, equis nudis utentes, & frænis è fune factis.* Cum hæc provincia equis velociſſimis abundaverit, hoc ideo proculdubio Nummis inſculpi curavit Hadrianus. De cujus porro rebus in Mauretania geſtis, inter alia hæc notat Spartianus in ejus Vita: *Luſium Quietum ſublatis gentibus Mauris quas regebat, quia ſuſpectus Imperio fuerat, exarmavit Hadrianus, Martio Turbone Iudæis compreſſis ad deprimendum tumultum Mauretaniæ deſtinato.* Et aliquanto poſt: *Germanis regem conſtituit: motus Maurorum compreſſit: & à ſenatu ſupplicationes emeruit.* Quarum forte memoria his nummis conſervanda data.

Num. *Commodi*, cum Inſcr. TR. P. IIII. IMP. III. COS. IV.
P. P. MAVRETA*nia*. *Maurus* veſte longa & laxa, cum pileo oblongo in capite, ſtans juxta *Equum*, ut apparet, aliquomodo ferociter incedentem, arrectis auribus, collo incurvato, juba denſa, & diſperſa, quam Maurus dextra apprehendit, dum ſiniſtra haſtam fert. Videtur Commodus ex *Mauretania* gloriam quoque captare voluiſſe, quam tamen ipſe, uti & Africam, numquam adiit: Æl. Lampridius in ejus Vita: *Simulavit ſe & in Africam, iturum, ut ſumptum itinerarium exigerit: & exegit; eumque in convivia & aleam convertit.* Et paullo poſt: *Victi ſub eo tamen, cum ille ſic viveret, per Legatos, Mauri; victi Daci.* &c.

Num. *Auguſti* ſine Inſcript. in quo expreſſus *Equus* gracilis, V.

ras ſimias referunt, ſatis manifeſtum. Sic Philoſtorgius Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. II. tanquam oculatus teſtis deſcribit Sphingem à ſe viſam, mammis & facie ad muliebrem formam accedentem, cujus verba adducit Eruditiſſ. E. Spanhemius Diſſert. III. De Præſt. & uſu Numiſm. ubi & alia huc pertinentia lectu digniſſima obſervat. Cæterum dubitatur, an Sphinx iſta alata ab Auguſto in hoc nummo tanquam Ægypti Symbolum ſculpta fuerit, an vero, quod ipſe Auguſtus in ſigillo ſuo aliquamdiu Sphingem expreſſam habuerit. Sic enim Dio lib. LI. cum narraſſet Auguſtum Mæcenati & Agrippæ annulum cum ſigillo ſuo tribuiſſe, ut literas ſuo nomine obſignare poſſent, addit: Διπλοῦν γὰρ δὴ σφραγῖδα, ἣν μάλιστα τότε ἐχρῆτο, ἐπεποίητο, Σφίγγα ἐν ἑκατέρᾳ ὁμοίαν ἐντυπώσας. ὕστερον γὰρ τὴν εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ ἐγλύψας, ἐκείνῃ τὰ πάντα ἐσημαίνετο. καὶ αὐτῇ οἱ μὲν ταῦτα αὐτοκράτορες πλὴν Γάλβα, ἐχρήσαντο. *Sigillum enim, quo tum maxime utebatur, duplex paraverat, Sphinge in utroque ſimili expreſſa, nam ſerius imagine ſua inſculpta obſignandis omnibus eam adhibuit, qua quidem & Imperatores ſecuti, Galba excepto, uſi ſunt.* Rem etiam tangit Suetonius in ejus Vita: *In diplomatibus, libelliſque & epiſtolis ſignandis initio Sphinge uſus eſt; mox imagine Magni Alexandri: noviſſime ſua, Diſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti principes perſeverarunt.* Inclinat tamen magis animus, per Sphingem heic ab Auguſto Ægyptum deſignari, præſertim cum & alii ejuſdem Nummi iſtud teſtatum reddant, Vid. Num. I. Tab. ſeq.

## TABVLA XXXIV.

I. Nnm. *Auguſti*, abſque Inſcriptione, quin autem per *Sphingem alatam* ipſa hic Ægyptus deſignetur, dubio caret, ex *Siſtro* & *Spica*, indubitatis Ægypti Symbolis, adjunctis.

Num.

TAB. XXXIV

1

2



3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Antonii III viri* cum Inſc. ALEXANDR*ia* ÆGYPT*i*. II. *Palma* arbor cum dactylis in ramis, ac circa eam *Corona hederacea*. De palma, quâ Ægyptus ferax, præter alios ita Solinus ſcribit cap. XXXV. *Palma quoque Ægyptia dicenda res eſt. proprie ad ipſos vocatur, ut dici oportuit. eaque guſtata, arcet ſitim. Odor ſi idem qui & malis Cydoniis. ſed demum ſitim ſedat, ſi prius quam maturuerit, decerpatur. Nam ſi matura ſumatur, ſenſum intercipit, greſſum præpedit, linguam retardat: obſeſsisque officiis mentis & corporis, imitatur vitium ebrietatis.* Atque eam fortaſſe ob cauſſam heic cum *Corona hederacea*, quæ Bacchi ſymbolum, conjuncta eſt ab Antonio, qui & ipſe ſe Bacchum appellari juſſit.

Num. *M. Lepidi* cum Inſcript. ALEXANDRIA. Caput mu- III. liebre turritum, cum velo ad cervicem dependente, *Alexandriam* Ægypti urbem, ab Alexandro Magno conditam, repræſentat. Solinus cap. XXXV. *Alexandriam & operis ipſius magnitudo, & auctor Macedo nobilitant; quam metatus Dinocrates architectus, ſecundum poſt conditorem inter memorabilia locum ſortitus eſt. Condita autem Alexandria eſt duodecima centeſimaque Olympiade, L. Papirio S.P. F.C. Pætilio conſulibus. haut longe ab oſtio Nili fluminis: quod Heracleoticon alii, alii Canopicum appellant.*

Nummi *præcedentis* averſa pars, cum Inſc. M. LEPIDVS IV. PON*tifex* MAX*imus*, TVTOR REG*is*. S. C. *M. Lepidus* togatus capiti adoleſcentis cujuſdam itidem togati ante ſe cum ſigno aquilæ in manu ſtantis, coronam imponit. Adoleſcens iſte eſt *Ptolomæus Epiphanes*, Rex Ægypti, cui pater Ptolemæus Philopator tutorem Populum Romanum dederat, Senatus vero tutelæ adminiſtrationem M. Æm. Lepido Pont. Max. bis Coſ. commiſit. Hiſtoriam habes apud Valerium Maximum lib. IV. cap. IV. *Cum Ptolemæus Rex tutorem Populum Romanum filio reliquiſſet, Senatus M. Æmilium Lepidum Pont. Max. bis Coſ. ad pueri tutelam gerendam Alexandriam miſit, ampliſſimique & integerrimi viri ſanctitatem*

*Reip. usibus & sacris comparatam, externæ procurationi vacare voluit, ne fides civitatis nostræ frustra petita existimaretur : cujus beneficio regia incunabula conservata pariter ac decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortuna magis, an tutoris majestate gloriari deberet.* Tangit istam quoque Tacitus lib. II. Annal. *Iisque nondum adultis Trebellenus Rufus prætura functus datur, qui regnum interim tractaret, exemplo, quo majores M. Lepidum Ptolemæi liberis tutorem in Ægyptum miserunt.* Nec non Iustinus lib. XXX. *Mittitur & M. Lepidus in Ægyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administraret.* Ex hisce satis manifestum, quare M. Lepidus in Nummo TVTOR REGIS dicatur, tum etiam, quare in antica parte ALEXANDRIA scalpta sit. Ful. Vrsinus putat hunc Nummum à M. Lepido Triumviro pronepote ejus, ut est apud Ciceronem Philipp. XIII. in proavi memoriam signatum esse. Male autem hic Nummus ab H. Goltzio, & eo, qui Thesaurum Rei Nummariæ Ducis Arschotani disposuit, inter Nummos M. Lepidi Triumviri refertur.

V. *.

VI. Num. *Hadriani*, cum Inscript. ALEXANDRIA. Quæ heic exhibetur sub specie *Matronæ* stantis, stolatæ, capite velato, dextra *Sistrum*, Sinistra vero *Scapham* vel *Cymbam* ferentis. Cymba designare videtur *Alexandriam* ad ostium Nili sitam. Sic in alio

VII. Num. *Ejusdem Imp.* cum gemina Inscr. ALEXANDRIA S. C. Eadem repræsentatur sub forma mulieris humi sedentis, dextra *Spicas*, sinistra qua & medimno innititur, *Cornucopiæ* tenentis. Frugum omnis generis Abundantiam & Ægyptii soli fertilitatem denotat. Ita in alio ad huc

VIII. Num. *Ejusdem Imp.* ubi eadem Inscriptio. ALEXANDRIA sub simili fere forma spectatur, humi sc. sedens, cum *Spicis* in dextera, sinistra vero vasi, ex quo *vitis* adsurgit, innixa, dum

ex

ex pedibus ejus *ſpicæ* quoque ſuccreſcere videntur. Præter frumenti in Ægypto abundantiam & copiam, Vitis heic adjuncta videtur, uti recte A. Rubenius, ob *Vini Mareotici* præſtantiam *Alexandrinum* dici ſcribit Athenæus Deipnoſoph. lib. I. ὁ Μαρεώτης οἶνος, ὁ Ἀλεξανδρεωτικὸς, τὴν μὲν προσηγορίαν ἔσχεν ἀπὸ τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κρήνης Μαρείας, ἧς τὸ παρ' αὐτὴν πόλεως ὁμώνυμος. *Mareoticum vinum, quod etiam Alexandrinum vocavere, à Marea fonte vicino Alexandriæ, & urbe fonti propinqua.* Cui adſtipulatur Stephanus De Urbibus: Μαρεία πόλις καὶ λίμνη τῆς Ἀλεξανδρείας προσεχὴς, ἡ καὶ Μαρεῶτις λέγεται, ἀφ' ἧς καὶ Μαρεώτης οἶνος. *Marea urbs & lacus Alexandriæ adjacens, quæ & Mareotis dicitur, à qua & Mareoticum vinum.* Non mirum autem toties in Nummis Hadriani, *Alexandriæ* mentionem fieri, præſertim ſi verum ſit, quod Hieronymus ſcribit in Chronico Euſebiano: *Hadrianus Alexandriam à Romanis ſubverſam publicis inſtauravit impenſis.* Sed merito caſtigatur ab illuſtri Scaligero Hieronymus, ut qui inaudita de Alexandria à Romanis everſa proferat; quod nunquam factum: Quamvis autem Hadrianus Alexandriam haud inſtauraverit, multis tamen beneficiis eam affecit, ac veteribus novisque privilegiis donavit, ut ipſe Hadrianus in Epiſtola ad Severianum Conſulem, quæ exſtat apud Fl. Vopiſcum in Saturnino, teſtatur, ubi de Alexandria inter alia ſcribit: *Utinam melius eſſet morata civitas, digna profecto ſui profunditate, quæ pro magnitudine totius Ægypti teneat principatum. Huic ego cuncta conceſſi: vetera privilegia reddidi; nova ſic addidi, ut præſenti gratias agerent.* Alexandriam autem profectus Hadrianus ad ſeditionem, ibi ob Apin ortam, ſedandam. Spartianus in Ejus Vita: *Alexandrina ſeditione turbatus, quæ nata eſt ob Apin, qui cum repertus eſſet poſt multos annos, turbas inter populos creavit: apud quem deberet locari omnibus ſtudioſe certantibus.* Ibi vero cum hæreret, quid præterea egerit, addit paullo poſt Spartianus: *Apud Alexandriam in Muſio, multas quæſtiones profeſſoribus propoſuit: & propoſitas ipſe diſſolvit.*

Num.

IX. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. *NILVS*. Qui hic cernitur formâ Senis ſeminudi, ſuper aquam profluentem jacentis, cum Corona juncea in capite, ſiniſtra Cornucopiæ, ob agrorum fertilitatem, qua Ægyptum læteficat, dextra arundinem papyraceam tenentis; innititur ſcopulis, ſive potius metis illis, quæ altitudinem Nili creſcentis ad certos cubitos deſignabant, cum ſpe fertilitatis, aut ſterilitatis futuræ metu. A latere adſtat *Crocodilus*, & ab altera parte ad pedes *Hippopotamus*. Quorum etiam meminit Philoſtratus lib. I. Iconum, ubi Nili Imaginem deſcribens, inter alia habet. Κροκόδειλοι μὲν ἔνι, καὶ οἱ ποταμοὶ τῶν ἵππων, ὃς τῷ Νείλῳ πινὲς προσγράφουσιν, ἀπόκεινται νυνὶ ἐν βαθείᾳ τῇ δίνῃ &c. *Crocodili quidem, & quia à nonnullis Nilo adſcribuntur, Hippopotami, nunc in uno jacent vortice*, &c. Utrique enim animali communis in Nilo eſt habitatio. Plinius lib. XXVIII. cap. VIII. *Eſt crocodilo cognatio quædam amnis ejusdem, geminique victus cum hippopotamo.* Crocodilum porro præter alios graphice deſcribit Ammianus Marcellinus lib. XXII. *Inter aquatiles autem beſtias Crocodilus ubique per eos tractus abundat, exitiale quadrupes malum, aſſuetum elementis ambobus, lingua carens, maxillam ſuperiorem commovens ſolam, ordine dentium pectinato, pernicioſis morſibus quicquid contigerit pertinaciter petens, ova edens fœtus anſerini ſimilia.* Utque armatus eſt *unguibus, ſi haberet etiam pollices, ad evertendas quoque naves ſufficeret viribus magnis; ad cubitorum enim longitudinem decem interdum extentus, noctibus quieſcens per undas, diebus humi veſcitur, confidentia cutis, quam ita validam gerit, ut ejus tergo cataphracta vix tormentorum ictibus perforentur.* Cæterum Hippopotami imaginem magis exacte expeſſam habes in ſeq.

X. Num. *Otacililæ*, uxoris Imp. Philippi Arabis, cum Inſcript. SECVLARES AVG. IIII. Vides heic animal craſſo, imo lurido corporis filo adumbratum, cervice & capite grandi, inſtar urſi, cruribus robuſtis, ſed brevibus, & ungulis bifidis, cauda bre-

breviſſima; &, ut heic apparet, ad alvum reflexa. Quamvis Ariſtoteles, Plinius, Solinus, Hippotamis caudam tortilem, ſuum, aut aprorum in modum adſignent, *bifidas habentes ungulas, caudaſque breves*, ſimpliciter ſcribit Ammianus Marcellin. lib. XXII. Falli autem neceſſe eſt Herodotum & Diodorum, qui hippopotamo caudam equinam adſcribunt. In corporis mole hujus animalis Veteres variant. Ariſtoteles illi tribuit μέγεθος ἥλικον ὄνου, *magnitudinem aſini*. Herodoto vero eſt ſaturâ ὅσον τε βοὸς ὁ μέγιστος, *quanta maximi bovis*. Diodoro Siculo, οὐκ ἐλάττων πηχῶν πέντε, *non minor cubitis quinque*, dicitur. Denique Achilli Statio deſcribitur: κατὰ μὲν τὴν ἰδέαν καὶ τὴν θέσιν ὡς ἵππος, τὸ δὲ μέγεθος ὡς τετραπλάσιον, *ſpecie quidem & ſitu partium ut equus, ſed magnitudine tripla*. Hinc Viro ſummo S. Bocharto Hieroz. Part. II. lib. V. cap. XV. בהמות *bohemoth* Hebræorum apud Iobum. cap. XL. & cap. XLI. probatur, eſſe *Hippopotamum*. A nonnullis, quos inter quoque Solinus, Hippopotamo etiam juba equina adſcribitur, cujus tamen ne umbra quidem in hoc nummo apparet; cætera Solini verba cap. XXXV. de Hippopotamo haud adeo longe abeunt: *Hippopotamus*, inquit, *in eodem Flumine* (Nilo) *ac ſolo naſcitur, equino & dorſo & juba, & hinnitu, roſtro reſupino, ungulis bifidis, aprugnis dentibus, cauda tortuoſa*. Ejus porro indolem addit: *Noctibus ſegetes depaſcitur: ad quas pergit averſus aſtu doloſo, ut fallente veſtigio revertenti nullæ ei inſidiæ præparentur. Idem cum diſtenditur nimiâ ſatietate, arundines recens cæſas petit, per quas tam diu obverſatur, quoad ſtirpium acuta pedes vulnerent, ut profluvio ſanguinis levetur ſagina; plagam deinde cœno oblinit, uſque dum vulnus conducatur in cicatricem*. Cæterum inſcriptio Nummi habet SÆCVLARES AVGuſtæ. IIII. vel AVGuſtorum. Cuſus quippe hic nummus quoque in memoriam Ludorum Sæcularium, quos Philippus anno imperii ſecundo, Romæ ingenti apparatu & ſumma magnificentia ſpectaculorum exhibuit, vo-

luitque, ut videtur, uxorem ſuam, cujus imago in antica parte eſt, quoque illuſtrem reddere, iſta ſolennitate. Inter cætera autem animalia etiam Hippopotamus unus ut animal rarum Romæ, miſſus quartus in Circo maximo videtur fuiſſe, uti ex nota IIII. adſcripta colligitur. Horum ludorum meminit Capitolinus in Gordiano tertio: *Fuerunt ſub Gordiano Romæ elephanti triginta duo, alces decem, tigres decem, Leones manſueti ſexaginta, leopardi manſueti triginta, hijenæ decem, gladiatorum fiſcalium paria mille*, HIPPOPOTAMVS, *& Rhinoceros unus, archoleontes decem, camelopardi decem, onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera animalia innumera & diverſa, quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus vel dedit, vel occidit.* Dedit nimirum in direptionem venationis: vel in circo per venatores occidenda exhibuit in ſpectaculum.

XI. Num. *Auguſti.* cum Inſcr. TI. SEMP. TI. F. GRACCVS IIVIR ITER. COL*onia* IVL*ia* AVGVST*a*. EX. SC. *Iugum boum* aratrum trahens, cum homine id dirigente. Symbolum *Coloniæ deductæ* conſuetum. Hujus autem COL*oniæ* IVL*iæ* AVGVST*æ*, cujus mentio in hoc Nummo fit, neſcio, an uſpiam apud veteres Auctores exſtet, præterquam apud Hygenum de Limitibus Conſtituendis, ubi *Colonia Iulia Auguſta* depicta & deſcripta reperitur, in cujus tractu recenſentur oppida *Opulentia*, *Fiſalota*, *Haſta*, item flumen *Axinum*, & montes *Maſſuinus*, *Geminus*, *Mica*. Habet quoque fines *Opulentinorum*, *Ceſienſium*, *Ceſolentium*, *Utiecenſium*, *Ceſenſium*. TI. autem Sempronius Graccus qui Duumvir fuit coloniæ deducendæ, ipſe videtur eſſe, cujus meminit Tacitus Annal. lib. I. *Par cauſa ſævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & prave facundus eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. nec is libidini finis, traditam Tiberio pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat, litteræque quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, à Graccho compoſitæ credebantur &c.* Vide Fulvium in *Gente Sempronia.*

Num.

TAB. XXXV.

1

2

3

4




5

6

7

8

9

10

11

12

luitque, ut videtur, uxorem ſuam, cujus imago in antica parte eſt, quoque illuſtrem reddere, iſta ſolennitate. Inter cætera autem animalia etiam Hippopotamus unus ut animal rarum Romæ, miſſus quartus in Circo maximo videtur fuiſſe, uti ex nota IIII. adſcripta colligitur. Horum ludorum meminit Capitolinus in Gordiano tertio: *Fuerunt ſub Gordiano Romæ elephanti triginta duo, alces decem, tigres decem, Leones manſueti ſexaginta, leopardi manſueti triginta, hijenæ decem, gladiatorum fiſcalium paria mille*, HIPPOPOTAMVS, *& Rhinoceros unus, archoleontes decem, camelopardi decem, onagri viginti, equi feri quadraginta, & cætera animalia innumera & diverſa, quæ omnia Philippus ludis ſæcularibus vel dedit, vel occidit.* Dedit nimirum in direptionem venationis: vel in circo per venatores occidenda exhibuit in ſpectaculum.

XI. Num. *Auguſti.* cum Inſcr. TI. SEMP. TI. F. GRACCVS IIVIR ITER. COL*onia* IVL*ia* AVGVST*a*. EX. SC. *Iugum boum* aratrum trahens, cum homine id dirigente. Symbolum *Coloniæ deductæ* conſuetum. Hujus autem COL*oniæ* IVL*iæ* AVGVST*æ*, cujus mentio in hoc Nummo fit, neſcio, an uſpiam apud veteres Auctores exſtet, præterquam apud Hygenum de Limitibus Conſtituendis, ubi *Colonia Iulia Auguſta* depicta & deſcripta reperitur, in cujus tractu recenſentur oppida *Opulentia*, *Fiſalota*, *Haſta*, item flumen *Axinum*, & montes *Maſuinus*, *Geminus*, *Mica*. Habet quoque fines *Opulentinorum*, *Ceſienſium*, *Ceſolentium*, *Utiecenſium*, *Ceſenſium*. TI. autem Sempronius Graccus qui Duumvir fuit coloniæ deducendæ, ipſe videtur eſſe, cujus meminit Tacitus Annal. lib. I. *Par cauſa ſævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & prave facundus eandem Iuliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. nec is libidini finis, traditam Tiberio pervicax adulter contumacia & odiis in maritum accendebat, litteræque quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberii ſcripſit, à Graccho compoſitæ credebantur &c.* Vide Fulvium in *Gente Sempronia.*

Num.

TAB. XXXV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



Num. *Ejusdem*, cum Inscr. TI. SEMPRO. GRACCVS. XII.
IIII VIR. Est & heic coloniæ deductæ Symbolum, *Aratrum* scilicet, & *pertica*, sive *decempeda*, qua agri colonis adsignabantur. Item *Aquila*, ac aliud *signum militare*; quia in colonias militares cum aquilis & signis deductio fieri solebat, qua de re Hygenus de Limit. Constit. *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tyrocinii gradu pervenire. Nam cum signis & aquila, à primis ordinibus, ac tribunis deducebantur.* TI. SEMPRO. GRACCVS. IIII VIR. idem est, qui Nummo præcedente *II Vir* appellatur. Fuit enim hic Gracchus unus quoque è Quartuorviris Monetæ signandæ à Iul. Cæsare Dictatore institutis. I. Cæsar enim pro Triumviris Quatuorviros Monetales substituerat; qui tamen ab Augusto paullo post ad priorem numerum reducti. Hinc crebrò in Nummis occurrit III. VIR. A. A. A. F. F. *Triumvir Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.* vel, IIII. VIR A. P. F. *Quatuor-Vir Auro Publice feriundo*, vel simpliciter III-VIR. aut IIII-VIR, ut heic, & intelligitur *Triumvir*, vel *Quartumvir Monetalis.*

# CLASSIS III.

## *Deorum, Dearumque Simulachra, Cognomina, &c. exhibens.*

## TABVLA XXXV.

Num. *Valeriani Iunioris*, cum Inscr. IOVI. CRESCENTI. I.
Cernitur heic *puer nudus* capræ insidens, sinistrâ ad alterum ejus cornu applicatâ, ne dilabatur. Aut *Iupiter* ipse Capræ nutrici insidens, aut *Valerianus puer* IOVIS CRESCENTIS specie

repræsentatus, ut scilicet Princeps Iunior crescat, & augmentum capiat Iovis instar. cum per Iovem Reges & Principes designari antiquis in more fuerit. Adluditur ad fabulam de Iove à capra nutrito. Hinc Minucius Felix Octavio: *Et quæ Iovis sacra sunt? nutrix capella est, & avido patri subtrahitur infans, ne voretur.* Vetus Scholiastes Statii Lactantius sive Lutatius ad lib. III. & IV. Thebaid. *In Arcadia Iovem Amalthæa capra dicitur nutrisse.* Ob eandem rationem in

II. Num. *Gallieni* cum Insc. IOVI. CONServatori AVGusti Sacrum. Sculpta est *Capra* cum uberibus distentis, & lacte plenis. Ovidius lib. III. Fast.

*Stat quoque capra simul: Nymphæ pavisse feruntur*
*Cretides. infanti lac dedit illa Iovi.*

III. Num. *Domitiani* cum Inscr. IOVI. IVVENI. P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Iupiter* nudus stans, sinistra hastam ferens, dextra vero fulmen trisulcum; ad pedes adest Aquila alas excutiens, Iovem respiciens, ac si mandata ejus excipere vellet, uti à Poëtis fingitur. Domitiani juvenilem ætatem designare videtur; Similis Inscriptio IOVI. IVVENI. reperitur in Num. *Commodi* ob eandem haud dubie rationem. Cæterum *Iupiter Iuvenis* heic cum fulmine expressus, secus atque ab Ovidio lib. III. Fastor. describitur:

*Iupiter est juvenis, juveniles adspice vultus.*
*Adspice deinde: manu fulmina nulla gerit.*
*Fulmina, post ausos cœlum affectare Gigantes,*
*Sumpta Iovi: primo tempore inermis erat.*

IV. Num. *Augusti* cum Inscr. IOVI. OLYM. *Templum* IOVIs OLYMpii, sive OLYMpici. Meminit ejus Suetonius in Augusto:

*Reges*

*Reges amici atque socii & singuli in suo quisque regno, Cæsareas urbes condiderunt: & cuncti simul ædem* IOVIS OLYMPICI, *Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare.* In cujus rei memoriam hic Nummus cusus videtur Romæ, uti ex Latina inscriptione patet. Plura quidem templa Iovis Olympii in Græcia olim fuere variis locis, sed Athenis præcipuum fuit, de quo legere est apud Thucididem lib. II. & Plinium lib. XXXVI. cap. VI. qui inchoatum id olim dicit; & ex Suetonii verbis manifestum, Augusti tempore id necdum perfectum; scribit quippe, Reges id non perfecisse, sed destinasse perficere. Perfectum vero demum dedicatumque ab Hadriano. Spartianus in ejus vita: *Ad Orientem profectus per Athenas iter fecit, atque opera, quæ apud Athenienses cœperat, dedicavit, ut* IOVIS OLYMPII *ædem, & aram sibi.* Idem testatur Pausanias in Atticis, qui & addit, à singulis Græciæ urbibus, statuas in eo Hadriano collocatas; quas omnes Athenienses longo intervallo superarunt, erecto eidem mirandi operis Colosso in postica templi parte. Πρὶν δὲ ἐς τὸ ἱερὸν ἱέναι τοῦ Διὸς τοῦ Ὀλυμπίου, Ἀδριανὸς ὁ Ρωμαίων βασιλεὺς τὸν τεναὸν ἀνέθηκε, καὶ τὸ ἄγαλμα θέας ἄξιον, οὐ μεγέθει μὲν, ὅτι μὴ Ρωμαίοις καὶ Ρόδίοις εἰσὶν οἱ κολοσσαὶ. Et mox, cum dixisset, nullam templi partem statuis vacare, subjicit: Ἀπὸ γὰρ πόλεως ἑκάστης εἰκὼν Ἀδριάνου βασιλέως ἀνάκειται, καὶ σφᾶς ὑπερβάλλοντο Αθηναῖος, τὸν κολοσσὸν ἀναθέντες ὄπισθε τοῦ ναοῦ θέας ἄξιον.

Num. *Augusti*, cum Inscr. IOV*i* TON*anti*. Templum IOVIS TONANTIS, in cujus meditullio *Iupiter* nudus stat, sinistra sceptrum, dextra fulmen tenens; ab Augusto Romæ in Capitolio ædificatum. Suetonius in ejus vita: *Publica opera plurima exstruxit: ex quibus vel præcipua. Forum cum æde Martis Vltoris, templum Apollinis in Palatio, Ædem* TONANTIS IOVIS *in Capitolio.* Et paullò post ejus rei causam addens: TONANTI IOVI *Ædem* V.

*conſecravit, liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lectícam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet.* Ridiculum vero eſt, quod idem Suetonius poſtea de querela Iovis Capitolini Auguſto per quietem viſi, ejusque reſponſo refert: *Cum dedicatam in Capitolio Ædem* TONANTI IOVI *aſſidue frequentaret, ſomniavit queri Capitolinum Iovem, cultores ſibi abduci, ſeque reſpondiſſe:* TONANTEM *pro Ianitore ei appoſitum: ideoque mox tintinnabulis faſtigium ædis redimivit, quod ea fere januis dependebant.* Videndus etiam Dio Caſſius lib. LIV. Sic ipſe Auguſtus in Fragmento Ancyrano, quod Breviarium ejus Imperii continet: AEDES. IN CAPITOLIO. IOVIS. FERETRII. ET. IOVIS. TONANTIS. *** FECI.

VI. Num. XX. cum Inſcript. IOVI. VLTORI. P.M. TR. P. III. Templum IOVIS VLTORIS, in cujus adyto ſedet *Iupiter* ſeminudus, dextra fulmen, ſiniſtra Sceptrum ferens, ad pedes adeſt ales ejus Aquila. Nomen accepit, quod ſceleratorum impia facta ulciſceretur. Heic templum, quod etiam *Pantheon* dictum, à M. Agrippa, Auguſti genero, III. Conſulatu exſtructum, ut teſtis eſt Plinius lib. XXXVI. cap. XV. *Pantheon* IOVI VLTORI *ab Agrippa factum.* P. Victor *Pantheon* in regione nona ponit. Quem ſequitur Onuphrius Panuinius De Repub. Rom. lib. I. ubi ſcribit: *Pantheum* IOVIS VITORIS, *in quo erant ſigna Herculis humi ſedentis, Minervæ ex ebore, opus Phidiæ, Veneris cum unione Cleopatræ.* Plinius eodem libro, cap. V. *Agrippæ Pantheum decoravit Diogenes Athenienſis: & Caryatides in columnis templi ejus probantur inter pauca operum: ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed proper altitudinem loci minus celebrata. In honore eſt & in templo illo Hercules, ad quem Poeni omnibus annis humana ſacrificaverunt victima, humi ſtans, ante aditum porticus ad nationes.* Aliud tamen Pantheon *Iovis Ultoris*, à Pantheo ab Agrippa conſtructum, facit Ioſ. Scaliger Animadverſ. in Chronic. Euſebii ad an. MMCXXVI. ubi ſcri-

ſcribit: *Præter hoc Pantheon Agrippæ, erat Romæ Pantheum Iovis Ultoris, & Pantheum Minervæ Medicæ.* Quod diſertè contra Plinium eſt.

Num. *Diocletiani*, cum Inſcript. IOVI. FVLGERATORI. VII.
*Iupiter* nudus, quaſi feſtinans, quod ex humeralis lacinia à tergo per ſiniſtrum brachium ventilata apparet, ſeſeque in eum ſtatum componens, ac ſi fulmen dextra elevata jaculaturus eſſet. Adeſt quoque Aquila ad pedes. De Iovis variis cognominibus ita Appuleius de Mundo: *Cum ſit unus, pluribus nominibus cietur propter ſpecierum multitudinem, quarum diverſitate fit multiformis: & à juvandis ſuis Iupiter dicitur: quem ζῆνα Græci, quod vitæ noſtræ auctor ſit, rectiſſime appellant:* FVLGVRATOR, *& Tonitrualis, & Fulminator, & jam Imbricitor, & item dicitur Serenator, & plures eum Frugiferum vocant, multi Vrbis cuſtodem, alii Hoſpitalem, Amicalemque: & omnium officiorum nominibus appellantes, & multa plura apud aruſpices & Romanos veteres invenies.* Qui unicus locus plurium Nummorum Inſcriptionibus declarandis ſufficit. Cæterum Diocletianus *Iovis Fulguratoris* ſimulachrum in Nummis ſcalpi curavit, ad ſemet ipſum deſignandum, quaſi fulmine hoſtes omnes proſtraviſſet, unde & *Iovius* dici voluit, quod nomen prænominis inſtar etiam in variis ipſius Nummis reperitur.

Num. *Neronis*, cum Inſcript. IVPITER CVSTOS. *Iupiter* VIII.
ſuperne pube tenus nudus ſellæ inſidens, dextra fulmen triſulcum, ſiniſtra ſceptrum, ſive haſtam tenens. Quare Iupiter ſedens ſuperne nudus fingatur, cauſam addit Georgius Codinus De Originibus Conſtantinopolitanis, ubi Iovis ſimulachrum, quod Conſtantinopoli ſpectandum erat, ita deſcribit: Ἄγαλμα πλάττουσι Διὸς καθήμενον, ἔχον τὰ μὲν ἄνα γυμνὰ, τὰ δὲ κάτω σκεπασμένα. κρατεῖ δὲ τῇ μὲν εὐωνύμῳ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δὲ δεξιᾷ ἀετὸν προτείνει. καὶ τὸ μὲν καθέζεσθαι, τὸ ἑδραῖον τῆς δυνάμεως αἰνίττεται· τὸ δὲ τὰ ἄνω γυμνὰ ἔχειν, ὅτι φανερὸς τοῖς νοεροῖς καὶ τοῖς οὐρανίοις

τοῦ κόσμου

κόσμε μέρεσι. τὰ δ' λοικὰ σκέπει. διό τι τοῖς χαμαιζήλοις ὁ θεὸς ἄγνως. τὸ δ' τῇ ἑτέρᾳ προβλέπειν ἀετὸν δηλοῖ, ὅτι τῶν ἀερφόρων πνευμάτων κρατεῖ ὡς ὁ ἀετὸς τῶν μεταρσίων ὀρνέων. *Simulachrum Iovis fingunt ſedere ſuperne nudum, inferne tectum; & læva quidem manu ſceptrum tenere, dextra verò aquilam protendere. Quod autem ſedeat, ſtabilitatem potentiæ ſignificat; quod ſuperne ſit nudus, innuit ipſum intelligentibus & cœleſtibus mundi partibus eſſe conſpicuum. Cætera teguntur, quod Deus humi repentibus eſt ignotus. Sceptrum in lævâ, poteſtatis indicium: Aquila altera manu extenta, ſignificat eum ſpiritibus aëris imperare, ut aquilam volucribus.* Quod Inſcriptionem IVPITER CVSTOS attinet, vel Nero ſemet ipſum, Iovis ſpecie, ut *Cuſtodem* Imperii deſignare voluit, vel ſe, & Imperium, IOVI CVSTODI commendare. Huic alioquin Templum à Domitiano in Capitolio exſtructum. Suetonius in ejus Vita: *Novam autem excitavit ædem in Capitolio* CVSTODI IOVI. Meminit ejus rei Tacitus lib. III. Hiſtor. ubi de Domitiano: *Imperium adeptus,* IOVI CVSTODI *templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit.*

IX. Num. *Veſpaſiani,* cum Inſcr. IOVIS. CVSTOS. Iuvenis nudus, imberbis, ſtans ante aram accenſam cum patera, quaſi libans, in dextra, & haſtam ſiniſtra ferens, IOVEM CVSTODEM deſignare videtur. Scribitur heic IOVIS CVSTOS antiquo more, pro *Iupiter.* Sic apud Ennium in diſticho illo, quo XII. Deos Conſentes complexus:

> *Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
> *Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Sic etiam Hyginus fabula XCII. *Iovis, cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes deos convocaſſe, excepta Eride.* & paullo poſt: *Iovis imperat Mercurio, ut deducat eas in Ida monte ad Alexandrum Paridem.* &c. Sic idem Hyginus fab. LIII. & alibi ſæpius *Iovis* nominando caſu utitur. Ita quoque Appuleius lib. IV. Metamorph.

*Quem*

*Quem tremit ipſe Iovis* &c. Nec non D. Auguſtinus lib. VII. de Civit. Dei: *Ac per hoc idem eſt ipſe Iovis atque Mercurius.*

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. IVPPITER. CONSERVATOR. *Aquila* cum alis expanſis & roſtro aperto fulmini triſulco pedibus inſiſtens, iſtudque ungulis apprehendens, Iovis ſymbolum eſt, cui, ut deorum ſummo, hæc ales ob excellentiam à Poëtis dedicata eſt, quæque Iovis dicitur armigera; unde & fulmen triſulcum pedibus geſtantem fingunt. Pindaro dicitur ἀρχὸς ὀιωνῶν, *princeps avium*, Iſthm. od. VI. item ὀιωνῶν βασιλὸς, *avium rex* in Olymp. Cæterum ad intelligentiam Inſcriptionis facit, quod Domitianus IOVI CONSERVATORI ſacellum exſtuxerit, eo quod ipſum in ſeditione Vitellianâ à furore hoſtium conſervaſſet. Qua de re ita Tacitus lib. III. Hiſtor. *Domitianus prima irruptione apud ædituum, occultatus ſolertia liberti, lineo amictu turbæ ſacricolarum immixtus, ignoratusque, apud Cornelium Primum paternum clientem juxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto æditûi contubernio, modicum ſacellum* IOVI CONSERVATORI, *aramque poſuit, caſuſque ejus in marmore expreſſit.* Addit porro Tacitus, quæ ejus verba ad Num. VIII. hujus Tab. modo adduximus: *Mox imperium adeptus*, IOVI CVSTODI *templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit.* Sic in alio X.

Num. *Traiani*, cum Inſcr. CONSERVATORI. PATRIS. PATRIÆ. *Iupiter* ſtans cum fulmine in dextra, & ſceptro in ſiniſtra, nudus, niſi quod pallium à tergo expanſum, utroque brachio ſuſpenſum teneat, quo Imperatorem Traianum, qui togatus adſtat, & ſtatura adeo humili expreſſus, ut vix ſupra genua Iovis attingat, protegere videatur. Hoc modo in variis Impp. Nummis Iupiter CONSERVATORIS cognomine exhibetur. XI.

Num. *Commodi* cum Inſcr. IOVI. DEFENS*ori* SALVTIS. AVG. Iupiter nudus feſtinans, cum haſta in ſiniſtra, & fulmine XII.

in dextra, quaſi iſtud vibraturus inter Septem ſtellas, ſive *Pleiades*, ſive aliud ſidus repræſentantes; ſive ſimpliciter cælum ſtellatum, aut potius *ætherem* deſignantes, cujus ſupremus dominus Iupiter habitus. Ad Inſcriptionis dilucidationem facere videntur hæc Æl. Lampridii verba in Commodo. *Inter plurimas cædes multorum civium, quaſi quidam novus Sylla, idem Commodus ille Pius, ille Felix, finxiſſe etiam quandam contra ſe conjurationem dicitur, ut multos occideret.* In memoriam forte ejus cuſus hic Nummus à Commodo, quaſi IOVIS DEFENSORIS ope ſalvus ipſe evaſerit.

# TABVLA XXXVI.

I. Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcriptione in medio Græca, ut videtur, ſed ex qua nullum ſenſum eruere liceat. Primus quod ſciam, qui Ectypum hujus Nummi vulgaverit, fuit Guil. Choulius Lib. De Relig Antiq. Rom. qui & ipſe fatetur, ſe literarum ſententiam aſſequi non potuiſſe. Niſi ſcalptoris incuriâ Characteres quoſdam trajectos, nec ſuo loco poſitos quis exiſtimet, forſan quod per temporis injuriam, eorum ductus haud ita bene diſcerni in ipſo Nummo potuerint. Similem huic Nummum elegantem Alexandri Severi æreum ex maximo modulo, haud ita pridem exhibuit Clariſſ. Carolus Patinus in Theſauro ſuo Numiſmatum, cum intermedia Inſcriptione; Cujus tamen Characteres, & quod ad formam, & quod ad conjunctionem à ſolitis Græcis quoque abeunt. Iſta autem ita ſe habet:

| | |
|---|---|
| ΠEPIN | ΘIΩN |
| B. NE | ωKO |
| PωN | IωNωN |

Cum plurimæ literæ conveniant cum iis, quæ in noſtro Nummo exſtant, poſſet aliquis ſuſpicari, an non eodem modo heic legendum

TAB. XXXVI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

gendum foret, quod tamen in medio relinquo. Recte autem Cl. Patinus Characteres istos *Perinthios bis Neocoros Ionos* indicare ait: ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΙΩΝΩΝ. De quo titulo vide elegantissimam Diatriben Alb. Rubenii *De Urbibus Neocoris*, à Clariss. Grævio ante aliquot annos vulgatam, cum aliis ejusdem Opusculis postumis. Cæterum in nostro Nummo cernitur *Iupiter* seminudus sedens, cum hasta in sinistra manu, dextrâ vero Aquilæ ad pedes adstanti impositâ; supra caput ejus duæ quadrigæ, quarum alteræ Solem, alteræ Lunam repræsentant; ille ex stellula radiata, hæc ex Lunula falcata dignoscitur; infra pedes jacent duæ figuræ nudæ, quæ Terram & Aquam designant. In Nummo Cl. Patini, Terra cum Cornucopiæ, Aqua cum prorâ navis exhibetur. Sic ut Iupiter heic inter quatuor Elementa collocatus sit. Circa marginem disposita sunt duodecim cæleſtia signa, quæ Zodiacum constituunt, scilicet Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces; quæ vulgo hoc disticho comprehendi solent:

*Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,*
*Libraque, cum Scorpio, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.*

Est utique hoc numisma Optimi Principis Alexandri Severi insigne sui regiminis monumentum, ut qui sic terras feliciter regere videatur, ac Iupiter cœlum.

Num. *Commodi*, cum Inscript. *Iupiter. Optimus Maximus* SPON- II.
SOR. SECV*ritatis* AV*Gusti*. Imperator *Commodus* togatus, stans, dextrâ Orbem, sive Globum, sinistra sceptrum tenens, à tergo adstat *Iupiter* SPONSOR, vestis laciniâ circa medium cinctus, cætera nudus, sinistrâ fulmen tenet, dexteram vero humero Commodi imponit, quasi *Securitatem* ipsi spondens. Iovi Sponsori primus Tarquinius Superbus templum condere cœpit; quod postea

à Sp. Postumio Consule A. U. CCXXCVIII. demum dedicatum, ut testatur Dionysius Halicarnasseus lib. IX. Ἐν δὲ τῇ πόλει τὸν νεὼν τοῦ Πιστίου Διὸς Σπόριος Ποστούμιος ὁ συνύπατος αὐτοῦ καθιέρωσε, μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλομέναις νόνναις, ἐπὶ τοῦ Ἐνναλίου λόφου, κατασκευασθέντα μὲν ὑπὸ τοῦ τελευταίου βασιλέως Ταρκυνίου, τῆς δὲ νομιζομένης παρὰ Ῥωμαίοις ἱερώσεως οὐ τυχόντα ὑπ' ἐκείνου. τότε τῇ βουλῇ δόξαν, ὁ Ποστούμιος ἔλαβεν αὐτοῦ τὴν ἐπιγραφήν. *In Vrbe ædem Iovis Fidei Sponsoris collega ejus Sp. Postumius dedicavit Nonis Iuniis in colle Martiali exstructam ab ultimo regum Tarquinio, non tamen solenni dedicationis ritu ab eo consecratam, sed tum demum ex S C. data est ejus inscriptio Postumio.* Lil. Gyraldus hunc eundem esse putat cum Dio Fidio. Ædes hæc à P. Victore in VIII. Vrbis regione ponitur.

III. Num. *Tetrici*, cum Inscript. IOVI. PROPVGNATORI. *Iupiter Propugnator* stans, nudus, nisi quod pallium à collo supra tergum dependeat, dextra fulmen, sinistra hastam ferens; ad pedes adest Aquila. Iovis Propugnatoris templum in Palatio fuisse dicitur; fitque ejus mentio in Veteri Inscriptione apud Gruterum pag. CCC. n. 2.

P. MARSIVS. VERVS. IMP. COMMODO. VI. ET. PETRONIO.
SEPTIMIANO. COS. A. P. R. C. DCCCCXIL. KAL. DECEM.
IN. PALATIO. IN. AEDE. IOVIS PROPVGNATORIS. IN. LOCVM.
M. VERI..... L.. ATTIDIVS. CORNELIANVS. COOPTATVS.
&c. &c.

IV. Num. *Gordiani*, cum Inscr. IOVI. STATORI. *Iupiter Stator* nudus cum hasta in dextra, & fulmine in manu sinistra; Nomen accepisse volunt, quod stiterit ad radicem montis Palatini exercitum Romanum præ Sabinis fugientem, Livius lib. 1.

*Romu-*

*Romulus & ipse turba fugientium actus, arma ad cælum tollens. Iupiter, tuis, inquit, jussus avibus, heic in Palatino prima urbi fundamenta jeci. arcem jam scelere emptam Sabini habent. inde huc armati superata media valle tendunt. At tu pater Deûm hominumque, hinc saltem arce hostes: deme terrorem Romanis, fugam fœdam siste. Heic ego tibi templum* STATORI IOVI, *quod monumentum sit posteris, tua præsenti ope servatam Vrbem esse, voveo.* &c. Vid. & Plutarch. in Romulo, & Dionys. Halicarnass. lib. I. Ab his abit Seneca lib. IV. De Benefic. Cap. VII. *Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum omnium compellare, & Iovem illum Optimum Maximum rite dices, & Tonantem, &* STATOREM: *qui non (ut Historici tradiderunt) ex eo, quod post votum susceptum, acies Romanorum fugientium stitit, sed quod stant beneficio ejus omnia,* STATOR, *Stabilitorque est.*

Num. *Domitiani*, & aliorum Impp. cum Inscr. IOVI. VICTORI. *Iupiter* seminudus sellæ insidens, cum suppedaneo sub pedibus posito, dextra *Victoriolam* prætendens, sinistra hastæ nitens. Sic dictus & pictus, quod omnia vincere putaretur. Phornutus De Iove: Πολλαχοῦ ὁ Ζεὺς νίκην κρατῶν πλάττεται. φέρει γὰρ πάντων ἡ ὀδὲν ἥττων αὐτοῦ δυνατόν. *Pingitur interdum tenens manibus Victoriam. Quia ipse omnia vincit, nec quicquam ipsi resistere potest.* Porphyrius apud Eusebium lib. III. cap. IX. D. Præp. Euangel. προτείνει δὲ τῇ δεξιᾷ ἢ ἀετὸν, * ἢ νίκην, ὅτι νικήκεν αὐτὸς πάντα. *Protendit vero dextra aut aquilam,* * *aut Victoriam, quia ipse omnia superavit.* Huic bello cum Samnitibus & Gallis ædem vovit Quintus Fabius, teste Livio lib. X. cap. XXIX. *Ipse ædem* IOVI VICTORI, *spoliaque hostium cum vovisset, ad castra Samnitium perrexit.* Et mox: *Fabius, dimissis ad quærendum collegæ corpus, spolia hostium conjecta in acervum* IOVI VICTORI *cremavit.* Ædem *Iovis Victoris* in Regione X. in Palatio ponit P. V.

Victor. Ridiculum videtur, quod idem Livius refert, quamvis serio videatur agere, eodem libro. cap XLII. de Papirio Cursore Cos. eum in prælio contra Samnites poculum mulsi *Iovi Victori* vovisse: *Ab eodem robore animi, neque controverso auspicio revocari à prælio potuit, & in ipso discrimine, quo templa Diis immortalibus voveri mos erat, voverat* IOVI VICTORI, *si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum.* Cæterum, quando Imperatores *Iovem Victorem* in nummis repræsentant, vel victoriarum gloriam in eum transscribere, vel potius semet ipsos sub *Iovis Victoris* habitu & forma designare volunt; quasi suis auspiciis Victoria ab hostibus reportata fuerit. *Iovis Victoris* quoque mentionem facit Hyginus Fabul. CLXXXV. ubi de Hippomene qui Veneris beneficio Atalantam cursu vicerat, scribit: *Hanc cum in patriam duceret, oblitus beneficio Veneris se vicisse, grates ei non egit. Irata Venere in monte Parnasso cum sacrificaret* IOVI VICTORI, *cupiditate incensus, cum ea in fano concubuit.* &c.

VI. Num. *Alexandri Severi* cum Inscr. IOVI VLTORI. *Iupiter* penitus nudus, stans, cum hasta in dextera; sinistra fulmen tenens. De hoc, ejusque templo, *Pantheo* nuncupato, & ab Agrippa, Augusti genero, facto, quædam dicta ad Num. VI. Tabulæ præcedentis. Lubet heic adjungere Dionis locum è lib. LIII. ubi de Pantheo ita scribit: Τὸ, τε Πάνθειον ὠνομασμένον ἐξετέλεσε (ὁ Ἀγρίππας.) προσαγορεύετο δὲ οὕτω, τάχα μὲν ὅτι πολλῶν θεῶν εἰκόνας ἐν τοῖς ἀγάλμασι, τῷ τε τοῦ Ἄρεως καὶ τῷ τῆς Ἀφροδίτης, ἔλαβεν· ὡς δὲ ἐγὼ νομίζω, ὅτι θολοειδὲς ὄν, τῷ οὐρανῷ προσέοικεν. ἠβουλήθη μὲν οὖν ὁ Ἀγρίππας καὶ τὸν Αὔγουστον ἐνταῦθα ἱδρύσαι, τήν τε τοῦ ἔργου ἐπίκλησιν αὐτῷ δοῦναι μὴ δεξαμένου δὲ αὐτοῦ μηδέτερον, ἐκεῖ μὲν, τοῦ προτέρου Καίσαρος ἐν δὲ τῷ προνάῳ, τοῦ τε Αὐγούστου καὶ ἑαυτοῦ ἀνδριάντας ἔστησε. *Pantheum*

*theum quoque perfecit Agrippa. id sic dicitur fortassis, quod in simulachris Martis & Veneris multas deûm imagines acciperet: ut vero mihi videtur, inde id nominis habet, quod forma convexa fastigiatum, cœli similitudinem ostenderet. Voluit Agrippa in eo Augusti quoque statuam collocare, nomenque operis ei adscribere: neutrum autem eo accipiente in Pantheo ipso Cæsaris superioris statuam, Augusti & suam in Vestibulo posuit.* Glossæ Veteres: Πάνθειον, *Omnium deorum*, Iupiter autem præcipuus & præses ibi, Deus fuisse videtur. Sed & plures alii: eoque nomine haud male *Pantheon*, inquit Lipsius De Magnit. Rom. lib. III. qui videndus.

Num. *Augusti*, in quo videre est *Coronam Quernam* cum glandibus, in medio cujus Inscriptio Votiva posita: VII.

I. O. M.
S. P. Q. R. V. S.
PR. S. IMP. CAE.
QVOD. PER. EV.
R. P. IN. AMP.
ATQ. TRAN.
S. E.

Quæ, meo judicio, sic legenda: *Iovi Optimo Maximo Senatus Populus Que Romanus Vota Solvit* PRo *Salute* IMPeratoris CAEsaris QVod PER EVm *Res Publica* IN AMPliore ATQue TRANquilliore *Statu Est.* Videtur Nummus cusus post Victoriam Actiacam, & Iani templum clusum ab Augusto. Alioquin ad Nummi intelligentiam & ista Suetonii in Augusto, cap. XXIII. facere possunt: *Vovit & magnos Ludos Iovi Optimo Maximo* SI REMPVBLICAM IN MELIOREM STATVM VERTISSET: *quod factum Cimbrico Marsicoque bello erat.*

Num.

VIII. Num. *Sexti Pompeii*, cum Inſcript. NEPTVNI. Caput *Sexti Pompeii*, Pompeii Magni filii, cum *Delphino* & *Tridente*, *Neptuni* inſignibus. Hic enim Sextus Pompeius, rerum maritimarum felici ſucceſſu inflatus, ſe Neptuni filium dici voluit. Qua de re ad Nummi intelligentiam, ita ſcribit Appianus Alexandrinus lib. V. Bell. Civil. Ὁ δὲ Πομπήϊος οὐδ' ἐπὶ τοιᾷδε εὐκαιρίᾳ τοσοῖς δε ναυαγίος ἐπιχειρεῖν ἠξίου, ἀλλ' ἔθυε μόνον θαλάσσῃ καὶ Ποσειδῶνι, καὶ υἱὸς αὐτῶν ὑφίστατε καλεῖσθαι, πεισθόμενος ἐκ ἄνευ θεοῦ δὶς οὕτω θέρους πταῖσαι τοὺς πολεμίους. Φασὶ δ' αὐτὸν ὑπὸ τῶν δε χαυνούμενον, καὶ τὴν συνήθη τοῖς αὐτοκράτορσι χλαμύδα, ἐκ φοινικῆς εἰς κυανὴν μεταλλάξαι, ἐσποιούμενον ἄρα τῷ Ποσειδῶνι. *Pompeius autem ne hac quidem tot naufragiorum occaſione uſus, tantum Neptuni ſacris operabatur & Salaciæ, quorum etiam filium appellari ſe ſuſtinuit, perſuaſus, non ſine Deo bis ita per æſtivos menſes hoſtem adflictum adverſis tempeſtatibus. Fertur, eum ſucceſsibus inflatum, mutaſſe paludamentum quoque, cæruleumque ſumpſiſſe pro puniceo, adoptatum ſcilicet à Neptuno.* Idem teſtatur Dio Caſſius lib. XLVIII. hisce verbis: Καὶ ὁ Σέξτος ἔτι καὶ μᾶλλον ἤρθη καὶ τοῦ τε Ποσειδῶνος υἱὸς ὄντως ἐπίστευεν εἶναι, καὶ στολὴν κυανοειδῆ ἐνεδύσατο; ἵππους τε καὶ (ὥς γε τινὲς φασὶ) καὶ ἄνδρας ἐς τὸν πορθμὸν ζῶντας ἐνέβαλε. *Et Sextus magis tum elatus animo, vere Neptuni filium ſe credidit, veſtemque cæruleam induit, &, ut quidam referunt, equos virosque vivos in fretum conjecit.* Eodem quoque libro paullo ante Dio de eodem Sexto Pompeio dixerat: Καὶ μετὰ τοῦτο ναῦς πλείους ἐναυπηγήσατο, καὶ τὴν πέριξ θαλάσσης ἐκράτησε δόξαν τε τινὰ καὶ φρόνημα, ὡς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος παῖς ὤν, ὅτι πάσης πότε ὁ πατὴρ αὐτοῦ τὴν θαλάσσης ἦρξε, προσέθετο. *Deinde naves plures extruxit, mare circum inſulam obtinuit; auctus ea etiam gloria atque faſtu, quaſi Neptuni filius eſſet: quod Pater quondam ejus imperium mari*

*univer-*

*niverſo habuerat.* Faciunt huc quoque illa Porphyrionis verba, qui ad Horatii Epod. IX.

*Ut nuper, actus cum freto Neptunius*
*Dux fugit uſtis navibus.*

Notat: *Neptunium ducem, inquit, Sextum Pompeium, noli ſimpliciter dictum accipere, quaſi qui in mari dux fuiſſet, ſed quod eo ſtultitiæ proceſſiſſet, inflammatus rerum maritimarum felicitate, ut Neptuni filium ſe diceret, & cyaneâ veſte obduceretur.* Sic in Inſcriptione hujus Nummi: NEPTVNI, ſubintellige, FILIVS.

Num. *Familiæ Rom.* cum Inſcr. ROM. Caput *Neptuni*, cum capillo & barba prolixis, tortisque (ut Dii Fluviatiles quoque effingi ſolent) ac ſi aqua ex iis expreſſa foret. poſt cervicem adeſt *Tridens*, & infra *Delphinus*, Virgilius lib. II. Æneid. IX.

*Neptunus muros, magnoque emota tridenti*
*Fundamenta quatit.* ——

Ovidius lib. I. Metamorph.

*Stare Deum pelagi, longoque ferire tridenti*
*Aſpera ſaxa facit.* ——

Num. *M. Agrippæ.* cum Inſcr. EX. SC. *Neptunus* nudus, niſi quod veſtis lacinia circa pubem appareat, ſtans, dextra *Tridentem*, ſiniſtra *Delphinum* ferens, dum ſiniſtrum pedem roſtro navis imponit. Hyginus Aſtronom. lib. II. in Delphino: *Qui Neptuno ſimulachrum faciunt, delphinum aut in manu, aut ſub pede conſtituere videmus; quod Neptuno gratiſſimum eſſe arbitrantur.* Neptunum in Nummis Agrippa præfert, ob maris Præfecturam ipſi ab Auguſto mandatam, variasque victorias navales, quas obtinuit; unde & Neptuno Romæ porticum exſtruxit. Dio lib. LIII. Ἀγρίππας ὃ ἐν X.

τούτῳ τὸ ἄγαν τῆς ἰδίοις τέλεσιν ἐπεκόσμησε. τοῦτο μὲν γὰρ τὸν τοῦ Ποσειδῶνος ὀνομαζομένῳ καὶ ἐξωκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, καὶ τῇ Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε. *Agrippa autem eodem tempore propriis ſumptibus Vrbem exornavit. Nam & porticum Neptuni proper Victorias navales extruxit, & Argonautarum pictura decoravit.*

XI. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. CAESAR. DIVI. F. *Neptunus* ſtans, nudus, niſi quod velaminis genus à tergo ſuper utrumque brachium ſuſpenſum geſtet, ſiniſtrâ *tridentem*, dextrâ pro Delphino, *acroſtolium* navis tenens; dextro vero pede globum, ſive Orbem terrarum premens. Hinc à Græcis Neptunus Ποσειδὼν, quod pedibus terram quatiat dictus; item Ἐννοσίγαιος & σεισίχθων; quod utrumque *terræ concuſſorem* denotat. Homero lib. XIII. Iliad. vers. 59. γαιήοχος, ἐννοσίγαιος. *Terram continens, terram quaſſans;* quod alii ad terræ motum, quem aquarum ſubter in terrarum cavis undantium fluctibus, pulſibusque accidere voluere, ut ait A. Gellius lib. II. Noct. Atticar. cap. XXVIII. Nec non Ammianus Marcellinus lib. XVII. ubi ſcribit: *Ideoque Neptunum humentis ſubſtantiæ Ennoſigæum, & Siſichthona Poëtæ veteres & Theologi nuncupaverunt.* Sed non eſt neceſſe de terræ motu intelligere. Antiqui enim eo denotarunt, littora & terras fluctibus Oceani percuti. Sic in

XII. Num. *Titi*, cum Inſcr. NEPtuno REDuci. *Neptunus* itidem nudus ſtans, cum *acroterio* in dextera, & *tridente* in ſiniſtra manu, dextro pede Orbem calcans. NEPTuno REDuci dicatus hic Nummus, ob reditum Titi Romam per mare. Suetonius in ejus Vita: *Quare feſtinans in Italiam, cum Rhegium, deinde Puteolos oneraria nave appuliſſet; Romam inde contendit expeditiſſimus, inopinantique patri, velut arguens rumorum de ſe temeritatem, Veni, inquit, pater, veni.*

TA-

TAB. XXXVII

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



# TABVLA XXXVII.

Num. *Familiæ Rom.* cum Inſcr. Q. TVBERO. *Neptunus* I.
nudus conchæ inſiſtens, ab equis marinis ſuper undas vectus, habenas quorum ſiniſtra tenet, dum eos cum tridente in dextera inſtigare videatur. Faciunt huc illa Virgilii lib. V. Æneid. ubi de Neptuno:

*Iungit equos curru genitor, ſpumantiaque addit*
*Frena feris, manibusque omneis effundit habenas,*
*Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru.*

Fulgentius Mythologicôn lib. I. in Neptuno: *Tridentem vero ob hanc rem ferre fingitur, quod aquarum natura triplici virtute fungatur, id eſt liquida, fœcunda, potabilis.* Q. TVBERO ex gente *Ælia* fuit. Vid. Anton. Auguſtin. de Familiis Romanor. in ÆLIA.

Num. *Gallieni*, cum Inſcr. NEPTVNO CONServatori II.
AVGuſti. *Equus marinus* in hoc Nummo tantum expreſſus, à Gallieno *Neptuno*, tanquam *Conſervatori Auguſti* dicatus. Neptunus *Hippius*, Græcis, Latinè *Equeſtris*, quem & *Conſum* dixere, unde & *Conſualia*, jam à primis temporibus Romæ cultus. Livius lib. I. *Romulus ludos ex induſtria parat Neptuno Equeſtri ſollemnes: Conſualia vocat.* Vid. & Dionyſius Halicarnaſſ. lib. I. Plutarchus in Romulo, Varro lib. V. de L. L. Quæ porro ad Neptunum ſpectant, egregiè declarat locus Diodori Siculi lib. V. hoc modo: Τῶν δ' ἄλλων θεῶν τῶν ἐκ Κρόνου καὶ Ῥέας γεγονότων φασὶν οἱ Κρῆτες Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χρήσασθαι τῇ περὶ θάλασσαν ἐργασίαις, καὶ σόλους συσήσασθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην ὑπὸ Κρόνου. διὸ καὶ παραδίδοσθαι τοῖς ἐπιγινομένοις τοῦτον

κύριον ὑπάρχειν τῶν κατὰ θάλασσαν πρατομένων, καὶ θυσίαις ὑπὸ τῶν ναυτιλλεμένων τιμᾶσθαι· προσάπτουσι δ' αὐτῷ καὶ τὸ τοὺς ἵππους δαμάσαι πρῶτον, καὶ τὴν ἐπιστήμην καταδεῖξαι τὴν περὶ τὴν ἱππικήν. ἀφ' ἧς Ἵππειον αὐτὸν ὠνομάσθαι. *Inter alios autem Deos, è Saturno & Rhea genitos, aiunt Cretenses, Neptunum primum maris negotium tractare cœpisse, classemque instituisse, hanc præfecturam à Saturno adeptum. Ideoque fama apud posteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus arbitrio esse; & propterea eum sacrificio nautæ honorant. Adjiciunt & hoc, equos à Neptuno primum domitos, & equestris rei scientiam ab eo traditam.* Unde *Hippius, id est, equestris nominatur.*

III. Num. *Caracallæ*, cum Inscr. P. M. TR. P. XVIII. COS. IIII. P. P. S. C. Cernitur heic *Apollo*, Iuvenis nudi specie expressus, nisi quod pallium à collo per dorsum dependeat, dextrâ ramum sive lauri, sive alterius plantæ tenens, sinistrâ vero Lyram, quæ cippo cuidam, sive potius aræ insistere videtur. De ramo, quem Apollini Veteres sæpe tribuunt, ita Fulgentius De Continentia Virgiliana: *Aureum ramum* inquit, *pro scientia posuimus, memores quia & mater mea ramum se somniavit genuisse; & Apollo cum ramo depingitur.* Rationem addit Martianus Capella lib. I. De Nuptiis Philologiæ; *Delius quoque ut ramale laureum gestitat, divinatrice eadem conjecturalique virga volucres ac fulgurum jactus ac ipsius meatus Cœli, fulgurumque commonstrabat.* Quod Lyram super aram attinet, eò facere videntur, illa Basilii Magni ex Comment. in cap. V. Esaiæ: ubi ad verba ista Prophetæ: Οὐαὶ οἱ μετὰ κιθάρας καὶ αὐλῶν καὶ τυμπάνων καὶ ψαλμῶν τὸν οἶνον πίνοντες. *Væ qui cum cithara & tibiis & tympanis & Psalmis vinum bibit*, Statim subjungit, & notat: Σοὶ δὲ χρυσῷ καὶ ἐλέφαντι πεποικιλμένη ἡ λύρα, ἐφ' ὑψηλοῦ τίνος βωμοῦ ὥσπερ τι ἄγαλμα καὶ εἴδωλον δαιμόνων ἀνάκειται. *Atqui apud te jacet Lyra auro denteque elephantino interstincta & variegata,*

*gata, affixa velut sublimi cuipiam altari, statua & idolum dæmoniacum.* &c. Sic in

Num. *Æmiliani*, cum Inscr. APOL. CONSERVAT. IV Itidem *Apollo* nudus cum *ramo*, & *Lyra* super aram, aut cippum posita. Ad ramum Apollinis faciunt quoque illa Palæphati De Incredibilib. de Daphne: Εὐθὺς ἀνεπήδα φυτόν· καὶ παραπεσὼν αὐτῷ ὁ τοῦ ἀκμαίου ἔρωτος ὁ Θεὸς, οὐκ εἶχεν ὅπως χρήσηται φυτῷ. ἀλλ' ἅτε χεῖρες ἀνελαμβάνοντο, καὶ ἡ κεφαλὴ τὸ λοιπὸν ἐκοσμεῖτο. *Statim planta prosiluit; in cujus amplexus, ob amoris vehementiam ruens Apollo, nullis machinis resistere potuit nascenti arbori; sed manus illius jam continebantur arbore, ac caput tandem frondibus ornabatur.* APOLlo CONSERvator ab Æmiliano in hoc Nummo signatus, ad avertendam pestem, quæ tum temporis supra modum grassabatur; de qua Zosimus Hist. lib. I. ita scribit: Οὐχ ἧττον δὲ πανταχόθεν ἐπιβήσαντος πολέμου, καὶ ὁ λοιμὸς πόλεσί τε καὶ κώμαις ἐπιγιγνόμενος, εἴτε λελειμμένου τινὸς ἀνθρώπειον γένος διέφθειρεν, ὅσον οὐδέποτε ἐν τοῖς φθάσασι χρόνοις, τοσοῦτον ἀνθρώπων ἀπώλειαν ἐργασάμενος. *Nec minus bello ab omnibus partibus ingruente, lues etiam pestilens in oppidis atque vicis subsecuta, quicquid erat humani generis reliquum absumsit: quæ sane nunquam superioribus sæculis tantam hominum stragem dederat.* Apollinem autem & Medicinæ Deum, & morbos pestemque avertere, creditum antiquis, vix ullum fugit. Eandem ob rationem toties Gallienus quoque *Apollinem Conservatorem* in Nummis suis exhibet. uti in seqq. aliquot videre est.

Num. *Gallieni*, cum Inscript. APOLLO. CONSER. V. *Apollo Conservator*, juvenili forma, dextra capiti imposita, sinistra Citharam tenens basi innixam. Georg. Codinus De Origin. Constantinopol. Κιθάραν ἐπὶ χειρῶν πλάτησι τοῦ Ἀπόλλωνος, οἱονεὶ τοῦ ἡλίου, διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν αἴτιον τοῦ παντὸς ἁρμονίας.

*Citharam manibus tenere fingunt Apollinem, seu Solem, quoniam is auctor est consonantiæ omnium rerum.* uti optime hunc locum restituit Cl. Lambecius in Animadversionibus ad Codinum ex Editione Regia Luparea. Cæterum de pestilentia istorum temporum ita quoque Trebellius Pollio in Gallieno: *Inspectis Sibyllæ libris, factum Iovi Salutari, ut præceptum fuerat, sacrificium. Nam & pestilentia tanta exstiterat, vel Romæ, vel in Achaia, ut uno die quinque mille hominum pari morbo interirent.* Citharam multis chordis instructam videmus; decachorda quippe. Rationem adducit Fulgentius Mithologicon lib. I. *Apollini novem deputant Musas, ipsumque decimum Musis adjiciunt: illa videlicet causa, quod humanæ vocis decem sint modulamina: unde & cum decachorda Apollo pingitur cithara.* De Apolline, quem jam non semel juvenili specie repræsentatum vidimus, ita Albricus De Imaginib. Deor. *Iste pingebatur in specie impuberis juvenis, nunc facie puerili, nunc juvenili, semper imberbis.* &c.

VI. Num. *Gallieni*, cum Inscr. APOLLINI. CONServatori AVGusti. Cui hunc Nummum Gallienus quoque dedicat, ob causam modo dictam. Cernitur heic *Centaurus*, dextra *globum*, sinistra vero *Navis gubernaculum* ferens; uti etiam manifeste in archetypo nummo expressum. Al. Rubenius, putat Antiquarios falsos, qui heic *gubernaculum* à Centauro teneri credunt; & dicit, in nummo à se inspecto clare *Lyram* expressam esse. Nisi ipse eraverit; nihil aliud dicendum restat, quam duplices à Gallieno hoc signo nummos cusos; quorum alii *Lyram*, alii *navis gubernaculum* præferant. Nam in hoc nostro Nummo archetypo, cujus &, typus heic exhibetur, non *Lyra*, sed *navis gubernaculum* scalptum est. Quid vero gubernaculum heic designet, haud ita facile dictu est. Sunt qui existiment Gallienum, heic conservationem patris sui, Imperatoris Valeriani, in Persia captivi, Apollini, sive Soli, cui per gubernaculum, omnium rerum regimen adscribatur, commendasse. Verum vix credibile, Gallienum tantæ pietatis in patrem

trem fuiſſe, quippe quem Trebellius Pollio notet ob patris captivitatem, cum alii moererent, ſupra modum lætatum eſſe. A. Rubenius per Centaurum *Chironem*, Achillis Pædagogum, heic deſignari vult, qui Muſicam & Medicinam ab Apolline inventam, ſagittandi quoque artem alumnum ſuum docuit ; Cujus rei præter alios meminit quoque Claudianus de III. Conſulat. Honorii :

*—— non ocyus hauſit Achilles*
*Semiferi præcepta ſenis, ſeu cuſpidis artes,*
*Sive Lyræ cantus, medicas ſeu diſceret herbas.*

Quaſi Gallienus innuere vellet, ſe non minori ſtudio bonas artes excoluiſſe. De ejus quippe ſtudiis Trebellius Pollio in ejus Vitâ ſcribit : *Fuit Gallienus, quod negari non poteſt, oratione, Poëmate, atque omnibus artibus clarus.* Fr. Angellonius in Hiſtoria Auguſta, ideo *Centaurum* in Gallieni Nummis expreſſum ſtatuit, quod ſcilicet ejuſmodi monſtrum Populo Romano exhibuerit ſpectandum Gallienus : ſed optimo jure ejus credulitas à Cl. Triſtano, aliisque jam notata, qui hujusmodi animal unquam in rerum natura fuiſſe crediderit. Præter alios recte Lucretius alicubi.

*Ne forte ex homine & veterino ſemine equorum*
*Confieri credas Centauros poſſe.*

Vide Galenum Lib. III. De Uſu Partium, *pag.* 392. *Edit. Græc. Baſil. apud A. Cratandrum.* Sed Gallienus ad exemplum aliorum Imperatorum, Centaurum quoque in nummis expreſſit, cum inſcriptione Apollinis ; utpote in cujus, & Dianæ tutelâ vulgo Sagittarius, qui & Centaurus, fuiſſe dicitur, ut jam viris doctis notatum. In alio

Num. *Gallieni*, cum ſimili Inſcr. APOLLINI. CONS. VII. AV. Cernitur *Gryphus*, Fabuloſum itidem monſtrum, corpore leonino,

leonino, alato, roſtro adunco. Plinius lib. X. cap. XLIX. *Pegaſos* inquit, *equino capite volucres, & Gryphos auritâ aduncitate roſtri: fabuloſos reor, illos in Scythia, hos in Æthiopia.* In Nummo heic ſculptus, utpote Apollini ſacer. Servius ad illud Virgilii, Eclogâ. VIII.

*Iungentur jam Gryphes equis* ——

notat: *Gryphes genus ferarum, in Hyperboreis naſcitur montibus, omni parte leones ſunt, alis & facie aquilis ſimiles, equis vehementer infeſti, Apollini conſecrati.* Philoſtratus lib. III. de Vita Apollonii, cap. XIV. de grypho loquens: Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ινδοῖς, καὶ ἱερὰς νομίζεσθαι ἡλίου. τέθριππα τε αὐτῶν ὑποζευγνύναι τοῖς ἁρμάσι τὰς τοῦ ἡλίου ἐν Ινδοῖς γραφούσας *Has enim aves ajunt eſſe in India, ac Soli eſſe ſacras: ac quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.* Unde & Claudianus in VI. Honorii Conſulat.

*At ſi Phœbus adeſt, & frenis grypha jugalem*
*Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe.*

Sic in alio

VIII. Num. *Gallieni*, cum Inſcr. SOLI. CONS. AVG. Videre eſt *Pegaſum*, ſive *equum alatum*; quemadmodum nonnunquam Solis equi fingi ſolent. Ovidius lib. III. Faſtor.

*Sextus ubi è terra clivoſum adſcendet Olympum*
*Phœbus, & alatis æthera carpet equis.*

IX. Num. *Treboniani Galli*, cum Inſcr. APOLLini SALVTARI. Heic iterum cernitur *Apollo* nudus, ſtans, dextra, ramum, in ſiniſtra verò Lyram, vel Citharam tenens, monti, Parnaſſo forte, innixam. *Apollini Salutari* dicatus eſt nummus, ut qui Salutem hominibus adferre ſoleat, ſive valetudinem conſervet, ſive collapſam

ſam denuo medicaminibus, aut herbarum viribus reſtituat. Unde ipſe apud Ovidium I. Metamorph.

*Inventum Medicina meum eſt, opifexque per orbem*
*Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.*

Num. *Neronis*, cum Inſcr. Græca ΣΩΤΗΡ. ΑΠΟΛΛΩΝ. X.
*Conſervator Apollo.* Caput *Apollinis* juvenile, Laureatum, cum denſa coma intonſa præter cirros quoſdam ad cervicem dependentes, à tergo adeſt pharetra cum ſagittis; ante vero *ſtella* radiata, quæ *Solem* repræſentat. Plane heic conſpicitur Apollo, ut in ejus Hymno canit Callimachus, ἀεὶ καλὸς, ἐ ἀεὶ νέος, *ſemper pulcher, & ſemper juvenis.* &, ut Homero dicitur ἀκερσεκόμης, hoc eſt, ut Horatius lib. I. Od. XXI. ait, *intonſus*, ſive, ut eſt in Priapeiis, *comatus.* Quia Soli radii ſunt pro comis, ſemperque iis cingatur, Denique, ut Callimachus porro ſubjungit:

—— οὔποτε Φοίβου
θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς.
—— *Neque Phæbi*
*Teneras ulla lanugo inveſtit malas.*

Num. *Commodi*, cum Inſcript. APOL. MONET. P.M. XI.
TR. P. XVI. IMP. VIII. COS. VII. *Apollinis Monetalis*, cujus Inſcriptio mentionem facit, nuſquam, quod ſciam, apud Auctores aut vola, aut veſtigium exſtat. Cæterum cernitur heic Apollo nudus ſtans, ſiniſtro brachio columnæ innixus, dextra vero ad caput admota; eodem fere modo ut Apollinis Lycii ſimulachrum à Luciano deſcribitur in Anacharſi, ſive De Gymnaſiis; ubi Solonem ad Anacharſis interrogata ita reſpondentem introducit: Ὁ μὲν χῶρος αὐτὸς ὦ Ανάχαρσι, γυμνάσιον ὑφ' ὑμῶν ὀνομάζεται, καὶ ἔστιν ἱερὸν Απόλλωνος τοῦ Λυκίου. καὶ τὸ ἄγαλμα

ὃν αὐτῷ ὁρᾷς, τὸν ἐπὶ τῇ στήλῃ κεκλιμένον, τῇ ἀριστερᾷ μὲν, τὸ τόξον ἔχοντα. ἡ δεξιὰ δ', ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἀνακεκλασμένη, ὥσπερ ἐκ καμάτου μακρᾶς ἀναπαυόμενον δείκνυσι τὸν θεόν. *Locus ille, Anacharsi, à nobis vocatur Gymnasium, & est Lycii Apollinis templum: Cujus vides simulachrum, eum qui est super columna reclinatus, qui quidem manu sinistra arcum tenet: cujus vero dextra super caput reflexa, Deum tanquam à longo labore quiescententem ostendit.*

XII. Num. *Augusti*, cum Inscr. IMP. XII. ACT. Plerisque Nummus *Apollinem Actium* in longa & pellucida veste, cum Lyra in sinistra, & plectro in dextra manu, præferre videtur, cum & *Nero* citharam pulsans, tali habitu in Nummis cernatur, ut videre est Tab. seq. N. I. & Propertius lib. II. Eleg. XXXI. dicat:

*Pythius in longa carmine veste sonat.*

Alioquin L. Nonnius putat, hunc habitum potius alicui ex Musis, quam Apollini convenire, utpote cui Actiacæ pugnæ tempore, alia omnino adscribantur, quam Citharam aut Lyram pulsasse; quemadmodum à Virgilio introducitur:

*Actius hæc cernens, arcum tendebat Apollo,*
*Desuper omnis eo terrore Ægyptus, & inde*
*Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.*

Nec non à Propertio lib. IV. Eleg. VI.

*Non ille attulerat crines in colla solutos,*
*Aut testudineæ carmen inerme lyræ,*
*Sed quali adspexit Pelopæum Agamemnona vultu,*
*Egessitque avidis Dorica castra rogis:*
*Aut qualis flexos solvit Pythona per orbes*
*Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.*

*Mox*

*Mox ait, ô longa mundi ſervator ab Alba,*
*Auguſte, Hectoreis cognite major avis.*
*Vince mari; jam terra tua eſt; tibi militat arcus,*
*Et favet ex humeris hoc onus omne meis*

Et paullo poſt:

*Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod ejus*
*Una decem vicit miſſa ſagitta rates.*

Verum regeri poſſet, hunc habitum extra ordinem quidem *Apollini* tum temporis, ut *Auguſto* gratularentur tribui; at poſtea ipſum ad ſolitos mores reverſum, & Auguſti laudes ad Lyram, vel Citharam ceciniſſe; præſertim cum Propertius mox ſubjungat:

*Bella ſatis cecini; citharam jam poſcit Apollo*
*Victor, & ad placidos exuit arma choros*

Idque nullam porro dubitationem admittit, cum etiam in longa veſte, cum Cithara in manu, conſpiciatur in Nummo *Antonini Pii*, cum Inſcriptione, APOLLINI, AVGVSTO. Tab. ſeq. N. II. Cæterum *Apollini Actio*, ſive *Actiaco*, ita dicto, quod apud Actium cultus, quia ejus beneficio credebatur Victoriam adeptus, ideo Auguſtus poſt devictum prælio navali Antonium, apud Actium promontorium, fanum erexit, ut ſcribit Dio Caſſius. lib. LI. Καὶ ἐπ' αὐτῇ τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀκτίῳ τριήρη καὶ τετρήρη, τά τε ἄλλα τὰ ἐξῆς, μέχρι δεκήρους, ἐκ τῶν αἰχμαλώτων νεῶν ἀνέθηκε· καὶ ναὸν μείζω ᾠκοδόμησεν. *Eadem die Cæſar Apollini, qui apud Actium colitur, triremem, quadriremem, ac alia navium genera uſque ad deciremem ex captis navibus conſecravit; templumque majus exſtruxit.* Poſtea Romam reverſus, aliud adhuc templum Apollini in Palatio exſtruxit, qui inde *Palatinus* cognominatus. Suetonius in Auguſto, cap. XXIX. *Extruxit forum cum æde* Martis *Ultoris, templum Apollinis in Palatio, ædem Tonantis Iovis in Capitolino.*

*lino.* Et paullo post: *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari à Deo haruspices pronuntiarunt. Addidit porticus, cum bibliotheca Latina, Græcaque.* Et cap. LII. *Argenteas statuas sibi positas conflavit omnes; exque iis aureas cortinas Apollini Palatino dedicavit.* Describit hoc templum elegantissime Propertius lib. II. Eleg. XXIII.

# TABVLA XXXVIII.

I. Num. *Neronis*, cum Inscr. PONTIF. MAX. TR. POT. IMP. P. P. S. C. *Nero* sub forma Apollinis Citharædi, in longa veste cum Cithara in manibus, in theatro canens. Suetonius in ejus Vita cap. XXI. *Tragœdias quoque cantavit personatus; heroum Deorumque, item heroidum ac Dearum personis effictis ad similitudinem oris sui, & fœminæ, prout quamque dilexit*, & cap. XXV. *Sacras coronas in cubili circum lectos posuit, item statuas suas Citharœdico habitu, qua nota etiam nummum percussit.* Dio Cassius lib. LXI. Παρῆλθέ τε ἐς αὐτὸς ὁ Νέρων ἐς τὸ θέατρον, ὀνομασὶ καὶ ὑπὸ Γαλλίωνος ἐσκηρυχθείς· ἐς ἔστη τε ἐπὶ τῆς σκηνῆς ὁ Καῖσαρ τὴν κιθαρῳδικὴν σκευὴν ἐνδεδυκώς. *Ipse quoque Nero in theatrum prodiit, Gallionis voce nominatim citatus, stetitque in scena habitu citharœdi.* Et paullò pòst: Καὶ ἦν ἀκοῦσαι πως αὐτῶν λεγόντων, Ὁ Καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύθιος· μά σε Καῖσαρ, οὐδεὶς σε νικᾷ. *Tum licebat audire, qui ita dicerent: Quam pulcher Cæsar, Apollo, Augustus, unus veluti Pythius. nemo te, per ipsum te Cæsarem, vincit Cæsar.* Faciunt huc ista Themistii ex Orat. V. ubi Apollinem ita loquenten introducit: Οὐδὲ γὰρ ὕστερον καὶ Νέρωνος τοῦ Ῥωμαίου, εἰς τὸν αὐτὸν τοῦτον νεὼν ἡνίκα ἀφίκετο, ἐδίσασα εἰ θεὸς ἀφίκετο· ἀλλ' οὖν ἤδειν ὅτι θεῖον ἐν μορφῇ ἀνθρώπου. καίτοι ἀφίκετο κιθάραν μὲν χεῖρας ἔχων, καὶ ἐν στολῇ κιθαρῳδικῇ, καὶ

TAB. XXXVIII.

1

2

3

4

5




6

7

8

9

10



11

12

ἢν ἐμοὶ φίλην ὑπολαμβάνουσιν οἱ ποιηταὶ καὶ οἱ ζωγράφοι. *Neque enim multis postea sæculis de Nerone Romanorum Imperatore dubitavi, cum ad hocce templum venit, num ad me Deus aliquis venisset: scio enim sub hominis figura latere belluam. Quanquam ille quidem eo habitu venit, ut & Citharam manibus teneret, & Citharœdorum stolam gestaret, quam mihi gratam esse Poëtarum ac Pictorum opinio est.*

Num. *Antonii Pii*, cum Inscr. APOLLINI AVGVSTO. II.
*Apollo* citharœdico habitu, in longa veste cum Cithara in sinistra manu; dextra vero pateram tenens. Arnobius lib. VI. Cernitur *cum plectro & fidibus Delius citharista, gestus servans cantaturi & nænias histrionis.* Jul. Capitolinus de Antonino Pio: *Amavit histrionum artes.* Pateram dextra porrecta tenet, uti olim in templis Deorum simulachra ita collocari moris erat; unde jocus iste Dionysii Siciliæ tyranni, de quo Cicero lib. III. De Nat. Deor. *Idem Victoriolas aureas, &* PATERAS, *coronasque, quæ simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat, eaque se accipere dicebat: esse enim stultitiam, à quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus & dantibus nolle acccipere.*

Num. *Licinii Valeriani*, cum Inscr. APOLINI PROPVG. III.
Heic longe alio habitu ac in præcedentibus Nummis, cernitur *Apollo*, nudus nempe, cum pallio tamen à tergo dependente & Sagittarius arcum intendens; quo modo, ut & quando disco ludit, semper nudus effingi solet. Philostratus in Epistola quadam ad *Delicias suas*: Ὁρῶ δὲ ἐγὼ καὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν ταῖς γραφαῖς, δορὰν θηρίου περιβεβλημένον, καὶ τὰ πολλὰ χαμαὶ καθεύδοντα. τὸν δὲ Ἀπόλλωνα, καὶ ψιλῷ ζώματι, ἢ δισκεύοντα, ἢ τρέχοντα, ἢ τοζεύοντα. *Video ego etiam Herculem in picturis pelle leonis indutum, & plerumque somnum humi capere. Apollinem vero etiam nudo corpore vel disco ludentem, vel currentem, vel jaculantem.* Plane autem eo statu heic repræsentatur atque Virgilius, & Propertius *Apollinem Actium* de-

ſcribunt verbis præcedenti Tabula adductis. Sive heic tanquam *Propugnator* Imperatoris deſignetur ſivè etiam ad Vindictam reſpiciatur, quam matris Latonæ precibus inductus, in Niobem, ejuſque liberos exercuit, quos ſagittis confixit. Arnobius lib. I. adverſ. Gent. *Arquitenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atque in inſulis errantes vix tuti.* Nota heic APOLINI ſimplici L ſcribi.

IV. Num. *Heliogabali*, cum Inſc. SACERDos DEI SOLIS ELAGABali. Imp. *Heliogabalus* Sacerdotali habitu, & velatus, ſacrificans ante aram accenſam, dextera pateram, qua libat, ſiniſtra ramum, ſive ferulam tenens; adeſt & ſtella radiata *Elagabalum* Deum, ſive *Solem* repræſentans. Dubitanter quidem loquitur Æl. Lampridius in ejus Vita: *Fuit autem Heliogabali, vel Iovis, vel Solis Sacerdos.* Et poſtea: *Opera publica ipſius, præter ædem Heliogabali Dei, quem Solem alii, alii Iovem dicunt.* Sed alii diſertim affirmant. Herodianus lib. V. de eo, & Alexandro ejus conſobrino: Ἱέρωντο ὦ αὐτὸι θεῷ Ἡλίῳ. τὸν γὰρ θεὸν σέβεσι, τῇ φοινίκων φωνῇ Ἐλαιαγάβαλον καλοῦντες. *Sacerdotes ambo Solis, quem maxime indigenæ colunt, Phœnicum lingua Helæagabalum vocitantes* Jul. Capitolinus in Macrino: *Heliogabalum Phoenicen, vocare Solent.* Aurelius Victor Schotti: *Patre mortuo in Solis Sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tanquam in aſylum, inſidiarum metu confugerat.* Item Victor alter: *Fuerat Solis ſacerdos, quem Phoenices, unde erat Heliogabalum nominant.* Ita quidem Latini, & Græci Scriptores plerique *Dei* iſtius vulgo nomen proferunt, *Heliogabalum* vocantes. Herodianus Ἐλαιογάβαλον; Xiphilinus Ἐλιογάβαλον; Inſcriptiones Veteres: *Alagabalum.* Regia Excerpta ex Dione, & ex eodem Zonaras apud Photium Ἐλαγάβαλον; quod poſtremum convenit cum Nummis, qui ubique *Elagabalum* oſtendunt. Idque omnino verum Dei hujus Phœnicii nomen eſt. Hinc ſunt, qui ita apud Auctores ubique reſcribendum putent; cum quibus tamen non facit I. Ca-

I. Casaubonus in Notis ad Lampridii *Heliogabalum*, qui existimat Græcos & Latinos nomen peregrinum ad linguam suam flexisse, & *Heliogabalum* plerosque scripsisse, cum MSS. constanter sic referant. cui quoque adstipulatur G. Vossius lib. II. De Orig. & Progr. Idolol. cap. V. Quicquid sit, nullum est dubium, quin *Alagabalus*, aut potius *Elagabalus*, ut Nummi scribunt, ad rei veritatem quam proxime accedat. Et posterior scriptura etiam maxime placet Doctissimo Bocharto Geograph. Sac. Part. II. Lib. II. cap. V. Cui *Elagabalus* nihil aliud esse videtur, quam אלה גבל *elagabal*, ὁ θεὸς ὁ πλαστὴς, vel ὁ κτιστής, Hebraice אלה יוצר *Deus ille, qui omnia finxit, & condidit* Phoenicum nempe Philosophos Solem pro omnium visibilium conditore habuisse; Sic, ut *Elagabalus* idem sit, ac ὁ ἥλιος δημιουργός, *Sol opifex*, sive *conditor universi*, prout ex Ægyptiorum Sententia dicitur Porphyrio apud Eusebium Præparat. Euangel. lib. III. cap. IV. Quæ & Fulleri Sententia est Miscel. Sacr. lib. I. cap. XIV. Alii אלה גבל *Alah gebel* ex lingua Arabica, interpretantur *Deum montis*, sive *Deum montem*, & volunt Emissenos, quibus peculiare hoc numen, Solem coluisse montis effigie; quem montem cælo delapsum credebant. qua de re mox plura ad Nummum sequentem. Habebat autem Elagabalus templum in Emissa urbe, ubi ejus Sacerdos fuit Heliogabalus, cum primum â militibus *Imperator Salutatus*. Inde vero Romam Deum suum transtulit, templumque ei exstruxit, atque omnibus Diis præferri voluit, Æl. Lampridius: *Vbi primum ingressus est Vrbem, omissis iis, quæ in provincia gerebantur, Heliogabalum in Palatino monte juxta ædes imperatorias consecravit, eique templum fecit, studens & Matris typum, & Vestæ, ignem, & Palladium, & ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre templum, & id agens, ne quis Romæ Deus, nisi Heliogabalus coleretur. Dicebat præterea, Iudæorum, & Samaritanorum religiones,*

*nes, & Christianam devotionem illuc transferendum, ut omnium culturarum secretum Heliogabali sacerdotium teneret.* Et paullo post: *Nec Romanas tantum exstinguere voluit religiones, sed per orbem terræ unum studens, ut Heliogabalus Deus unus ubique coleretur.* Quomodo Vero Heliogabalus, hujus sui Dei Sacra quotidie obire soleret, eleganter præ aliis describit Herodianus Hist. lib. V. Νεών τε μέγιστον & κάλλιστον καθιδρύσας τῷ θεῷ, βωμούς τε πλείστους περὶ τον ἵδρυσας, ἑκάστοτε προϊὼν ἔθυεν, ἑκατόμβας τε ταύρων & προβάτων πολὺ πλῆθος καὶ ἔσφαττε· τοῖς τε βωμοῖς ἐπετίθει, παντοδαποῖς ἀρώμασι σωρούς. οἶνός τε πολὺς παλαιοτάτου & καλλίστου πολλὰς ἀμφορέας τῶν βωμῶν προχέων, ὡς ῥεῖθρα φέρεσθαι, οἶνός τε & αἵματος μεμιγμένος. &c. *Templum item maximum pulcherrimumque Deo erexit, plurimasque circa templum construxit aras, ad quas quotidie mane taurorum hecatombas, & ovium magnam multitudinem immolabat Coacervatisque supra aras omne genus odoribus, etiam veterrimi cujusque optimique vini plurimas amphoras ante aras profundebat, sic uti rivi passim vini sanguinisque promiscue defluerent,* & quæ sequuntur porro; nimis enim prolixa sunt, quam ut transscribi possint.

V. Num. *Ejusdem* cum Inscr. CONSERVATOR AVG. Quadriga ante currum, in quo *Deus Elagabalus*, quem *Conservatorem Augusti* appellat, in *Montis* effigiem exsurgens quidem cernitur, sed ita tamen, ne ipsemet conspici possit; involutus quippe, vel tectus vestimento quodam, in quo *Aquila* vel picta, vel intexta, ad arcendum promiscuum profanæ multitudinis adspectum. Diximus modo Solem apud Emissenos, montis effigie cultum, qui *Alagabalu*, vel *Elagabalu*, inde dictus, quasi *Deus mons.* Sane hujus Elagabali simulachrum Herodianus describit, ut saxum ingens, rude, & impolitum, quodque in modum montis, vel rupis adsurgeret, sive, ut ipse loquitur, *coni* figuram referret.

Verba

Verba ejus lib. V. Ἄγαλμα μὲν οὖν, ὥσπερ παρ' Ἕλλησιν ἢ Ῥωμαίοις, οὐδὲν ἔστηκε χειροποίητον, θεοῦ φέρον εἰκόνα· λίθος δέ τις ἐστὶ μέγιστος, κάτωθεν στρογγύλος, λήγων εἰς ὀξύτητα. κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά. διοπετῆ αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν, ὄξυχάς τε τινὰς βραχείας ἐκ τύπου δεικνύουσιν· εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, ὅτῳ βλέπουσιν. *Simulachrum vero nullum Græco aut Romano more manu factum ad ejus dei similitudinem: sed lapis est maximus, ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cælitus decidisse. Eminere in lapide quædam formæque nonnullæ visuntur, ac Solis imaginem illam esse affirmant minime humano artificio fabrefactum, ita cernentes.* Ex quibus Herodiani verbis utique manifestum, Solem *Elagabalum* ita nuncupatum, quasi *Deum montem*, siue *Deum in montis figuram effigiatum*; & optimè summus Salmasius in Notis ad Hist. Aug. Scriptores, quem hic sequimur, ait, non aliud quærendum etymon vocis *Elagabali*, vel *Alagabali*.

Num. *Ejusdem*, cum Inscript. P.M. TR. P.IIII. COS. VI. III. P. P. *Elagabalus Deus*, cum corona radiata in capite, sinistra Orbem ac flagellum tenens, dum dexteram elevatam habeat. ad est & stellula radiata, que cum coronâ indicat *Solem* sub hoc nomine coli. Elagabalus heic hominis speciem præfert; non quod simulachrum ejus revera talis formæ fuerit, id enim in montis figuram effigiatum fuisse modo audivimus; sed quod sub hujusmodi forma pingi solebat. Eodem modo uti Cybele, Mater Deum, fæminæ instar cum corona turrita fingebatur, cum in penetralibus tamen sub specie nigri Lapidis coleretur; Sic etiam Vesta in nummis sæpius muliebis specie cernitur, quamvis in templo ejus sub Ignis Imagine coleretur, nec ullum aliud simulacrum ibi adesset. Ita heic etiam Heliogabalus Deum suum, sub hominis forma, cum corona radiata & flagro repræsentat, quemadmodum Solis ima-

go fingi consueverat, ut notum facit Prudentius lib. I. Contra Symmach. vers. 344. &c.

*Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas*
*Commenti, & capitis radios, & verbera dextræ,*
*Et frænos, phaleraque, & equorum pectora anhela.*

Et Orpheus in Hymno Solis:

Ὄμμα δικαιοσύνης, ζωῆς φῶς, ὦ ἐλάσιππε
Μάσιγι σὺ λιγυρῇ τετράορον ἅρμα διώκων.

Quæ Illustris Ios. Scaliger aliquando versibus antiquis Latine ita reddidit:

*Iuris Coturnio, Vitæ Lux, Trossule equiei*
*Quadrijuga arguto instigant soraca flagello.*

VII. Num. *Gordiani junioris*, cum Inscript. ORIENS. AVG. S C. *Gordianum Iuniorem* exhibet sub specie Iuvenis nudi, capite radiato, cum Orbe in manu sinistra, & lacinia tenuissimæ vestis super brachio, dextram vero sublevantis, instar Solis ORIENTIS AVG*usti*. Tali enim Schemate Sol repræsentari solebat. Hinc Martianus Capella lib. II. de Nupt. Philolog. ad Solem:

*Solem te Latium vocitat, quod solus honore*
*Post patrem sis lucis apex, radiisque sacratum*
*Bis senis perhibent caput aurea lamina ferre,*
*Quod totidem menses, totidem quod conficis horas.*

Ubi & rationem reddit, quare radii bis seni, sive duodecim ipsi affingantur, nempe quod Sol, cujus isti radii speciem referunt, singulis diebus totidem horis supra horizontem moretur, eumque illustret singulisque annis cursu suo duodecim menses emetiatur. Sive ut ait Seneca Tragicus in Oedip. *Bis*

*Bis ſena ſigna curſu vario regit.*

Unde & Virgilius lib. XII. Æneid, Solis ad exemplum de Rege Latino ait:

*cui tempora circum*
*Aurati bis Sex radii fulgentia cingunt*
*Solis avi ſpecimen.*

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. DIVI. NER. NEP. P. M. TR. P. COS. ORIENS. Caput Iuvenile comatum & corona radiata cinctum *Orientem Solem* Hadriani deſignat, cum primum ad Imperium pervenit. Martianus, Capella lib. I. de Nupt. Philol. *Solis auguſtum caput radiis perfuſum, circum actumque flammantibus, velut auratam cæſariem rutili verticis imitatur.* VIII.

Num. *Aureliani*, cum Inſcr. ORIENS. AVG. Ad exemplum Gordiani Iunioris, *Aurelianus*, quoque Solem ORIENTEM AVGuſti in Nummis repræſentavit, Iuvenem nempe nudum, capite radiato, ſiniſtra Orbem tenentem, dextramque ſublevantem; niſi quod heic præterea duo captivi Regina ſcilicet Zenobia & Zaba Dux ejus, manibus poſt terga revinctis, humi adſideant, quorum alterum dextro pede calcat. Rem totam illuſtrant hæc Fl. Vopiſci verba in Aureliano: *Pugnatum eſt poſt hæc de ſumma rerum contra Zenobiam & Zabam ejus ſocium apud Emeſſam magno certamine. cumque Aureliani equites fatigati jam pæne diſcederent ac terga darent, ſubito vi numminis, quod poſtea proditum, hortante quadam divina forma, per pedites, etiam equites reſtituti ſunt. Fugata eſt Zenobia cum Zaba, & pleniſſime parta victoria. Recepto igitur* ORIENTIS *ſtatu, Emeſſam victor Aurelianus ingreſſus eſt, ac ſtatim ad templum Heliogobali tetendit, quaſi communi officio vota ſoluturus. Verum illic eam formam Numinis reperit, quam in bello ſibi faventem vidit quare & illic templa fundavit, donariis ingenti-* IX.

*bus positis, & Romæ* SOLI *templum posuit, majori honorificentia dicatum.* Præterea *Solem* speciatim Aurelianus veneratus est, forsan etiam ipsemet pro *Solis* filio haberi voluit, eo quod mater ejus olim *Solis* fuerat sacerdos. Vopiscus in ejus Vita inter omina Imperii futuri quoque recenset, quod data ei fuerit, *cum Legatus ad Persas isset, patera, qualis solet Imperatoribus dari à rege Persarum, in qua insculptus erat* SOL, *eo habitu, quo colebatur in eo templo, in quo mater ejus fuerat Sacerdos.*

X. *.

XI. Num. *Fulvii Quieti*, Tyranni cum Inscr. SOLI. INVICTO, Denuo heic *Sol* radiatacapite, juvenili forma cum globo in sinistra, cui ad pedes captivus manibus post terga religatis adsidet. INVICTI epithetum, quod heic Soli attribuitur, sæpe etiam reperitur ei adscriptum in antiquis Inscriptionibus in Corpore Gruteriano. Faciunt huc quoque illa Iuliani Imperatoris ex Oratione IV. Πρὸ τῆς νεομηνίας εὐθέως κατὰ τὸν τελευταῖον τοῦ Κρόνου μῆνα ἡλίῳ τὸν περιφανέστατον ἀγῶνα τὴν ἑορτὴν Ἡ'ΛΙ'ΩΙ καταφημίζαντες 'ΑΝΙΚΗ'ΤΩ. *Exacto ultimo mense, qui Saturno dicatus est, ante initium anni magnificentissimos Ludos in honorem Solis committimus, quos* INVICTO SOLI *nuncupamus.*

XII. Num. *Gal. Maximini Dazæ*, cum Inscr. SOLI. COMITI. *Sol* cum radiata corona in capite, & flagello auri gantis instar in manu sinistra, dextram protendens conspicitur medio corpore curru quiescente, cui quadrigæ junctæ, In alio ejusdem Nummo, idem cernitur *rapidas agitare quadrigas*, ut Prudentius loquitur in verbis paullo ante adductis. Vide Num. I. Tab. seq.

# TABVLA XXXIX.

I. Num. *Maximini Daza*, cum Inscr. SOLI. INVICTO. COMITI. *Sol* radiatus plane nndus, stans in curru quasi Circensi,

TAB. XXXIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

censi, siniſtra habenas quadrigarum velociſſime currentium tenens, dum dextra eas inſtigat. Faciunt huc iſta Corippi. De Laudib. Iuſtini, ubi de ludis Circenſibus Soli conſecratis, ita loquitur:

*Solis honore novi grati ſpectacula Circi,*
*Antiqui ſanxere Patres, qui quatuor eſſe*
*Solis equos quadam rerum ratione putabant,*
*Tempora continui ſignantes quatuor anni:*

De Solis curru, & equis Accius.

*Sol, qui micantem candido curru atque equis*
*Flammam citatis, fervido ardore explicas.*

Manilius Aſtror. lib. V.

*Quadrijugis it Phœbus equis, & Delia bigis.*

Nomina exprimit Ovidius lib. II. Metamorph.

*Intera volucres Pyroëis, Eous, & Æthon,*
*Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras*
*Flammiferas implent.*

Adde Hyginum Fab. CLXXXIII. Fulgentium Mytholog. lib. I. in *Apolline*, Calpurnium Baſſum Commentar. in Aratæa Germanici Cæſaris.

Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. SOLI. INVICTO. II. COMITI. S. F. Heic à Conſtantino Magno cum eodem elogio atque à Maximino Daza, tanquam INVICTVS COMES, repræſentatur *Sol* radiatus, ſolita forma, nudus nempe, præterquam quod veſtis tenuiſſimæ lacinia à ſiniſtro humero ſuper brachium dependeat, Globum ſive Sphæram ſiniſtra tenens, & dex-

tram protendens, eodem fere modo, uti in Nummis Gordiani Iunioris & Fulvii Quieti, Tyranni ex XXX. visus

III. Num. *Antonini Pii*, cum Inscr. TR. POT. COS. III. *Ilia*, seu *Rhea Sylvia* seminuda dormiens, & *Mars* nudus, sinistra clypeum, dextra hastam ferens, ad eam accedens, sive, ut ait Poëta:

*Et nuda effigies clypeo venientis & hasta*
*Pendentisque Dei.* ——

Fabulam porro hoc Nummo expressam eligantissime describit Ovidius lib. III. Fastorum, cujus verba commentarii vice apponam:

*Sylvia Vestalis (quid enim vetat inde moveri?)*
*Sacra lavaturas manè petebat aquas.*
*Ventum erat ad mollem declivo tramite ripam,*
*Ponitur è summâ fictilis urna comâ:*
*Fessa resedit humo, ventosque accepit aperto*
*Pectore, turbatas restituitque comas.*
*Dum sedet, umbrosæ salices volucresque canoræ*
*Fecerunt somnos, & leve murmur aquæ.*
*Blanda quies furtim victis obrepsit ocellis,*
*Et cadit à mento languida facta manus.*
*Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupitâ:*
*Et sua divinâ furta fesellit ope.*
*Somnus abit: jacet ipsa gravis, jam scilicet intra*
*Viscera Romanæ conditor gentis erat.*

IV. Num. *Probi* Imp. cum Inscr. MARS. VICTOR. *Mars Victor*, Gradivus & nudus, dextra hastam, sinistra trophæum super humeros ferens. Præterquam in Nummis Vitellii & Domitiani,

tiani, quorum Ectypa mox ſequuntur, *Martis Victoris* aliquoties mentio in Inſcriptionibus apud Gruterum. Sic pag. LVIII. inſcr. 7.

IN HO.
D. D.
MARTI. VICTORI.
L. L. L. L. I. E.
V. S. L. M.

In Fragmento quoque Ancyræ in ſuburbiis ab Ant. Busbequio primum reperto, quod Breviarium Imperii Auguſtæi, de quo Suetonius in Auguſto. *cap. ult.* continet, mentio quoque fit TEMPLI MARTIS VICTORIS, quanquam ibi legendum putet VLTORIS Lipſius, qui primus id Notis illuſtravit: uti primus iſtud publicaverat And. Schottus in Notis ad Epitomen Victoris. Exſtat quoque in Corpore Gruteriano pag. CCXXX. & ſeqq.

V. Num. *M. Lepidi Triumviri*, cum Inſcr. L. MVSSIDIVS. T. F. LONGVS. IIII VIR A. D. T. *Mars* nudus, galeatus, dextra haſtam puram, ſiniſtra flagellum tenens, & pede ſiniſtro clypeum calcans. Albricus De Imaginibus Deorum, De Marte, præter alia arma, inquit, & *galeam habebat in capite*, & *flagellum in manu portans*. L. *Muſſidius Longus* fuit *Quatuor vir Auro* ſive *Argento publicè feriundo*. Simili ſchemate *Mars* expreſſus ab eodem Muſſidio Longo in Nummo *Cæſaris Auguſti* III *viri* apud F. Urſinum in gente *Muſſidia*.

VI. Num. *Auguſti*, cum Inſc. VOT· P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. I. O. M. SACRVM. *Mars* galeatus, nudus ſtans, dextra haſtam, cui vexillum navale adnexum, ſiniſtra parazonium & Veſtis laciniam tenens. Nummus percuſſus in honorem Auguſti poſt Victoriam Actiacam, in quo Martis ſtatua vultu Auguſti, vexillum navale, quod cæruleum erat; manu tenens, quam S. P. Q. R. Iovi Capitolino vovit, expreſſa, cum hoc titulo:

VOTVM.

VOTVM. PVBLICVM, ſive uti alii legunt, PERPETVVM. PRO. SALVTE. ET. REDITV. IOVI. OPT. MAX. SACRVM. In altera hujus Nummi parte circa Caput Auguſti legitur: S.P.Q.R. IMP. CAESARI. Edixerat enim Senatus, ut ſingulis annis IV. Non. Septembris, quo die univerſus Orbis Romanus debellato ad Actium Antonio, ad Auguſtum pervenerat, in perpetuum ob id Iovi Opt. Max. ſacrificium publicum fieret.

VII. Num. *Vitellii*, cum Inſcript. MARS VICTOR. SC. Cernitur heic *Mars Victor* loricâ armatus, dextra Victoriolam, ſiniſtra ſignum militare ferens, cum parazonio lateri applicato. Albricus De Imaginibus Deorum. De Marte: *Armatus lorica & cæteris armis offenſivis & defenſivis, qui & galeam habebat in capite, & flagellum in manu portans, accinctuſque mucrone.*

Sic in

VIII. Num. *Domitiani* cum ſimili Inſcript. MARS VICTOR S C. *Mars* eodem modo armatus cernitur cum Victoriola in dextra porrecta, & trophæo in ſiniſtra manu. Victoriola, quam Mars in hoc, & præcedenti Nummo dextra porrecta ſuſtinet, ex earum genere eſt, quas Dionyſius Siciliæ tyrannus ſimulacris Deorum in templis collocatis auferre ſolebat, ut eſt apud Ciceronem lib. III. De Nat. Deorum, cujus verba ad Tabulæ præced. Num. II adduximus. De cognomine VICTORIS dictum ad Num. IV. hujus Tab.

IX. Num. *Titi*, cum Inſcript. ÆTERNT. S.C. *Mars* itidem armatus, cum haſta pura in dextra, & trophæo in manu ſiniſtra. Hoc ſtatu, Mars quando ita feſtinanter procedit, ut heic in aliquot Nummis repræſentatur, *Gradivus* appellari ſolet Feſtus: *Gradivus Mars appellatus eſt à gradiendo in bello ultro citroque.* Quam-

vis

TAB. XL.

1

2

3



4

5

6

7

8

9

10

11




12



vis, & aliam ejus nominis rationem addat: *ſive à vibratione haſtæ, quod Græci dicunt* κραδίνειν. *vel ut alii dicunt, quia gramine ſit ortus*; Quod de gramine addit, inde eſt, quod Martem ex neſcio quo flore mater conceperit; unde Ovidius lib. V. Faſtorum, Floram ita loquentem inter alia introducit:

*Mars etiam, ſi neſcis, per noſtras editus artes.*

Num. *Hoſtiliani*, cum Inſcript. MARTI PROPVGNATORI. *Mars* armatus ſiniſtra clypeum, dextra haſtam cum cuſpide ferens. Sic in quodam X.

Num. *Gordiani Iunioris*, cum Inſcr. MARTEM PROPVGNATOREM. SC. Eodem modo *Mars* cernitur armatus cum clypeo, & haſta. Notanda autem Inſcriptio hujus Nummi planè ſingularis, MARTEM PROPVGNATOREM, ubi nomen Dei in accuſativo caſu ponitur; quod rariſſimum, uti recte obſeruat Rubenius. XI.

Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcript. MART. PATRI PROPVG. *Mars* ſimiliter armatus cum haſta in dextera, & ſcuto in ſiniſtra manu. Uti Conſtantinus M. heic MART*i* PATRI PROPVG*natori*, ita in Fragmento Inſcriptionum Fratrum Arvalium apud Gruterum pag. CXXI. MARTI. PATRI VLTo*ri* AR. N. II. XII.

# TABVLA XL.

Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. MARTI CONSERVATORI. *Mars* galeatus, cum ſago, & paludamento, ut videtur, amictus ſiniſtrâ ſcutum terræ impoſitum, dextrâ verò haſtam cum cuſpide inverſâ, tenens. I.

II. Num. *Ejusdem Imp.* cum Inſcript. MARTI. PATRI. CONSERVATORI. *Mars* Galeatus propemodum nudus cernitur, niſi quod veſtimenti laciniam circa pectus & humeros circumvolutam habeat, ſiniſtra ſcutum rotundum magnum, terræ impoſitum ſuſtinens, dextra vero ſimiliter haſtæ cum cuſpide terræ infixâ innixus. *Conſervatori* cognomen Marti quoque tribuitur in veteri Inſcriptione, quæ exſtat in Corpore Gruteriano pag. LVII.. inſcr. 4

MARTI. AVG
CONSERVATORI
CORPORIS SVI
MERCVRIALIS. AVG
N. V. EX. IVSSV
NVMINIS-IPSIVS
SIGILLVM MARMOREVM
POSVIT.

III. *.

IV. Num. *Veſpaſiani* cum Inſcript. MARS VLTOR. S. C. *Mars* armatus dextra haſtam puram, ſiniſtra trophæum ferens. VLTORIS cognomen Veſpaſianus Marti attribuit, deſignans vindictam à Iudæis ſumptam, qui rebellione ſua populum Romanum offenderant.

V. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. MARS VLTOR. Caput galeatum MARTIS VLTORIS, cui Auguſtus templum in foro ſuo maximum & ſumptuoſiſſimum cum opere, tum artificio exſtruxit; quod ſculptum in ſeq.

VI. Num. *Auguſti* cum Inſcript. MARTIS VLTORIS.

Vides

Vides heic templum, in cujus meditullio ſtat MARS VLTOR, nudus, galeatus, ſiniſtra trophæum, dextra haſtam cum Aquila, ſignum Rom. Legionum ferens. Meminit hujus templi Suetonius in Auguſto. *Publica opera plurima exſtruxit: ex quibus, vel præcipua, Forum cum æde* MARTIS VLTORIS, *templum Apollinis in palatio* &c. Voverat iſtud bello Philippico, quod Iul. Cæſaris, à quo adoptatus, & hæres ſcriptus, necis ulciſcendæ cauſâ ſuſceperat. Suetonius paulò poſt: *Ædem Marti, bello Philippenſi pro ultione paterna voverat.* Ovidius lib. V. Faſtor. ubi eleganter templum iſtud deſcribit, uberius, & ſtilo poëtico hæc ita proſequitur:

*Voverat hoc juvenis tunc, cum pia ſuſtulit arma.*
*A tantis princeps incipiendus erat.*
*Ille manus tendens inſtanti milite juſto,*
*In conjuratos talia dicta dedit:*
*Si mihi bellandi pater eſt, Veſtæque ſacerdos*
*Auctor; & ulciſci nomen utrumque paro:*
*Mars ades: & ſatia ſcelerato ſanguine ferrum:*
*Stetque favor cauſſa pro meliore tuus.*
*Templa feres, & me Victore vocaberis* VLTOR.
*Voverat, & fuſo lætus ab hoſte redit.*

Sic in alio adhuc

Num. *Auguſti*, cum Inſcript. MAR*tis* VL T*oris*; Cernitur itidem Templum, ſed alia forma exſtructum, in cujus medio Aquila ſignum militare, & utrimque à latere alia duo ſigna conſpiciuntur. Exſtruxit enim Auguſtus bina templa *Marti Vltori*, alterum in foro ſuo, poſt Victoriam contra Brutum & Caſſium; alterum in Capitolio, poſt ſigna à Parthis recepta, quod ad inſtar VII.

ſtar Iovis Feretrii templum conſtructum fuit. Qua de re Dio Caſſius lib. LIII. poſtquam dixiſſet, Auguſtum ſigna militaria à Parthis remiſſa, eo animo accepiſſe, quaſi bello Parthum vicisſet; idque magnæ laudi ſibi duxiſſe, quod præliis prius amiſſas res, citra ullum certamen recepiſſet, ita ſcribit: Ἀμέλει καὶ θυσίας ἐπ' αὐτοῖς, καὶ νεὼν Α'ΡΕΟΣ ΤΙΜΩΡΟΥ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ κατ' τὸ τοῦ Διὸς τοῦ Φερετρίου ζήλωμα, ὡς καὶ τοῦτο τῶν σημείων ἀναθέσιν, τῶν ψηφισθέντων ἐμέλλυσε, καὶ ἐποίησε. *Itaque & ſacrificia ejus rei cauſa, & templum* MARTIS VLTORIS *in Capitolio ad imitationem Iovis Feretrii, qua ſigna iſta militaria ſuſpenderentur, decerni juſſit, ac deinde perfecit.*

Meminit ejus rei quoque Ovidius lib. V. Faſtor. ubi ait, *Martem* inde *Biſultorem* dictum:

*Nec ſatis eſt meruiſſe ſemel cognomina Martis:*
*Perſequitur Parthi ſigna retenta manu.*
*Gens fuit & campis, & equis, & tuta ſagittis,*
*Et circumfuſis invia fluminibus.*
*Addiderant animos Craſſorum funera genti,*
*Cum periit miles, ſignaque, duxque ſimul.*
*Signa, deum belli, Parthus Romana tenebat,*
*Romanæque aquilæ ſignifer hoſtis erat.*
*Iſque pudor manſiſſet adhuc, niſi fortibus armis*
*Cæſaris Auſoniæ protegerentur opes.*
*Ille notas veteres, & longi dedecus ævi*
*Suſtulit. agnorunt ſigna recepta ſuos.*
*Quid tibi nunc ſolitæ mitti poſt terga ſagittæ,*
*Quid loca, quid rapidi profuit uſus equi?*

*Parthe,*

*Parthe, refers aquilas: victor quoque porrigis arcus.*
*Pignora jam noſtra nulla pudoris habes.*
*Rite Deo templumque datum, nomenque* BISVLTOR:
*Emeritus voti debita ſolvit honor.*

Vtriuſque itaque templi ab Auguſto MARTI VLTORI dedicati, memoria quoque in Nummis ejus conſervata fuit, cum diverſa forma iſtud in aliis atque aliis nummis repræſentetur.

Num. *Gallieni*, cum Inſcript. MARTI. PACIFERO. VIII. *Mars* galeatus, & ſagatus, ſiniſtra haſtam cum ſcuto humi poſito tenens, dextra Ramum oleæ, aut palmæ, *Pacis* Symbolum præferens. Sic quoque in alio

Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcr. MARTI PACATORI. I X. *Mars* galeatus, & fluida veſte amictus, viciſſim cernitur ſiniſtra ſcutum rotundum humo poſitum, cum haſta tenens, & dextra ramum pacificum protendens. Cernitur vero heic, uti & in præcedenti Nummo, *Mars* ſtatione magis ſedata, compoſitus, ut PACIFERVM & PACATOREM decet, quam ubi vel VICTORIS, vel PROPVGNATORIS, aut VLTORIS cognomen fert. Ad *Martem Paciferum* pertinent iſta Ovidii lib. III. Faſtor. ubi de Matronalibus agens, ita infit:

*Cum ſis officiis, Gradive, virilibus aptus;*
*Dic mihi, matronæ cur tua feſta colunt?*
*Sic ego; ſic poſita dixit mihi caſide Mavors:*
*(Sed tamen in dextra miſsilis haſta fuit.)*
*Nunc primum ſtudiis* PACIS, *Deus utilis armis,*
*Advocor; & greſſus in nova caſtra fero.*
*Nec piget incepti, juvat hac quoque parte morari:*
*Hoc ſolam ne ſe poſſe Minerva putet.*

X. Num. *Hadriani.* cum Inſcript. ROMVLO CONDITORI. *Romulus* conditor Urbis, habitu Martis, galeatus & loricatus incedens, haſtam dextera, in ſiniſtra vero trophæum humero impoſitum ferens. Eodem modo, atque ille poſt regem Acronem obtruncatum & ſpoliatum, *ſpolia ducis hoſtium cæſi ſuſpenſa, fabricato ad id aptè ferculo gerens, in Capitolium adſcendit*, uti loquitur Livius lib. I. cap. X. Rem paullo exactius narrat Plutarchus in Romulo: Ὁ δὲ Ῥωμύλος ὡς ἂν μάλιστα τιμῶν δόξαι τῷ Διὶ τὰ τε ἄλλα κεχαρισμένος, καὶ τοῖς πολίταις ἰδεῖν ἅπασι παρέσχοι σεμνόν τε καὶ φοβερὸν ἅμα καὶ θεοπρεπῆ, δρυὸς ἔτεμε ὑπερμεγέθη, καὶ διεμόρφωσεν ὥστε τρόπαιον, καὶ τῶν ὅπλων ἕκαστον ἐν τάξει προσήρμοσε καὶ κατήρτισεν· αὐτὸς δὲ τὴν μὲν ἐσθῆτα περιεζώσατο, δάφνην δ' ἐνέψατο τῇ κεφαλῇ κομῶσαν. ὑπερλαβὼν δὲ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ προσερειδόμενον ὀρθὸν, ἐβάδιζεν. &c. *Romulus, ut votum Iovi redderet quam gratiſſimum & oculis civium ſpecioſiſſimum, quercum, quam in caſtris vidit miræ proceritatis, recîdit, & inſtar adornavit trophæi, Acronis armis apte ſuſpenſis ex ea, adaptatisque: veſte ipſe ſuccincta & capite fluente coma, laurea coronatus, trophæum dextro innixum humero directum gerens inceſſit.* Inceſſit vero *pedes* Romulus, uti heic quoque expreſſus; unde Plutarchus Dionyſiûm, qui eum curru uſum dicit, falli ſcribit; additque rationem: Τὸν δὲ Ῥωμύλον τὰς εἰκόνας ὁρᾶν ἔστιν ἐν Ῥώμῃ τὰς τροπαιοφόρους πεζὰς ἁπάσας *Romuli autem ſtatuas triumphales, quæ Romæ ſunt, videre eſt omnes pedeſtres.*

XI. Num. *Gentis Furiæ*, cum Inſcr. M. FOVR. L. F. Caput *Iani Bifrontis* comatum & barbatum, qui Marti tam bellico, quam pacifico heic ſubjectus videtur, quod & ipſe Ianus, tam Belli, quam Pacis Deus haberetur; Belli enim tempore templum ejus apertum, Pacis vero clauſum Romanis erat; unde & *Patulcius* & *Cluſius* dictus. Ovidius lib. I. Faſtor.

*Inde*

*Inde vocor Ianus, cui cum Cereale ſacerdos*
*Imponit libum, farraque miſta ſale.*
*Nomina ridebis, modo namque Patulcius idem,*
*Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.*
*Scilicet alterno voluit rudis illa vetuſtas*
*Nomine, diverſas ſignificare vices*

Macrobius lib. I. Saturnal. cap. IX. *Ianum Patulcium & Cluſivium invocamus, quia bello caulæ ejus patent, pace clauduntur.* Fuit primus omnium Deorum apud Romanos, ideoque peculiari cognomento quoque *Pater* dictus Ianus; & tum ita barbatus, ut heic, repræſentabatur; unde toties *Ianus Pater* apud Auctores occurrit; unius tantum verba adſcribam, quia jam hoc non agimus, Septimii nempe antiqui poëtæ verſiculos, quos ex eo adducit temporibus ejus proximus Terentianus Maurus, ob ſingularem eorum elegantiam, cum & cætera fere munia Iano adſcripta referant:

*Iane pater, Iane, tuens, dive biceps, biformis,*
*O cate rerum Sator, ô principium deorum,*
*Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
*Cui reſerata mugiunt aurea claustra mundi.*
*Tibi vetus ara caluit Aborigineo ſacello.*

Sed & ſæpius cernitur Ianus in Nummis Familiarum Romanarum apud F. Vrſinum, imberbis plane, & Juvenili forma ſculptus, tum alibi, tum in *Gente Fonteia*, cui ſimilis plane eſt ſequens

Num. ſive, Denarius argenteus *Fam. Rom.* cum litera V. & XII. *ſtellula radiata*, nota, ut videtur, monetali; in quo cernitur *Iani Bifrontis* caput imberbe & Iuvenile; quod haud dubie factum, ad exemplum *Apollinis*, ſive *Solis*, quem Veteres juvenili forma ſemper repræſentare ſolent. Ianum autem etiam pro *Sole* habitum, oſten-

oſtendunt illa Arnobii lib. III. *Incipiamus à Iano patre: quem quidam ex vobis mundum, annum alii, Solem etiam prodidere nonnulli.* Sic Nigidius Figulus, Romanorum poſt Varronem doctiſſimus, *pronunciavit, Apollinem Ianum eſſe, Dianamque Lunam*, ut eſt apud Macrobium lib. I. Saturn. cap. IX. qui & mox ſubjungit *Ianum quidam Solem demonſtrari volunt; & ideo geminum, quaſi utriuſque januæ cæleſtis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.*

# TABVLA XLI.

I. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. COS. III. S. C. Simulachrum *Iani Quadrifrontis*, ſeminudi cum haſta pura in dextera. Ianus enim non ſolum biceps, ſed etiam quadriceps effingebatur, Georg. Codinus. De Origin. Conſtantinop. Τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἰάνι ἰσοῤῥοπον τετράμορφον, διὰ τὰς τεσσάρας τροπάς. *Simulacrum Iani quadriforme eſſe tradunt, propter quatuor anni converſiones.* vel ut Solem, vel, ut Mundum univerſum conſiderabant. Faciunt huc, quæ Servius ad illud VII. Æneid. *Sunt geminæ belli portæ*, notat: *Captis Faleris, civitate Thuſciæ, inventum eſt ſimulachrum Iani cum frontibus quatuor. Propter quod in foro tranſitorio conſtitutum eſt illis Sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere, Ianum ſane apud aliquos Quadrifrontem eſſe, non mirum eſt. Nam alii eum diei Dominum volunt, in quo ortus eſt & occaſus. Horatius;* Matutine pater, ſeu Iane libentius audis. *Alii anni totius, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diviſum.* Sic & Macrobius lib. I. Saturn. cap. IX. *Simulachrum ejus plerunque fingitur manu dextera trecentorum & ſiniſtra ſexaginta & quinque numerum retinens; ad demonſtrandam anni dimenſionem, quæ præiipuè eſt Solis poteſtas; alii mundum, id eſt, cælum eſſe volueruut.**. ideo & apud nos in quatuor partes ſpectat, ut demonſtrat ſimulachrum ejus Faleris advectum: Gavius Baſſus in eo libro quem de Diis compoſuit, Ianum bifrontem fingi ait quaſi ſuperum*

atque

TAB. XLI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*atque inferum ianitorem: eundem quadriformem, quaſi univerſa climata majeſtate complexum.* P. Victor De Regionib. Urbis, in Epilogo de hujus Iani ſimulachris, ſive ſtatuis Romæ everſis ita refert: *Iani Quadrifrontes* XXXVI. *per omnes regiones marmoribus incruſtati, & adornati inſigniis militaribus & ſignis. Duo præcipui ad arcum Fabianum ſuperior, inferiorque.*

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. TR. POT. COS. II. S. C. II. Simulachrum *Iani Bifrontis* nudi, niſi quod veſtis laciniam circa pubem obtentam habeat & ſiniſtro brachio dependentem, cum haſta pura in dextera manu. Hujus tres olim ſtatuæ in foro Romæ. Livius lib. XLI. cap. XXVII. ubi de Q. Fulvii Flacci & A Poſtumii Albini Cenſorum operibus publicis locatis agit, *In his*, inquit, *& cloacam circumducendam, & forum porticibus taberniſque claudendum, & Ianos tres faciendos.* Sic Acron Vetus Scholiaſtes ad illud Horatii lib. II. Satyr. III.

——— *poſtquam omnis res mea Ianum*
*Ad medium fracta eſt* ———

Notat: *Iani ſtatuæ tres erant; ad unam illarum ſolebant convenire creditores, & fœneratores, alii ad reddendum, alii ad locandum fœnus:* Idem Acron ad iſtud Horatii lib. I. Epiſt. I.

——— *Hæc Ianus ſummus ab imo*
*Perdocet* ———

ſcribit: *Duo Iani ante Baſilicam Pauli ſteterunt, ubi locus erat fœneratorum. Ianus dicebatur locus, in quo ſolebant convenire fœneratores.* Hinc Seneca Ianum in foro vivere dixit, in Apocolocynth. *Illo dimiſſo primus interrogatus Sententiam Ianus Pater; is multa diſerte, quod in foro vivat, dixit.* Cæterum Iani bifrontis imago in Antonini Pii Nummo, indicat vel Iano honores aliquos tributos à

Pio, vel Securitatem ſæculi ſub Pio, ut olim ſub Iano, aut Providentiam ejus, quodque Iani alicujus ad inſtar videat ἅμα πρόσω καὶ ὀπίσω, Sane Marcus Aurelius Imp. lib. I. τῶν εἰς ἑαυτὸν *De iis, quæ ad ſe.* §. 16. laudat in patre ſuo Pio, τὸ πόῤῥωθεν προνοητικὸν, καὶ τῶν ἐλαχίστων προδοικητικὸν ἀτραγῴδως, *quod è longinquo futuri præſagus, & de minimis quibusque citra tumultum providus fuerit.*

III. *.

IV. Num. *M. Calpurnii Piſonis*, ſine ulla quidem Inſcriptione hac in parte, ſed in qua cernitur *Termini Dei* ſimulachrum, uti antiquis effigiari ſolebat; cum ſacrorum inſtumentis, ab una ſimulacri parte, ſimpulo ſcilicet, ab altera vero corona, ad indicandam, uti bene obſervat F. Urſinus gentis Calpurniæ originem à Numa Pompilio Rege ductam, qui primus populum Romanum Deorum cultum docuit, & Termino Deo ſacellum in colle Tarpeio exſtruxit, ut eſt apud Dionyſium Halicarnaſſ. lib. II. & Plutarchum in Problematib. nec non apud Sext. Pompeium Feſtum hiſce verbis: *Termino ſacra faciebant, quod in ejus tutela fines agrorum eſſe putabant, denique Numa Pompilius ſtatuit, eum, qui Terminum exaraſſet, & ipſum, & boves ſacros eſſe.* Corona heic expreſſa eſt, quia Terminus in agris coronari ſolebat. Siculus Flaccus. De conditionib. agror. *Cum Terminos diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram collocabant, proxime ea loca, quibus foſsis factis defixuri eos erant, & unguento, velaminibusque, & coronis eos ornabant.* Quo pertinet illud Appuleji lib. I. Apolog. *Negant vidiſſe qui fuere, unum talem in finibus ejus lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Nec non Tibulli lib. I. Eleg. I.

*Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,*
*Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.*

Item Minucii Felicis in Octavio: *Vt tum luculento die in lapides eum patiaris*

*patiaris impingere, effigiatos ſane, & unctos, & coronatos.* Denique Aurelii Prudentii lib. II. contra Symmachum:

——— *Vel lapis illic*
*Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error*
*Faſceolis.*

Simpulum adjectum ad ipſum Numam ut ſacrorum auctorem & Pontificem referendum eſt.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IMP. CAESAR. Simulachrum *Termini Dei* cum corona radiata in capite, & fulmine adjacente. Hoc Emblema interpretes vulgo referunt ad dictum iſtud Auguſti: *Feſtina lentè*. Terminum enim moram, fulmen vero celeritatem indicare volunt. Clariſſ. Alb. Rubenio autem potius videtur alludi ad Terminum illum, qui, ut eſt in ænigmate, *Iovi ipſi Regi noluit concedere.* ad deſignandum, Auguſtum non magis inimicorum, & hoſtium machinationibus cedere, quam Terminum illum Iovi. *Fulmina* enim inimicos indicare Oneirocritici docent; ut Aſtrampſychus: Βαίνων κεραυνοῖς δεξιῶν βλάβην φύγοις. *Incedens per fulmina, inimicorum damnum feres.* Artemidorus lib. II. cap. VIII. de ſomniantibus ſe fulmine tangi, inter alia habet: γεγαμηκόσας ὀ διίσησε, καὶ κοινωνὸς, & ἀδελφὸς, & φίλους ἐχθρὸς ποιεῖ. ὁ γὰρ κεραυνὸς ἑνοῖ, ἀλλὰ τὰ ἡνωμένα χωρίζει. *At vero jam contracta matrimonia diſſolvit, & ſodales, & fratres, & amicos inimicos facit: fulmen enim non unit, ſed etiam unita ſeparat.* Terminum porro *radiatum* eſſe, quia Auguſtus, notante Servio ad Eclogam IV. Virgilii, ſtatuam, ſive ſimulachrum ſuum cum Apollinis inſignibus fieri curavit; proque ejus filio ſe haberi voluit, teſte Suetonio, & aliis. Hæc quidem Alb. Rubenii ſententia. Verum, ſi quis Nummum hunc attentius conſiderare velit, utique inſigniorem ejus interpretationem inventurus eſt; cujus nos originem paullo altius repetemus. Tarquinius Priſcus Rex Rom. ultimo prælio cum Sabinis voverat Templum *Iovi*, *Iunoni* & *Minervæ*; De V.

cujus ædificatione ita ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ. lib. III. Antiq. Rom. Ἄξιον δὲ τὰ περὶ τὴν καθίδρυσιν αὐτοῦ γενόμενα διελθεῖν, ἃ παραδιδόασιν ἅπαντες οἱ τὰς ἐπιχωρίους συναγαγόντες ἱστορίας. ἐπειδὴ δὲ &c. Quia locus nimis prolixus eſt, Latine tantum adſcribam : *Memorabile eſt & quod ante iſtius templi ædificationem accidit, conſtanter ab omnibus Romanis ſcriptoribus proditum.* Ædificaturus Tarquinius, convocatis auguribus, juſſit primum deos conſuli de loco, quiſnam urbis locus fano ædificando eſſet aptiſſimus, Diiſque ipſis gratiſſimus. cumque oſtendiſſent imminentem foro tumulum, qui tum Tarpejus dictus, nunc Capitolinus vocatur, juſſit iterum conſultis auſpiciis reſpondere, qua tumuli parte deberet fundamenta jacere. Nam id erat non admodum facile: quod multæ in eo eſſent deorum, geniorumque aræ, modico à ſe invicem diſjunctæ intervallo, quas oportebat alio transmoveri, totamque aream ædificando Diis fano tribui. Placuit auguribus de ſingulis aris ibi ſitis aves conſulere, & ſi dii concederent, tunc eos loco movere. ibi cæteri dii & genii permiſerunt eis aras in alia loca tranſferre; Terminus tantum, & Iuventas. *nullis, quamlibet crebris, augurum precibus & ſupplicationibus flecti potuerunt, ut ſuſtinerent locis ſuis cedere; quo factum eſt, ut eorum aræ contineantur templi ambitu; atque altera quidem nunc in veſtibulo Minervæ ſita eſt, altera in ipſa æde prope pulvinarium. Hinc conjiciebant Vates, nec movendos unquam Vrbis Terminos, nec Iuvenilem Vigorem ei defore. quorum neutrum uſque ad hæc noſtra tempora per ætates jam* XXIII. *vanum fuit.* Huc uſque Dionyſius, qui Auguſti temporibus vixit; ſic, ut haud abſurde quis ſuſpicari poſſet, Auguſtum iſtud hoc nummo deſignare voluiſſe, nempe, quod nec *Terminus*, nec *Iuventas* (quæ denotatur per coronam radiatam in capite, ut inſigne Apollinis, ſive Solis, qui juvenili ætate ſemper cenſetur) eo uſque Iovi, aut Fulmini ipſius cesſerint; hoc eſt, urbem Romam non tantum antiquos terminos conſervaſſe, ſed etiam

etiam extendiſſe; nec ætate conſumptam, ſed potius juvenili vigore florentem & vegetiorem eſſe; ſecundum iſtud, quo Auguſtus gloriari ſolebat, ſe *Romam marmoream relinquere, quam lateritiam accepiſſet*, ut teſtatur Suetonius in ejus Vita, cap. XXIX.

Num. *Getæ*, cum Inſcript. BONVS EVENTVS. Iuvenis nudus, ſtans ante aram accenſam cum patera in dextera, & ſpica ac papavere in ſiniſtra manu, repræſentans BONVM EVENTVM Deum, quem Varro lib. I. de R. R. inter XII. Deos Conſentes, qui agriculturæ præerant, recenſet, & invocat, hisce verbis: *Quoniam*, inquit, *ut ajunt, Dei facientes adjuvant prius invocabo eos, nec, ut Homerus & Ennius, Muſas, ſed* XII. *Deos Conſentes. Neque tamen Vrbanos, quorum imagines ad forum auratæ ſtant, ſex mares, & fæminæ totidem, ſed illos* XII. *Deos qui maxime agricolarum duces ſunt. Primum, qui omnes fructus agriculturæ cælo & terra continent Iovem & Tellurem* &c. *Nec non precor Lympham, &* BONVM EVENTVM; *quoniam ſine aqua omnis arida atque miſera agricultura: ſine ſucceſſu & Bono Eventu fruſtratio eſt, non cultura.* Plane autem heic expreſſus, quemadmodum Plinius ſcribit lib. XXXIV. cap. VIII. ab Euphranore factum, quod Romæ erat, *ſimulacum* BONI EVENTVS *dextera pateram, ſiniſtra ſpicam & papaver tenens.* Idem lib. XXXVI. cap. V. alterius à Praxitele facti meminit: *Romæ* Praxitelis opera ſunt: *Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis*; BONI EVENTVS, *& Bonæ Fortunæ ſimulachra in Capitolio.* Templum *Boni Eventus* in Regione IX. prope Thermas Agrippæ collocat P. Victor. VI.

Num. *Severi*, cum Inſcr. BONI EVENTVC. Heic *Bonus Eventus* ſub forma Matronæ decorè cultæ, cum patera frugibus plena in dextera, & ſpicis in ſiniſtra manu repræſentatur; unde manifeſtum, ſub fæminea ſpecie, æque ac *Segeſtiam, Tutelinam* aliasque Deas agreſtes, etiam *Bonum Eventum* agrorum culturæ & frugum præfuiſſe. VII.

VIII. Num. *Titi*, cum Inſcr. BONVS EVENTVS AVGVSTI. S C. Heic denuo ſolita Iuvenis nudi forma pateram dextra, & ſpicas ſiniſtra manu tenentis, *Bonus Eventus* expreſſus; & ad Imperatorem Titum in Inſcriptione relatus; forte ob *Bonum Eventum*, quem in Expeditione Iudacia habuit, quando Victor redux ab Hieroſolymæ expugnatione. Referri huc poteſt iſtud Salviani lib. VII. De Gubern. Dei: *Si quando nobis proſperi aliquid præter ſpem noſtram & meritum Deus tribuit, alius adſcribit hoc Fortunæ, alius Eventui, nemo Deo.*

IX. Num. *Gentis Antiæ*, cum Inſcr. DEI PENATES. Duo capita Iuvenilia, quorum alterum etiam faſcia cinctum, DEORVM PENATIVM imagines referunt. Hoc credebatur Æneas Trojâ advexiſſe in Italiam. Hector ad Æneam apud Virgilium lib. II. Æneid.

*Sacra ſuoſque tibi commendat Troia Penates.*

Et poſtea ipſe Æneas:

——— *Feror exſul in altum*
*Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Dîs.*

Macrobius lib. III. Saturnal. cap. IV. *Nigidius de Diis, libro* XIX. *requirit, num Dii Penates ſint Trojanorum Apollo & Neptunus, qui muros eis feciſſe dicuntur; & num eos in Italiam Æneas advexerit.* Et paullo poſt: *Varro Humanarum libro ſecundo Dardanum refert Deos Penates ex Samothracia in Phrygiam, & Æneam ex Troia in Italiam detuliſſe. Qui ſint autem Dii Penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit; ſed qui diligentius eruunt veritatem, Penates eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus; eſſe autem medium æthera Iovem, Iunonem vero imum aëra cum terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen. & argumento utuntur, quod Tarquinius Demarati Corinthi filius,*

*filius, Samothracicis religionibus myſtice imbutus, uno templo ac ſub eodem tecto numina memorata conjunxit. Caſſius Hemira dicit Samothracas Deos, eoſdemque Romanorum Penates proprie dici* θεὸς μεγάλους, θεὸς χρηστὸς, θεὸς δωτῆρας. *Virgilius hæc ſciens* ait: *Cum ſociis natoque, Penatibus & Magnis Dis. quod exprimit* θεὸς μεγάλους. Vide ſis & quæ porro dicto capite Macrobius habet; uti & quæ Dionyſius Halicarn. lib. I. Antiq. Rom. prolixe de Penatibus ſcribit. nec non Arnobius lib. III. adverſ. Gentes.

Num. *Gentis Sulpiciæ,* cum Inſcr. L. SERVIVS. RVFVS. X. Heic viciſſim duo capita juvenilia cernuntur, cum pileis, duabusque ſtellis ſupra adjunctis. Hoc etiam quidam pro *Dis Penatibus* habent; alii *Dioſcuros,* Caſtorem & Pollucem eſſe volunt, ob pileos dimidiam ovi partem referentes, & ſtellas adjectas, ſic enim Dioſcuri à Luciano deſcribuntur, cujus verba mox ad Num. XII. adducemus. Hoc loco Appuleius nobis ſuccurret lib. X. ubi ſcribit. *Caſtor & Pollux, quorum capita caſſides æratæ ſtellarum apicibus inſignes* XI. *contegebant.* Sic in alio

Num. *Ejusdem Gentis Sulpitiæ,* ſine Inſcr. cernuntur duo Iu- XI. venes nudi galeati, ſtantes, quiſquehaſtam ſiniſtra manu ita verſam tenens, ut decuſſim exprimant. Hosetiam quidam *Deos Penates* eſſe volunt, moti præſertim Dionyſiii Halicarnaſſei verbis. lib. Antiquitat. Rom. ubi ita ſcribit: Νεὼς ἐν Ρώμῃ δείκνυται τῶν ἀγορᾶς ἐφεστώτων, &c. ἐν ᾧ τούτῳ κεῖνται τῶν Τρωϊκῶν θεῶν εἰκόνες, ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΤΑΣ ἐπιγραφὴν ἔχουσαι δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. δοκεῖ γοῦν μοι, ἐξ ὧν μήπω γράμματος ἀφεμμένου τὸ δέλτα δηλοῦν τὸ εἰ, εἶναι δυνάμενον τοὺς παλαιούς· εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι, δόρατα διειληφότες, τῶν παλαιῶν ἔργα τέχνης. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐν ἱεροῖς ἀρχαίοις εἴδωλα τῶν θεῶν τούτων ἐθεασάμεθα, καὶ ἐν ἅπασι νεανίσκοι δύο σχηματικὰ σχήματα φαινόμενοι ἔχοντες. *Templum Ro-*

*mæ non*

*mæ non procul à foro ostenditur. &c. in eo positæ sunt Trojanorum deorum imagines, quas cuivis fas est inspicere, cum inscriptione* DENATES, *quæ Penates significat. Videntur enim mihi prisci ante inventum P. usurpasse pro eo D literam. Sunt autem hastati duo juvenes habitu sedentium admodum antiqui operis. Alia quoque multa in antiquis templis horum deorum idola conspeximus & in omnibus duo juvenes militari habitu.* Vossius lib. I. De Orig. & Progr. Idolol. cap. XII. putat, loco DENATES, quomodo Dionysius legit, primitus PENATES fuisse, postea ex litera P productione obliterata visum esse D, quod fuerat P. Et sane *Penates* ita publice in templis Romæ repræsentatos sub forma duorum juvenum hastatorum, hæc Dionysiii verba dubitare non sinunt; cum tamen veram eorum effigiem idem Dionysius ibidem paullo ante, inter ea, quæ penitius scrutari per leges non licet, reponat, omnino censeo cum Lud. Vive Comentar. ad Augustin. De Civit. Dei, lib. I. cap. III. quem & sequitur Vossius dicto loco, duos illos juvenes hastatos à Dionysio Romæ visos, fuisse Dioscuros, sive Castorem & Pollucem; quos Romani coluere, eosque forsan pro Vrbis custodibus, Penatium instar, credi voluere, propter nobilem operam, quam bello navasse Latino dicebantur. Bene quoque negat Vives, Castorem & Pollucem, Penates Trojanorum fuisse, cum sub ipsum bellum Trojanum, rapta jam Helena, primum fato concesserit.

XII. Num. *Gentis Scriboniæ*, cum Inscript. C. SCR. ROMA. Vides heic duos Iuvenes armatos, equis albis, velocibus insidentes, hastatos ambos, cum pileis in capite dimidiam ovi partem referentibus, & desuper duas stellulas imminentes; plane, uti Castor & Pollux à Luciano in Dialogo Apollinis & Mercurii describuntur, ubi Apollinem ita loquentem introducit: ὤνησας, διδάξας τὰ γνωρίσματα. ἐπεὶ τάγε ἄλλα πάντα, ἴσα, τοῦ ὠοῦ τὸ ἡμίτονον, καὶ ἀστὴρ ὑπέρανω, καὶ ἀκόντιον ἐν τῇ χειρὶ, καὶ ἵππος ἑκατέρῳ

TAB. XLII.

1

2

3

4




5

6

7

8

9

10

11

12

τέρῳ λευκός. ὥστε πολλάκις ἐγὼ τὸν μὲν, προσεῖπον Κάστορα, Πολυδεύκην ὄντα. τὸν δὲ τῷ τοῦ Πολυδεύκους ὀνόματι. *Operæ pretium fecisti, qui notas quibus dignosci queant, me docueris, Nam cætera certe omnia æqualia sunt, ovi pars dimidia, stella desuper imminens, & equus utrique albus. Quare sæpe equidem Castorem appellavi hunc, qui Pollux erat; & rursus Castorem Pollucis nomine.* Ovi partes designant Fabulam, quæ istos ovo exclusos vult; uti & stellulæ adjectæ, quod tempestatis tempore nautis tali forma sese ostendere & succurrere dicantur: Hinc Horatius lib. I. od. XII.

*—— Quorum simul alba nautis*
*Stella refulsit.*

Lucianus eodem Dialogo paulò post: Προστέτακται αὐτοῖν ὑπηρετεῖν τῷ Ποσειδῶνι. καὶ καθιππεύειν δεῖ τὸ πέλαγος, καὶ ἄν που ναύτας χειμαζομένους ἴδωσιν, ἐπικαθίσαντες ἐπὶ τὸ πλοῖον, σώζειν τοὺς ἐμπλέοντας. *Illis injunctum est, ut Neptuno ministrent, & pelagus obequitent, & sicubi nautas tempestate periclitantes adspexerint, navigio insidentes, incolumes navigantes præstent.* His A. Postumius Dictator, bello Latino, anno V. C. CCLVII. ædem vovit, & exstruxit: quam postea restituit L. Metellus; quæ vulgo *Castoris*, & *Castorum* dicebatur.

# TABVLA XLII.

Num. *Getæ*, cum Inscr. CASTOR. Geta Iuvenis, Severi Imp. Filius sub forma *Castoris* militari habitu, sinistra hastam tenentis, & dextra equum fræno apprehensum manu ducentis Vnde Horatius lib. I. Sat. II. I.

*Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem*
*Pugnis ——*

Et lib. I. Od. XII.

*Dicam & Alciden, puerosque Ledæ,*
*Hunc equis, illum superare pugnis*
*Nobilem* ——

Ad imitationem Homeri, qui Οδυσ. λ. appellat Κάστορά θ' ἱππόδαμον, & πυξάγαθὸν Πολυδεύκεα.

II. Num. *Commodi*, cum Inscript. PENATES P. R. & infra VESTA. SC. Cernitur heic figura stans, nuda, nisi quod tenue velamentum super humeros habeat, sinistra hastam puram, dextra Lucernam, sive Lampadem tenens; uti *Vestales* sæpius in nummis cum Lampade cernuntur. Inscriptio *Penates Populi Romani* indicat, uti & VESTAM; & hanc ex eorum numero & Troja advectam fuisse refert quoque Macrobius lib. III. Saturnal. cap. IV. ubi ait: *Eodem nomine appellavit & Vestam, quam de numero Penatium, aut certe comitem eorum esse, manifestum est: adeo ut & Consules, Prætores, seu Dictatores, cum adeunt Magistratum Lavinii rem divinam faciant Penatibus pariter & Vestæ. Sed & Virgilius, ubi ex persona Hectoris dixit:*

*Sacra suosque sibi commendat Troia Penates.*

*mox subiecit:*

*Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,*
*Æternamque adytis effert penetralibus ignem.*

Sunt qui putant Vestam non tam fuisse ex Penatibus, quam Penatibus additum focum. Faciunt huc illa Ciceronis lib. II. De Nat. Deor. *Vestæ nomen à Græcis est; ea est enim, quæ illis ἑστία dicitur. Vis autem ejus ad aras & focos pertinet: itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis & precatio & Sacrificatio extrema est. Nec longe absunt ab hac vi, Dii Penates, sive à penu ducto nomine,*

*nomine, (est enim omne, quo vescuntur homines penus) sive ab eo, quod penitus insident, ex quo etiam Penetrales à Poëtis vocantur.*

Num. *Pertinacis*, cum Inscr. DIS CVSTODIBVS. Fæmina stolata cum Cornu copiæ in sinistra; & navis gubernaculum Sphæræ impositum dextra tenens. quomodo *Fortunam* antiqui repræsentare solent; quam inscriptio indicat, locum quoque inter *Deos Custodes*, id est, *Genios* habuisse. Et hæc FORTVNA AVREA colebatur in Principum cubiculo, & una cum Imperio tradebatur successori. I. Capitolinus de Antonino Pio: *Tertia die, cum se gravari videret, Marco Antonino, Rempublicam, & filiam præsentibus præfectis commendavit;* FORTVNAMQVE AVREAM, *quæ in cubiculo Principum poni solebat, transferri ad eum jussit.* Hanc designat Ammianus Marcellinus lib. XXX. non procul ab initio, ubi recenset omnia, quæ. Valentiniani obitum præcesseruut. *Nocte per quietem videbat conjugem suam absentem sedere passis capillis, amictu squalleuti contectam; quam æstimari dabatur* FORTVNAM EIVS *esse, cum tetro habitu discessuram.* Quemadmodum enim unicuique homini suus Genius, sic etiam Fortuna sua adscribebatur. Hujus *Custodiæ* Pertinax commendare se videtur. III.

Num. *Crispinæ*, Vxoris Commodi Imp. cum Inscript. DIS GENITALIBVS. Cernitur heic Ara quadrata, in qua ignis accensus, quam Crispina *Dîs Genitalibus* dedicare videtur. Forsan, ut fæcunditatem ab iis impetraret; vel, ut fætum conceptum Custodiæ & Tutelæ eorum commmendaret. Dicti *Genitales*, quod homines ab iis sint geniti; ac quibus debeantur omnis generationis primordia. Meminit eorum Ennius lib. I. Annal apud Cicer. lib. I. Tusc. Quæst. & Servium ad lib. VI. Æneid. IV.

*Romulus in cœlo cum Dis Genitalibus cevæum*
*Degit:*

Item Auſonius in Periocha IV. Æneid.

*Iupiter interea cum Dis Genitalibus una*
*Concilium cogit ſuperum de rebus Achivis.*

Eſtque hæc vox nova, & ab Ennio conficta, ut teſtatur M. Cicero lib. De Oratore, ex emendatione Lambini: *Vel ſæpe*, inquit, *vel ſine conjunctione Verba novantur, ut illud Senis diſerti, DI Genitales.* Antea legebatur *ille ſenſus diſertus in digenitalis.* Unde Turnebus lib. XX. Adverſ. cap. XXIV. *ut ille Ennius: DI genitales.* P. Merula verò ad lib. I. Annal. Ennii, legendum putat: *ut ille Senex diſertus Annalibus, DI Genitales.* Quaſi vox *Annalibus* ab Exſcriptionibus abbreviata *Ann.* poſtea *In* facta fuerit, Verum hæc obiter, ὡς ἐν παρόδῳ.

V. Num. *Neronis*, cum Inſcr. GENIO AVGVSTI. S. C. *Genius Neronis* velatus circa pubem, cætera nudus, ſtans ante aram accenſam, ſiniſtra Cornu copiæ, dextera pateram ſuper aram quaſi libaturus, tenens. De Geniis in genere videndus I. Lipſius lib. I. Phyſiolog. Stoic. cap. XIX. & XX. item Henr. Lindenbrogius ad cap. III. Cenſorini De Die Natali; qui ita ſcribit. *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit.* Et paullo poſt: *Genius autem ita nobis aſſiduus obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longius abſcedat, ſed ab utero matris exceptos, ad extremum vitæ diem comitetur.* Notum autem GENIVM AVGVSTI ſive *Cæſaris*; in tali veneratione fuiſſe, ut nullum ſanctius juſjurandum fieri putarent, quam per *Genium Cæſaris*, Unde Tertullianus Apologet. cap. XXVIII. *Citius denique apud vos per omnes Deos, quam per unum Genium Cæſaris pejeratur.* Quod heic pateram quaſi libans ſuper aram accenſam teneat, poſſet quis ſuſpicari, ac ſi referendum foret ad ſacrificandi modum, quem Veteres Die Natali ſervabant, cum ab omni cæde & ſanguine hoſtiarum abſtinerent, & Genio merum tantum funderent. Cenſorinus

ſorinus cap. II. ad illud Perſii *Funde merum Genio. Hic forſitan quis quærat*, inquit, *quid cauſæ ſit, ut merum fundendum Genio, non hoſtiam faciendam pucaverit? quod ſcilicet, ut Varro teſtatur in eo libro, cui titulus* ATTICVS, *& eſt de Numeris, id moris inſtitutique majores noſtri tenuerunt, ut, cum die natali munus annale Genio ſolverent, manu à cæde & ſanguine abſtinerent, ne die, quâ ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent.* Verum ut ut hoc antiquis temporibus obſervatum fuerit, poſtea tamen in deſuetudinem abiiſſe liquet ex variis veterum teſtimoniis. Sic Horatius lib. IV. Od. X. De Die natali Mæcenatis:

*Ridet argento domus; ara, caſtis*
*Vincta verbenis, avet immolato*
*Spargier agno.*

Lampridius in Alexandro Severo: *Cum natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugit.* Spartianus in Anton. Geta: *Nam cum infantis Getæ natalem Severus commendare vellet, hoſtiam popa nomine Antoninus percuſſit.* Imo in Fragmento Inſcriptionum Fratrum Arvalium, quod habetur in Corpore Gruteriano pag. CXVIII. ubi de Natali Neronis:

. . . IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERO
NIS. AVG. GERMANICI. IOVI. B. M. IVNONI
VACCAM. MINERVÆ. VACCAM. FELICI
TATI. PVBLICÆ. VACCAM. CONCORDIÆ. VACCAM
GENIO. IPSIVS. TAVRVM. . . .

Num. *Conſtantii Chlori*, cum Inſcr. GENIO POPVLIVI ROMANI. S. F. *Genius* cum Cornu Copiæ & patera, ut antea nudus, niſi quod caput velatum, ac tenue involucrum humeris injectum habeat. GENIO POPVLI ROMANI, qui à

Dione Caſſio lib. XLVII. & lib. L. Γένιος δήμου dicitur; ab Ammiano Marcellino non ſemel *Genius Publicus*, ſæpiſſimè poſteriores Imperatores à Diocletiano ad Conſtantinum Magnum uſque ſeſe commendant, ut ex Nummis eorum apparet; videturque iſtis temporibus iſtius *Genii* cultus valde frequens Auguſtis, & Populo Romano fuiſſe. De Juliano Apoſtata Ammianus Marcellinus lib. XXV. ſcribit: *Vidit ſqualidius, ut confeſſus eſt proximis, ſpeciem illam* GENII PVBLICI, *quam, cum ad Auguſtum ſurgeret culmen, conſpexit in Galliis, velato capite cum Cornu copiæ per aulæa triſtius diſcendentem.* Nec enim modo hominum, ſed & regionum, Regnorum, Urbium ſui credebantur eſſe Genii: Q. Symmachus in Relatione ſuâ ad A A A. pro inſtaurando veteri Deorum cultu: *Suus cuique mos, ſuus cuique ritus eſt, varios cuſtodibus Urbibus cunctis mens divina diſtribuit, ut animæ naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.* Ad quæ inter alia Prudentius lib. II. adverſ. Symmachum, reſpondet:

*Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis unum?*
*Cum portis, domibus thermis, ſtabulis ſoleatis*
*Adſignare ſuos Genios? perque omnia membra*
*Vrbis, perque locos Geniorum millia multa*
*Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbrâ.*

VII. Num. *Antonini Pii.* cum Inſcr. GENIO SENATVS Cernitur heic *Genius* togatus, inſtar Antonini Cæſaris, quem etiam de facie referre videtur, dextra Lauri ramum, ſiniſtra haſtam ferens. Ex Inſcriptione autem apparet, quaſi *Senatus* non alium *Genium*, quam ipſum Antoninum Pium, cujus imaginem Nummus repræſentare videtur, agnoſcere vellet in cujus ſcilicet tutela eſſet, & cujus ductu omnia perageret.

VIII. Num. *Trajani Decii.* cum Inſcr. GENIVS EXERCI*tus* ILLYRICIANI. S. C. *Genius Exercitus* ſolita quidem forma nudus præter

præter velamen, tum circa humerum, dextra pateram, ſiniſtra Cornu-copiæ tenens; ſed in capite Modium præter morem geſtans; à latere quoque adſtat ſignum militare. Et hic quidem Genius in in Nummis Trajani Decii, primus eſt, qui ita cum Modio in capite ſculptus cernitur; quod in Nummis anteriorum Imperatorum nuſquam obſervatur, in Nummis verò poſteriorum Impp. ſæpius occurrit; Ejus vero rei rationem necdum expiſcari licuit; Verum quidem eſt, Serapidem Ægyptiorum Deum ſemper cum Modio, ſive, ut Macrobius vocat, calatho in capite fingi, uti cernere eſt in Nummis aliquot ſequentibus: ſed ratio illius nihil ad Genium pertinere videtur, ut ſtatim audiemus. Cœterum GENIO EXERCITVS ILLYRICIANI Decius hunc Nummum inſcribit, utpote qui ab exercitu in Illyrico primum Imperator ſalutatus eſt. *Genii Exercitus* quoque meminit Vetus Inſcriptio in Marmore effoſſo Romæ ſub Capitolio apud arcum Imp. L. Septimii, quæ exſtat apud Gruterum pag. CIX.

GENIO. EXERCITVS
QVI EXTINGVENDIS. SAEVISSIMIS. LATRONIB
FIDE. ET. DEVOTIONE. ROM. EXPECTAT. ET
VOTIS. OMNIVM. SATISFECIT

Num. *Antonini Pii* abſque Inſcriptione, ſed in quo duo capita, XI.
virile alterum, alterum muliebre, cernuntur *Serapin & Iſidem* Ægyptiorum Deos deſignantia. Et Serapis quidem repræſentatur denſo capillitio, & barba hirſuta inſtructus, cum Modio, ſive calatho in capite. Iſis verò cum coma torta & reflexa, ac *flore* ſacro in capite. De Serapide Macrobius lib. I. Saturn. cap. XX. *Eidem Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſervat: omnem tamen illam venerationem Soliſe ſub illius nomine teſtatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt.* Et paullo poſt: *Cujus caput inſignitur calatho, & altitudinem ſideris monſtrat, & potentiam capacitatis oſtentat:*

*oſtentat: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immiſſo calore rapiuntur.* Suidas ſimiliter in Σάραπις ait, μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τὸν πῆχυν. *modium habere in capite, & cubitum.* Sic Rufinus Hiſtor Eccleſt. lib. II. cap. XXIII. De Serapide: *Alii* inquit, *Iovem putant, cujus capiti modius ſuper poſitus, vel quia cum menſura modoque cuncta docet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi.* De Iſide, & *Flore* ejus in capite, niſi forſan ſit Calathus, uti alias in nummis Iſis videtur, quædam dicenda erunt ad Tab. XLVII.

X. Num. *Poſtumi*, cum Inſcr. SERAPI. COMITI. AVG. *Deus Serapis* Ægyptiorum, cum modio in capite, ſiniſtra Scipionem tenens, dextram protendens. Quamvis autem Serapis propius & peculiaris eſſet Ægyptiorum Deus, nihilominus & in Græcia multis in locis cultus fuit, & præſertim Athenis, ut teſtis Pauſanias lib. I. Romæ etiam templum habuiſſe in Regione I. in Reg. II. & Reg. IX. ſive Circo Flaminio legere eſt apud P. Victorem De Regionib. Vrbis.

XI. Num. *Anton. Caracalli*, cum Inſcrip. P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. Cernitur heic figura laxo veſtimento amicta, ſiniſtra ſcipionem ferens, dextram vero attollens, cum modio in capite; quod ſignum Dei *Serapidis* eſt; quem Caracalla in Nummis cudi fecit, ut videtur, in memoriam itineris ſui in Ægyptum, quam regionem eum adiiſſe teſtatur Spartianus in ejus Vita: *Inde Alexandriam petiit: in gymnaſium populum convocavit, eumque objurgavit.* &c. Et Poſtea: *Sacra Iſidis* Romam deportavit, & templa ubique *magnifica eidem Deæ fecit. Sacra etiam majore reverentia celebravit, quam antea celebrabantur.*

XII. Num. *Victorini* cum Inſcr. SÆCVLI FELICITAS. Matrona ſtolata, ſiniſtro pede navis roſtro inſiſtens, & puerum nudum in gremio tenens, cum modio viciſſim in capite; adſtat & navis

navis gubernaculum. quod *Fortunæ* Symbolum eſt, quæ heic deſignatur; FORTVNA nempe PRIMOGENIA; cujus in gremio Victorinus puer ſedet, ad imitationem *Iovis pueri*, cui Imperatorum filios comparari, ex Valeriani Iunioris Nummo ſupra Tab. XXXV. manifeſtum; Iovis verò pueri ſimulachrum ita olim Prænefte viſebatur. Cicero De Divinatione: *Is eſt hodie locus ſeptus religioſè propter Iovis pueri ſignum, qui lactens cum Iunone in gremio Fortunæ ſedens, & mammam appetens, caſtiſſimè colitur à Matronis.*

Fitque ejus mentio in Inſcriptione antiqua, Prænefte olim reperta, quæ habetur in Corpore Gruteriano pag. LXXVI.

FORTVNÆ
IOVIS. PVERI
PRIMIGENIÆ
D. D
EX. SORTE. COMPOS
FACTVS
NOTHVS. RVFICANÆ
L. F. PLO TILLÆ

Nec non in alia ibidem

FORTVNÆ
PRIMOGENIÆ
IOVI. PVERO
EX. TESTAMENTO
&c.

Modius in capite *Fortunæ Primigeniæ* denotare videtur potentiam illius, in nova prole ſuſcepta fovenda. Statuam *Fortunæ Vrbis* cum

modio Constantinopol. positam, commemorat Georg. Codinus De Originib. Constantinop. Ἡ δὲ τύχη τῆς πόλεως ἦτο χαλκὴ μὲ μοδίῳ ἐν τῇ ἀνατολικῇ ἀψίδι τοῦ φόρου. *Fortuna urbis ænea cum modio posita erat in Orientali arcu fori.*

# TABVLA XLIII.

I. Num. *Antonini Pii* sine inscriptione quidem, sed in quo mirificum, sive potius mysticum spectatur *Caput*, barbatum, cornutum, radiatum, cum Modio in vertice; adest & Tridens, cui se Serpens circumvolvit. Indicat enim hic Nummus *Serapin*, qui per Modium, & *Ammonem*, qui per Cornua, & *Solem*, qui per Radios, & *Neptunum*, qui per Tridentem, & *Æsculapium*, qui per Serpentem designatur, unum eundemque Deum esse, variis tantum Nominibus à gentibus appellatum; quod etiam multis docet Macrobius lib. I. Saturnal à cap. XVII. ad cap. XXIII. omnes scilicet ad Solem referri. Hinc Martianus Capella lib. II. De Nuptiis Philologiæ ad Solem:

*Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirim,*
*Dissona Sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem,*
*Attys pulcher item, currui & puer almus aratri,*
*Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon.*
*Sic vario cunctus te nomine convocat orbis,*

Quos versus, ut cæteros, qui præcedunt & sequuntur, eleganti Diatriba illustravit Ioan. Franc. Grandis scripta ad Lud. Guez. Balzacum. Cujus etiam videnda alia Dissertatio De Variis Dei Nominibus &c. Ætheri sive Soli attributis, quam inscripsit Gabr. Naudæo. Hinc quoque apud Nonum lib. XL. Dionysiacôn Bacchus ad Solem:

TAB. XLIII.

1

2

3

4

5




6

7

8

9

10

11

12

Βῆλ☉ ἐπ' Εὐφρήτᾳο, Λίβυς κεκλημέν☉ Ἄμμων
Ἄπις ἔφυς Νειλῶ☉, Ἄραψ Κρονὸς, Ἀσσύρι☉ Ζεύς.

*Belus Euphratæ, Libycus vocatus Ammon,*
*Apis es Niliacus, Arabs Saturnius, Assyrius Iupiter.*

Et paullò pòst:

Εἴτε Σάραπις ἔφυς Αἰγύπτι☉, ἀνέφελ☉ Ζεύς.
Εἰ χρόν☉, εἰ Φαέθων πολυώνυμ☉, εἴτε σε Μίθρης,
Ἥλι☉ Βαβυλῶνι☉, ἐν Ἑλλάδι Δελφὸς Ἀπόλλων.

*Sive Serapis es Ægyptius, in nubis Iupiter;*
*Si Tempus, si Phaëthon multi nominis, & si tu Mithres.*
*Sol Babylonis, in Græcia Delphicus Apollo.*

Habetur quoque oraculum quoddam Apollinis apud Iulianum Imperatorem, Oratione ad Solem, cujus hæc verba sunt:

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλι☉, εἷς τε Σάραπις.

*Vnus Iupiter, unus Pluto, unus Sol unusque Serapis.*

Diodorus Siculus Biblioth. Histor. lib. I. Τὸν μὲν Ὄσιριν οἱ μὲν Σάραπιν, οἱ δὲ Διόνυσον, οἱ δὲ Πλέτωνα, οἱ δὲ Ἄμμονα, πολλοὶ δὲ Δία, πολλοὶ δὲ Πᾶνα νενομίκασι. *Osirin autem modo Serapin, modo Dionysium, interdum Plutonem, interdum Ammonem, quandoque Iovem, non raro Pana esse putant.* Sic quoque Plutarcho in De Iside & Osiride, Osiris, Pluto, Bacchus, Sarapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius, idem denotant Numen. Apud Laur. Pignorium in Expositi. Mensæ Isiacæ, videre est Gemmam, in qua *Isis* & *Serapis* ambo eodem ornatu & forma scalpti sunt, quo Serapis in hoc

Antonini Pii Nummo. ad designandum, quod tam *Isis*, quam *Serapis* & tam Serapis quam Isis omnia, ac etiam semet invicem comprehendant; ac nonnunquam pro eodem Numine accipiantur; quamvis sæpius *Isis* ad Lunam, quæ etiam sub variis cognominibus culta, referatur. Hinc optime Martianus Capella lib. VIII. De Nupt. Philol. *Soli, Lunæque diversitas gentium innumera vocabula sociavit.*

II. Num. *Iuliani*, Desertoris, cum Inscr. DEO SERAPIDI. *Serapis* cum Modio, & *Isis* cum *Flore* sacro in capite, sive potius *Iulianus* ipse, & uxor ejus *Helena*, sub forma Serapidis, & Isidis repræsentati. Nam vultus omnino ipsius Iuliani est, ut ex aliis ejus Nummis manifestum. Præ cæteris enim Iulianus Serapidem in honore habuit, adeoque sub ejus specie exhiberi voluit; vel ab Ægyptiis vultus ejus, cum Serapidis uti uxoris ejus, cum Isidis insignibus nummis impressus; ut ei adularentur, quem suæ superstitionis & idolorum cultus restitutorem agnoscebant, dum Christianam religionem contemneret, sperneretque. Ad cultum Iuliani, Serapidi delatum, testandum, faciunt ista Sozomeni Histor. Eccles. lib. V. cap. III. ubi de Iuliani artibus agens, quibus gentilismum denuo instaurare conatus est inter alia scribit: Προσέταξε δὲ καὶ τὸν πῆχυν τοῦ Νείλου, καὶ τὰ σύμβολα, καὶ τὰ παλαιὰ πάτρια κομίζεσθαι πρὸς τὸν Σάραπιν. *Dat porro mandatum, ut tum cubitus, quo Nili inundantionem meteri solent, tum munimenta vetera, avitaque ad Serapidem pertinentia restituantur.* Se etiam forte Iulianus, sub hoc habitu Deum constituebat, & uxorem Deam. Varro Lib. IV. De Ling. Lat. *Principes Dei, Cælum & Terra: hi Dei iidem qui in Ægypto Serapis & Isis.* Posset aliquis suspicari *Serapidis* & *Isidis* capita ita heic super eodem quasi collo conjuncta, ad denotandum, ut diximus, unius utriusque eandem vim ac potentiam esse. Sic in Veteri Inscriptione conjunctim legitur ISIS SERAPIS. apud Gruterum pag. CCCXII

D. M.

D. M.
L. CORNELIO. IANVARIO
FANATICO. AB. ISIS SERAPII
AB ÆDEM. BELLONE. RVFILIA
V. A. XXII. M. XI. D. XXI. FEC
C. CALIDIVS. CVSTOS. AMICO
B. M.

In alia itidem, quæ exſtat pag. LXXXIV. ISIDI SERAPIDI. LIBER LIBERAE. VOTO SVSCEPTO. &c. Sic apud P. Victorem De Regionibus Vrbis, in Reg. III. ubi vulgo legitur, ISIS ET SERAPIS MONETA, legendum, ISIS-SERAPIS. τ′ ET, à librariorum mala manu eſt; qui, dum locum corrigere voluerunt, corruperunt. Hinc etiam liquet, non opus eſſe cum Rycquio in De Capitolio cap. XLI. reponere SERAPIS ET ISIS MONETA.

Num. *Iuliani Ejuſdem*, cum Inſcr. VOTA PVBLICA. III. Vides heic figuram cum *capite aſinino*, ut apparet, ſcalptoris forſan vitio, cum deberet eſſe *caput caninum*, quod tamen alii in hac figura quoque ſibi cernere videntur, dextra *Siſtrum*, ſiniſtra *Caduceum* tenentem, & *Anubim* Ægyptiorum quoque Deum deſignantem, qui Κυνοκέφαλος, ſive capite pingebatur canino; ut monet Servius in illud lib. VIII. Æneid.

*Omnigenumque Deum monſtra, & latrator Anubis.*

Hinc Lucanus lib. VIII. Pharſal. Ægiptium alloquens:

*Nos in templa tuam Romana accepimus Iſin,*
*Semideoſque canes* ——

Sedulius in Opere Paſchal: *Semi hominem canem* appellat. Prudentius Apotheoſi, *Caniformen Latrantemque Anubin.* Cauſam cur ſic

fingeretur, adducit Plutarchus in De Iſide & Oſiride. Quidam *Hunc*, ut ait Servius ad VIII Æneid. *Mercurium eſſe volunt, quia nihil cane ſagacius.* Caduceum heic geſtat inſtar Mercurii; vel potius ut verus Ἑρμάνθις, cujus meminit quoque Plutarchus, ut qui aliquid cum Mercurio & Anube commune habeat. Et hoc etiam ad *Iulianum* refertur, quem Mercurialibus artibus excelluiſſe, & Veteres omnes teſtantur, & ſi ſilerent, ſcripta ejus, quæ hodie adhuc ſuperſunt, ſatis loquuntur. Cæterum ad Anubis Romæ cultum pertinet, quod notat Lampridius de Commodo Imp. *Sacra Iſidis coluit, ut & caput raderet, & Anubin portaret.* Et mox: *Cum Anubin portaret capita Iſiacorum graviter obtundebat ore ſimulachri.* D. Cyprianus ad Conſulem Apoſtatam:

——— *Quis te non rideat autem,*
*Qui fueris Conſul, nunc Iſidis eſſe miniſtrum?* &c.
*Teque domo propria pictum cum faſcibus arte,*
*Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam?*

VOTA PVBLICA, quæ in hoc, aliiſque Iuliani nummis ſæpius ſignata cernuntur, indicium ſunt odii publici in Chriſtianam religionem, & quod populus gauderet, ſe talem nactum Imperatorem Apoſtatam.

IV. & V. Num. ejusdem *Iuliani*, ambo cum Inſcr. SECVRITAS REIPVB. Cerniturque in utroque *Bos*, ſive *Taurus* cum duabus ſtellulis ſupra cornua & cervicem. In altero præterea eſt aquila alas excutiens, ferto, ſive coronæ laureæ inſiſtens, alteramque coronam lauream roſtro apprehenſam tenens, quam bovi offerre videtur. Stellæ binæ utriuſque Imperii partes, Orientem nimirum, & Occidentem indicare creduntur; quod utrumque Iulianus poſt Conſtantini obitum obtinuit. Ad Bovis interpretationem nonnullis facere videntur iſta Ammiani Marcellini lib. XXII. verba:

verba: *Hoſtias ſanguine plurimo, aras crebritate nimia perfundebat, tauros aliquando immolando centenos.* Et magis adhuc illuſtrantur per ea, quæ Socrates habet Eccleſ. Hiſt. lib. III. cap. XVII. Ὡν γὰρ δὴ ὁ βασιλεὺς πολυδεισιδαίμων, ταύρους τε σωρηδὸν θύων θεοῖς τοῖς βωμοῖς τῶν εἰδώλων, βωμὸν καὶ ταῦρον ἐν τυπωθῆναι κελεύσας τῷ ἑαυτοῦ νομίσματι. *Cum enim Imperator dæmonum ſuperſtitioſo cultui admodum deditus eſſet, & ad aras deorum ſuorum aſſidue tauros immolaret, aram & taurum nummis ſuis inſculpi juſſerat.* Hæc quamvis ita ſe habeant, meo tamen judicio, à vero non aberraret, qui per bovem, cum ſtella ſupra frontem, à Iuliano, *Apin* Ægyptiorum deum, qui ſub forma bovis colebatur, deſignari putaret; præterquam enim ſingularem Iuliani erga Ægyptiorum numina reverentiam, utpote, quorum benignitate ſe Imperium accepiſſe gloriabatur, non minimi momenti eſt quod legimus apud Socratem Hiſtor. Eccleſ. lib. III. dicto capite, Ipſi ab Antiochenſibus exprobratum fuiſſe, quod in quodam ſuo Numiſmate curaverit ſignare Taurum, qui mundum cornibus ſuis expugnaret aut everteret: τὸ νόμισμά τε αὐτοῦ ταῦρον ἔχειν, καὶ τὸν κόσμον ἀναλεκτάφθαι. Quid enim hoc aliud, quam Symbolum *Apidis*; qui idem denuo cum *Serapide*, *Oſiride*, & *Iſide*, imo cum *Iove*, per *aquilam* heic ante pedes deſignato, cum *Sole* & *Luna*, per ſtellas & cornua denotatis; atque adeo Numen iſtud cæleſte, & ſupremum, à Iuliano veneratum; quod jam per inſtaurationem ſacrorum gentilium denuo mundum everteret? Sic, ut Inſcriptio Nummi, SECVRITAS REIPVBLICÆ, æque conveniat reſtitutioni cultus Apidis, quam ſacrificiorum; ad cujus quoque illuſtrationem faciunt iſta S. Aur. Victoris in Epitome de Iuliano: *Audax plus quam Imperatorem decet: cui ſalus propria, cum ſemper ad* SECVRITATEM *omnium, tum maxime in bello conſervanda eſt.*

Num.

VI. Num. *Famil. Rom.* ſine Inſcr. Caput Iuvenile cum galero, ſive pileo alato, & caduceo à tergo. *Mercurium* indicat. Feſtus: *Mercurius à mercibus eſt dictus, hunc enim negotiorum omnium exiſtimant Deum.* Fulgentius Lib. I. Mytholog. *Mercurium dici voluerunt, quaſi mercium curam. Omnis ergo negotiator poteſt dici Mercurius. Pennata talaria, quod negotiantium pedes ubique pergendo quaſi pennati ſunt. Virgam ſerpentibus nexam, quod mercatoribus det aliquando regnum, ut ſceptrum: & vulnus, ut ſerpentium. Galero cooperto capite pingitur, quod omne negotium ſit ſemper abſconſum.* Paullo aliter Arnobius lib. III. qui tamen hiſce junctus, totam Mercurii indolem una deſcribunt: *Mercurius*, inquit *quaſi quidam medicurrius dictus eſt: & quod inter loquentes duos media currat, & reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata eſt qualitas. Ergo ſi hæc ita ſint, non eſt dei Mercurius nomen, ſed ſermonis reciprocantis & vocis: atque ita hoc pacto aboletur & extinguitur caducitor ille Cyllenius, in algido fuſus monte, verborum excogitator & nominum; nundinarum, mercium, commerciorumque mutator,* Idem lib. VI. *Cum petaſo gnatus Maiæ fingitur, tanquam vias aggredi præparet, & ſolem, pulveremque declinet.*

VII. Num. *Poſtumi*, cum Inſcript. MERCVRIO. PACIFERO *Mercurius* nudus, cum petaſo alato, dextra *Caduceum* alatum, cum draconibus implicatis, ut Præconis munere fungens, & Pacis Conciliator; ſiniſtra marſupium, ſive *burſam* tenens. Hinc Arnobio lib. IV. *Mercurius* dicitur, *ore facundus, & geſtator affabilium colubrarum.* Iſidorus Origin. lib. VIII. cap. XI. *Mercurius virgam tenet, quæ ſerpentes dividit, id eſt, venena. Nam bellantes & diſſidentes Interpretum oratione ſedantur.* Ad formam in nummo expreſſam pertinet deſcriptio Albrici lib. de Deor. Imaginibus, ubi de Mercurio: *Erat ipſius ſignum homo nudus,* (ſic enim legendum, non *unus*, ut vulgo) *qui in capite alas habebat: in manu ſua læva, virgam tenebat, quæ virtutem habebat ſoporiferam, & quæ erat ſerpentibus circumdata.*

*eumdata. Galerum quoque seu umbellam capite deportabat.* Nec non illa Appuleji Metamorphos. lib. X. *Adest luculentus puer nudus, nisi quod ephebica chlamida siniſtrum tegebat humerum: flavis crinibus usquequaque conspicuus: & inter comas ejus, aureæ pinnulæ cognatione simili sociatæ, prominebant, quem caduceus & virgula, Mercurium indicabant.* De *Marsupio* Mercurii Georgius Codinus de Origin. Constantinop. Τὸ κέρδος αἴπον λέγουσι ⸫ τὸ ἐμπόριον τὸν Ἑρμῆν, ὅθεν ⸫ τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἰσάσι βαστάζειν μάρσιπον. *Mercurium lucri auctorem perhibent, & præsidem mercaturæ, eamque ob causam simulachrum ejus marsupium gestare faciunt.* Sic in alio

Num. *Postumi*, cum simili Inscr. MERC. PACIFERO. VIII. *Mercurius* itidem nudus & petasatus cernitur, sed loco Caducei dextra *Oleæ* ramum tenet; siniſtra quod habet, quid sit, vix divinare liceat, nisi quis forsan putet esse truncum arboris *oleæ* vel *palmæ* inversæ; ut utraque manu Pacis Symbolum gestare videatur. De Mercurio nihil præterea addemus, nisi hæc Georgii Codini De Origin. Constantinop. verba de simulacro Mercurii alati Constantinopoli tum conspicuo, quia non omnibus obvia: Τὸν Ἑρμῆν οἱ Ἕλληνες καὶ οἱ λοιποὶ τῶν ἀρχαίων Ῥωμαίων, κατὰ τὴν αὐτῶν πεπλανημένην μυθολογίαν, υἱὸν Διὸς λέγουσι καὶ Μαίας, ὅπερ ἐστὶ νοῦ καὶ τῆς φρονήσεως. ἐκ νοῦ γὰρ καὶ φρονήσεως ὁ λόγος γεννᾶται. διὰ τοῦτο ⸫ πτερωτὸν αὐτὸν ποιοῦσι, ὡς ταχύν. οὐδὲν γὰρ λόγου ταχύτερον. καὶ Ὁμήρῳ, ἔπεα πτερόεντα. *Græci & Romani veteres secundum falsam eorum mythologiam dicunt Mercurium Iovis & Maiæ filium esse, id est, mentis & prudentiæ: nam ex mente & prudentia oritur oratio. Propterea etiam alatum fingunt, quia sermone nihil est velocius. Vnde Homerus verba vocat alata.* Addit porro Codinus: Πάντων ὢν νεώτατον αὐτὸν ἐργάζονται, διά τε μὴ γεραίνειν τὸν λόγον. ἀλλὰ ⸫ τετράγωνον αὐτὸν ποιοῦσι, διὰ τὴν στερρότητα καὶ ἀληθοῦς λόγου. *Præterea fingunt eum omnium*

*deorum natu minimum, quia non senescit oratio; atque etiam quadratum, ob veri sermonis firmitatem & constantiam.*

IX. Num. *Gentis Aureliæ*, sine Inscr. Caput barbatum, cum pileo, cui laurus circumdata, & forcipe pone cervicem, *Vulcanum* deum repræsentat in medio coronæ laureæ. Barbatus cernitur, uti ab antiquis fingebatur. Val. Cato in Diris:

*Nam certe Vulcanus opus faciebat, et illi*
*Tristi turpabat malas fuligine barba.*

ut recte posterior versus à Ios. Scaligero olim restitutus. De Pileo Vulcani Arnobius lib. VI. *Cum pileo Vulcanus, & malleo, manu liber, sed dextera & fabrili expeditione succinctus.* Pileus Vulcano attribuitur, quia fabri ferrarii, & id genus opifices pileum gestare solebant. Arrianus lib. IV. Dissert. Epicteti cap. VII. οὐδεὶς δ' ἐρεῖ, ἐγὼ μουσικός εἰμι, ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάρον ἀγοράσῃ. οὐδ' ἐγὼ χαλκεύς εἰμι, ἂν πιλίον καὶ περίζωμα περιθῆται. *Nemo autem se Musicum esse dicit, cum plectrum & citharam mercatus fuerit; neque fabrum ærarium si pileo & perizomate instructus fuerit.* Et paulò pòst: Εἰ δ' οὕτω κωφὸς εἶ, καὶ τυφλὸς, ἵνα μηδὲ τὸν Ἥφαιστον ὑπολαμβάνῃς καλὸν χαλκέα, ἂν μὴ τὸ πιλίον ἴδῃς περὶ τὴν κεφαλὴν περικείμενον. *Sin ita surdus & cæcus es, ut ne Vulcanum quidem fabrum præclarum opineris; nisi pileum capite eius impositum videris.* Cæterum de pileo Vulcani mysticam rationem Eusebius De præparat. Euang. lib. III. cap. XI. ex Porphyrio adfert: τοῦ δ' ἂν πυρὸς τὴν δύναμιν προσείποντες Ἥφαιστον, ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πίλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον, τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυροί ἐστι τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον. *Porro vim ignis Vulcani nomine expresserunt, ejusque simulachro hominis in speciem configurato cæruleum pileum indide-*

*indiderunt, quo cælestem illam conversionem denotarent, ubi primogenius & ab omni fæce purissimus Ignis domicilium suum collocavit.*

Num. *Valeriani* cum Inscript. DEO VOLKANO. Cernitur heic *Templum*, in quo *Vulcanus* cum officina sua, dextram, in qua malleum tenet, elevatam habens; sinistra vero forcipem gestans. Albricus de Imaginibus Deorum. *Vulcanus deus ignium pingebatur similitudine fabri deformis, & claudi, malleum in manu tenentis.* & paullo post: *Iuxta ipsum Vulcanum depicta erat officina.* X.

Huc facit illud Virgilii lib. VIII Æneid.

*Haud secus Ignipotens, nec tempore segnior illo*
*Mollibus è stratis, opera ad fabrilia surgit.*

Hinc Lucianus in De Sacrificiis I. scribit Iunonem è subventaneo conceptu gravidam, παῖδα γεννῆσαι τὸν Ἥφαιστον, οὐ μάλα ἐντυχῆ τοῦτον, ἀλλὰ βάναυσον, καὶ χαλκέα, καὶ πυρίτην, καὶ ἐν καπνῷ τοπᾶν βιοῦντα, καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων· οἷα δὴ καμινευτήν. *puerum edidisse Vulcanum, eumque non valde fortunatum, sed fornacarium, & fabrum ærarium, ignipotentem & in fumo perpetuo viventem, & scintillis oppletum, utpote qui circa caminos versatur.* Templum Vulcano Romæ vovisse Titum Tatium Dionysius Halicarnasseus lib. II. scribit. Ædem Vulcani in Circo Flaminio collocant Sext. Rufus & P. Victor de Region. Vrbis. Quemadmodum autem in hoc Nummo scribitur VOLKANVS; sic etiam non semel in antiquis Insctiptionibus, quæ videri possunt in Corpore Gruteriano pag. MXIV.

Num. *L. Corn. Sullæ Dictatoris* cum Inscr. FEELIX. *Caput* Diademate cinctum, quod F. Vrsinus in Familiis Romanis vult est *Fausti* filii Sullæ, in cujus honorem hunc nummum à filio cu- XI.

ſum vult. Aliis vero, placet, quos inter primum honoris cauſſa nomino Petr. Seguinum Illuſtrem illum Abbatem Pariſienſem, in hoc ſtudiorum genere verſatiſſimum, in Epiſtola ad Fr. Gottifredum Equitem Rom. ubi & Valcurium Schinkelium, & Caſp. Gevartium, tanquam Sententiæ ſuæ ſuſtraganeos recenſet, quibus noviſſime etiam accedit Cl. Car. Patinus in Familiis Romanis à ſe reſtitutis & auctis, his, inquam, placet, & meritò, meo quoque judicio, non Fauſti caput heic exprimi, ſed *Iugurthæ*, Regis Numidarum; prorſus enim Africanum, barbaricum, & βασιλικὸν eſſe videtur, uti recte animadvertit Seguinus; utpote. Diademate cinctum; cujus, ut regii inſignis, uſum non video, qui Civis Romanus, vigente adhuc Republica, ſibi vindicare potuerit; & cur Fauſtus filius ſibi hoc adſumere auſus eſſet, cum Sulla pater, qui etiam omnes Romanorum ante ſe poteſtate, quam in Republica obtinuit, anteceſſit, nuſquam tamen tale quid ſibi arrogaſſe legatur? Dubium itaque nullum eſt, quin regis Iugurthæ facies hic expreſſa, cum regio diademate. Inſcriptio FEELIX, quæ heic legitur, Sullæ cognomen deſignat, in cujus rei geſtæ cum Iugurtha memoriam, hic nummus, à filio percuſſus, uti & ſequens nummus, ubi idem cognomen, cum integra Iugurthæ hiſtoria, ut ſtatim videbimus, cernitur. Sullam autem FELICIS cognomen ſibi adſumpſiſſe præter Appianum lib. I. Bell. Civil. & Plutarchum in ejus Vita. Teſtis quoque Plinius lib. VII. cap. XLIII. *Vnus hominum*, inquit, *ad hoc ævi*, FELICIS *ſibi cognomen aſſeruit L. Sulla, civili namque ſanguine ac patriæ oppugnatione adoptatus.* Hinc Valerius Maximus lib. VI. cap. IX. de Sulla: *Virum dicerem fortem, niſi ipſe ſe* FELICEM *appellari maluiſſet.* Quo cognomine etiam Sulla ſæpius in antiquis Inſcriptionibus inſignitus legitur.

XII. Num. *Sullæ Dictatoris*, cum Inſcr. FEELIX. In hoc Nummo à Fauſto, filio Sullæ, quoque in honorem patris cuſo, integra & explicita Hiſtoria Iugurthæ ſignata eſt, nempe quo modo ipſe fere

fere nudus, ac humi in genua prolapſus, *Iugurtha*, capite quidem diademate cincto, ſed vinctis poſt tergum manibus, à *Boccho* rege, ejus ſocero, propemodum quoque nudo, & genibus nixo, *Sullæ* togato in ſolio ſedenti traditur; qua quidem traditione etſi Marius tum temporis Imperium exercitus Rom. in Africa obtineret, & etiam de Iugurtha poſtea Romæ triumphum duxerit, Sulla tamen ita gloriatus fuit, ut eam annulo, quo ſemper poſtea ſignabat, inſcalpendam curaverit, ut tradit Plutarchus in ejus Vita: Καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ Σύλλας φύσει τε μεγαλαυχὸς ὤν, καὶ τότε πρῶτον ἐκ βίου ταπεινοῦ καὶ ἀγνῶτος, ἔν τινι λόγῳ γεγονὼς παρὰ τοῖς πολίταις, καὶ τοῦ τιμᾶσθαι γενόμενος, εἰς τοῦτο φιλοτιμίας προῆλθεν, ὥστε γλυψάμενος ἐν δακτυλίῳ φορεῖν εἰκόνα τῆς πράξεως· καὶ ταύτῃ γε χρώμενος ἀεὶ διετέλεσεν· ἦν δὲ ἡ γραφὴ, Βόκχος μὲν παραδιδοὺς, Σύλλας δὲ παραλαμβάνων τὸν Ἰουγούρθαν. *Nam & ipſe Sylla, cum eſſet ſua ſponte jactabundus, & tunc primum ex vita abjecta & tenebris in lucem civium emerſiſſet, guſtumque cepisſet honorum, eò erupit ambitionis, ut facti hujus ſculptam in annulo geſtaret imaginem, qua etiam perpetuo deinceps ſignavit. Exprimebatur autem ſculptura Bocchus tradens, & Sylla accipiens Iugurtham.* Plane, uti heic in Nummo expreſſum videmus. Repetit eandem rem Plutarchus in Vita Marii: Αὐτός τε Σύλλας σφραγῖδα ποιησάμενος, ἐφόρει γλυφὴν ἔχουσαν ἐγχειριζόμενον ὑπὸ τοῦ Βόκχου τὸν Ἰουγούρθαν ἑαυτῷ· καὶ ταύτῃ χρώμενος ἀεὶ διετέλει. *Ipſe Sylla ſigillum fieri curavit, in quo ſculptum erat, quomodo Iugurtha ipſi à Bocho tradebatur; quo ſigillo uſus eſt perpetuo.* Meminit ejus rei quoque Plinius lib. XXXVII. cap. I. ubi ait: *Sulla Dictator traditione Iugurthæ ſemper ſignavit.* Nec non Valerius Maximus lib. VIII. cap. XV. hiſce verbis: *L. autem Sulla, etſi ad neminem ſcriptorum animum direxit, tamen Iugurtha à Bocho rege ad Marium perducto, totam ſibi laudem cupide aſſeruit, ut annulo, quo ſignatorio utebatur,*

*ſcalptam illam traditionem haberet.* Ex tam frivola autem & levi cauſa ſimultas primùm inter Marium & Sullam nata, ἡ μὲν οὖν ἔχθρα βραχεῖαν οὕτω καὶ μειρακιώδη λαβοῦσα τὴν πρώτην ὑπόθεσιν καὶ ἀρχὴν, ſunt verba Plutarchi in Vita Sullæ, poſtea in atrociſſimum & teterrimum civile bellum erupit; cujus etiam fomentum, paullo poſt Plutarchus hoc modo ſubjungit: ἡ μέν τοι πρὸς Μάριον αὐτῷ στάσις ἀνερρίπιζετο, καινὴν ὑπόθεσιν λαβοῦσα τὴν Βόκχου φιλοτιμίαν, ὃς τὸν δῆμον ἅμα θεραπεύων ἐν Ῥώμῃ, καὶ τῷ Σύλλᾳ χαριζόμενος, ἀνέθηκεν εἰκόνας ἐν Καπιτωλίῳ τροπαιοφόρους, καὶ παρ' αὐτοῖς χρυσοῦν Ἰουγούρθαν ὑφ' ἑαυτοῦ Σύλλᾳ παραδιδόμενον. ἐφ' ᾧ τοῦ Μαρίου βαρυθυμουμένου καὶ καθαιρεῖν ἐπιχειροῦντος, ἑτέρων δὲ ἀμύνειν τῷ Σύλλᾳ, καὶ τῆς πόλεως ὅσον οὔπω διακεκαυμένης ὑπ' ἀμφοῖν, ὁ συμμαχικὸς πόλεμος, πάλαι τυφόμενος, ἐπὶ τὴν πόλιν ἀναλάμψας, τότε τὴν στάσιν ἐπέσχεν. *At diſſenſio Syllæ cum Mario ex nova occaſione recruduit Bochi dono. Qui ſimul ad demerendum populum, & in gratiam Syllæ, ſigna Victoriæ in Capitolio dedicavit, juxtaque Iugurtham ex auro factum, ut Syllæ ab ſe fuerat traditus.* (eodem haud dubie modo ac habitu, uti in hoc Nummo ſcalpti ſunt, qui in ejus rei memoriam videtur cuſus.) *Qua de re exacerbato Mario, & detrahere ea ſigna parante, aliis vero Syllæ auxilium ferentibus, civitas pene eſt ab utriſque partibus inflammata. Cæterum bellum ſociale jampridem adverſus urbem fumans, cum flagraſſet, compreſſit ſeditionem in præſenti.* Ejusdem rei, quomodo ſcilicet Bochus, rex Numidarum, ἔστησιν ἐν Καπιτωλίῳ ἐν εἰκόσι χρυσαῖς Ἰουγούρθαν ἐγχειριζόμενον ὑπ' αὐτοῦ Σύλλᾳ *in Capitolio ſtatuerit aurea ſigna Iugurthæ à ſe Syllæ traditi*, & ex inde Marianæ æmulationis, meminit quoque Plutarchus in Vita Marii. FEELIX in hoc, & præcedenti Nummo per duplex EE ſcriptum, more antiquorum, qui ſæpius in Syllabis longis vocales

TAB. XLIV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Bloteling f.

les geminare ſolebant, uti in antiquis Inſcriptionibus iſtud non ſemel occurrit.

# TABVLA XLIV.

I. *.

Num. *Gallieni*, cum Inſcr. LIBERO. P*atri* CONSE*rvatori* AVG*ufti*. In hoc Gallieni Nummo *Libero Patri* ſive *Baccho* inſcripto, cernitur tantummodo *Panthera*, ſive *Tigris* animal ſcilicet Baccho ſacrum, ac in ipſius comitatu, currui vel ipſius junctum. Ovidius lib. III. Metamorph. De Baccho: II.

*Ipſe racemiferis frontem circumdatus uvis*
*Pampineis agitat velatam frondibus haſtam:*
*Quem circa Tigres, ſimulacraque inania Lyncum,*
*Pictarumque jacent fera corpora Pantherarum.*

Idem lib. I. Art. Amator.

*Iam Deus in curru, quem ſummum texerat uvis.*
*Tigribus adjunctis aurea lora dabat.*

Sic Virgilius lib. VI Æneid.

*Nec qui pampineis victor juga flectit habenis,*
*Liber, agens celſo Nyſæ de vertice Tigres.*

Abricus de Imaginibus Deor. de Baccho: *Erat imago ſua facie muliebri, pectore nudo, capite cornuto, vitibuſque coronato, qui ſuper Tigride equitabat*: Cauſſam adducit Phurnutus, ſive Cornutus, ἐν τῷ περὶ Ἑλληνικῆς θεολογίας, (Sic enim, ut hoc obiter moneam,

moneam, ab Etymologici Magni auctore citatur; & Theodoretus Therapeut. lib. II. ſcribit: Κορνοῦτος δὲ ὁ φιλόσοφος τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν ξυντέθεικε.) non, ut vulgo inſcribitur, περὶ τῆς τῶν Θεῶν φύσεως. Τὰς δὲ παρδάλεις ὑποζευγνύασι τῷ Διονύσῳ, καὶ παρακαλουθούσας εἰσαγούσιν, ἤτοι διὰ τὸ ποικίλλον τῆς χροιᾶς, ὡς τὸ νεβρίδα αὐτὸς περιῆπται, καὶ αἱ βάκχαι, ἢ ὡς καὶ τὰ ἀγριώτατα τῶν ἀνδρώπων ἤθη τῆς συμμέτρου οἰνώσεως ἐξημερούσης. *Currui Bacchi junguntur pardi, eundemque quidam pardi ſequuntur. Hoc fit, aut propter varietatem colorum: nam Bacchus ipſe indutus eſt nebride, eademque velatæ ſunt Mænades; aut, ut demonſtretur nullius hominis mores adeo eſſe efferos, ut non queant moderato vini potu miteſcere.* Quare autem LIBERO PATRI tanquam CONSERVATORI AVGVSTI Gallienus ſe commenmendet, nemini, qui ejus Vitam apud Trebellium Pollionem legerit, mirum videbitur, utpote, *qui natus abdomini & voluptatibus, dies ac noctes vino & ſtupris perdidit*, ut de eo Trebellius loquitur. Cumque ingens de Valeriano patre ejus apud Perſas captivo querela eſſet, Gallienus tamen, ad talia non movebatur, *obſtupefacto* inquit, Trebellius, *voluptatibus corde; ſed ab iis qui circum eum erant, requirebat. Equid habemus in prandio? ecquæ voluptates paratæ ſunt? & qualis cras erit cæna? quales Circenſes?* Et paullo poſt: *Bibit in aureis ſemper poculis, aſpernatus vitrum, dicens nihil eſſe eo communius. Semper vina variavit; neque unquam in uno convivio ex uno vino duo pocula bibit.* Cum ſic viveret Gallienus, non mirum utique eum Liberum Patrem, tanquam ſui Conſervatorem elegiſſe. Ejusdem indolis videtur fuiſſe, quiſquis tandem fuerit, cujus Inſcriptio legitur apud Gruterum pag. LXVII

DIIS. MAXIMIS
BACHO. ET. SOMNO
HVMANÆ. VITÆ

SVA-

SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB
SACRVM

Et cujus putaveris fuiſſe Romanos iſtos, quos C. Titius Vir Lucilianæ ætatis, in Oratione, qua legem Fanniam ſuaſit, deſcribit; cujus verba nobis conſervavit Macrobius, lib. II. Saturnal, cap. XII. *Deſcribens enim homines prodigos*, inquit Macrobius, *in forum ad judicandum ebrios commeantes, quæque ſoleant inter ſe ſermocinari, ſic ait:* Ludunt alea, ſtudioſe unguentis delibuti, ſcortis ſtipati. ubi „ horæ decem ſunt; jubent puerum vocari, ut comitium eat per-„ cunctatum, quid in foro geſtum ſit, qui ſuaſerint, qui diſſuaſerint, „ quot tribus juſſerint, quod vetuerint. inde ad comitium vadunt, „ ne litem ſuam faciant. dum eunt, nulla eſt in angiportu amphora, „ quam non impleant; quippe qui veſicam plenam vini habeant. Ve-„ niunt in comitium triſtes, jubent dicere. quorum negotium eſt, „ dicunt. ipſus it minctum. ubi redit, ait ſe omnia audiviſſe, tabulas „ poſcit, litteras inſpicit. vix præ vino ſuſtinet palpebras. eunti in „ conſilium ibi hæc oratio: Quid mihi negotii eſt cum iſtis nugaci-„ bus? quam potius potamus, mulſum mixtum vino Græco, „ edimus turdum pinguem, bonumque piſcem lupum germa-„ num, qui inter duos pontes captus fuit? *Hæc Titius.* ſubjungit „ Macrobius.

III. *.

Num. *Traiani*, cum Inſcript. P. M. TR. P. COS. III. IV. P. P. Statua *Herculis*, aut *Trajani* Herculis habitu, cum Leonis exuviis circa caput & humeros, clava in dextra, & pomo Heſperidum in ſiniſtra manu. Imperatoribus enim ſtatuæ ſæpius cultu Herculis poſitæ. Sic de ſtatua Cæſaris Domitiani, hac formâ Martialis lib. IX. Epigr. LXV.

*Herculis in magni vultus descendere Cæsar*
*Dignatus, Latiæ dat nova templa viæ.*

Et Epigr. LXVI.

*Alcide Latio nunc agnoscende Tonanti,*
*Postquam pulchra Dei Cæsaris ora geris.*

Nec non Epigr. CIII.

*Appia, quam simili venerandus in Hercule Cæsar*
*Consecrat, Ausoniæ maxima fama viæ.*

Ita Hadrianus quoque Herculis habitu haud semel in Nummis visendus, ut refert Ios. Scaliger ad Eusebii Chronicon in Hadriano, ad an. MMCXXXIX. de Commodo statim videbimus. Quod ad Herculis habitum, de eo sic Albricus in De Deorum Imaginibus: *Secunda Victoria Herculis notabilis fuit, quia ipse pugnasse cum Leone, ipsumqe clava mactasse, & interempto pellem abstulisse dicitur. quo deinde spolio incessit semper indutus, signum victoriæ perceptæ. In quo etiam ostentatur animi fortitudo, contra quam nulla vis corporea prævalet, quæ semper spolium leonis, id est, vim virtutis defert.*

V. Num. *Commodi*, cum Inscr. AVREL. COMM. AVG. P. FIL. Caput *Commodi* Imperatoris. cum exuviis Leonis, Herculis instar, quo cognomine monstrum hoc hominis maxime gaudebat Xiphlinus de eo: ἑαυτῷ δ' ἄλλας τε παμπόλλας ἐπωνυμίας καὶ τὴν Ἡρακλέους ἀπηνέγκε. *Multa verò cognomina sibi assumpsit sed præsertim Herculis.* Hinc etiam in aversa parte hujus

VI. Num. inscriptio exstat HERCVL*i* ROMAN*o* AVGV. SC. cum Clava in medio coronæ lauræ posita. Æl. Lampridius in Commodo: *Appellatus est etiam* ROMANVS HERCVLES,

*quod*

*quod feras Lanuvii in Amphitheatro occidisset. Erat enim ei hæc consuetudo, ut domi bestias conficeret.* Et paullo post: *Accepit statuas in Herculis habitu, eique immolatum est, ut Deo.* Xiphilinus ex Dione: Καὶ ἀνδριάντες αὐτοῦ παμπληθεῖς ἐν Ἡρακλέος σχήματι ἔστησαν. *Pleræque statuæ habitu Herculis ei collocatæ sunt.* Et mox: οὗτος οὖν ὁ χρυσοῦ, οὗτος ὁ Ἡρακλῆς, οὗτος ὁ θεὸς (καὶ γὰρ τοῦτ' ἤκουεν) ἐξαίφνης ποτὲ μετὰ μεσημβρίαν ἐκ τοῦ προαστείου σπουδῇ ἐς τὴν Ῥώμην ἐλάσας, τριάκοντα ἵππων ἁμίλλας ἐν δυσὶν ὥραις ἐποίησεν. *Hic verò aureus, hic vero Hercules, hic Deus, (nam hoc quoque nomine appellabatur) aliquando de improviso post meridiem, ex suburbio celeriter Romam venit, ac triginta equorum certamen duabus horis perfecit.* Sic in alio

Num. *Commodi*, cum eadem Inscript. HERCVLI. ROMANO. AVG. SC. cernitur *Clava* inter *Arcum* & *Pharetram* sagittis instructam, quæ Herculis arma Commodus quoque usurpabat. Xiphlinus ex Dione: ἡ γὰρ λεοντῆ τό, τε ῥόπαλον ἕν τε ταῖς ὁδοῖς προεφέρετο αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς θεάτροις ἐπὶ δίφρου ἐπιχρύσου εἴτε παρῄει, εἴτε καὶ ἀπῄει, ἐτίθετο. *Pellis quidem leonis, clavaque gestabantur ante eum, quum iter faceret: in theatris autem, sive adesset ipse præsens, sive abesset, in Sella aurea collocabantur.* Et mox: Ἀνυπόδετος ἔργου εἴχετο. καὶ ἐν μὲν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ἄρκτους τε ἑκατὸν αὐτὸς μόνον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς περιβολῆς τῆς κρηπῖδος ἀκοντίζων, ἀπέκτεινε. *Nudis pedibus ad rem gerendam aggrediebatur, ac primo quidem die centum ursos ipse duntaxat desuper ex ambitu crepidinis jaculis confecit.* Idem paullo post: Τοῦ δὲ λοιποῦ δημοῦ πολλοὶ μὲν οὐδὲ εἰσῆλθον ἐς τὸ θέατρον, εἰσὶ δ' οἳ πασκύψαντες ἀπηλλάττοντο, τὸ μὲν τε αἰσχυνόμενοι τοῖς ποιουμένοις, τὸ δὲ καὶ δεδίοτες· ἐπειδὴ λόγος διῆλθεν ὅτι τοξεῦσαι τινὰς ἐθελήσει, ὥσπερ ὁ Ἡρακλῆς τὰς Στυμφαλίδας.

VII.

φαλίδας. *Multi verò ex reliqua plebe ne introibant quidem theatrum; plerique, ubi paullum intro spectassent, discedebant, partim eorum pudore quæ perpetrabantur, partim, quod rumor sparsus esset, eum sagittis quosdam velle conficere, ut Hercules Stymphalides.* Sic quoque Lampridius de eo: *Clava non solum leones in veste muliebri & pelle leonina, sed etiam multos homines afflixit. Debiles pedibus, & eos, qui ambulare non possent, in gigantum modum formavit, ita ut à genibus de pannis & linteis quasi dracones dirigerentur: eosdemque sagittis confecit.*

VIII. Num. *Probi* cum Inscript. HERCVLI. ROMANO. AVG. Imperator *Probus* sub figura *Herculis*, siniſtra clavam & pellem leoninam tenentis, dextram vero super trophæum erectum protendentis. Hic vero nomine *Hercules Romanus* dici merito potuit, ut pote, qui tot labores militares pro Republica obiverit, tot gentes, & barbaras nationes vi bellica domaverit, & ante, & postquam ad Imperium pervenerit, quot ante eum fere Imperatorum nemo, uti ista apud Vopiscum in ejus Vita legere est. Unde & ipsi in Senatu acclamatum: *Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia.* Et Manlius Statianus Oratione in Senatu habita, De Probo inter alia, ita loquitur apud Vopiscum: *Enim vero, quæ mundi pars est, quam ille non vincendo didicerit? Testes sunt Marmaridæ in Africæ solo victi, testes Franci, inviis strati paludibus, testes Germani & Alemanni, longe à Rheni submoti littoribus. Iam vero, quid Sarmatas loquar, quid Gothos, quid Parthos ac Persas, atque omnem Ponticum tractum? ubique vigent Probi virtutis insignia. Longum est dicere, quot Reges magnarum gentium fugaverit, quot Duces manu sua occiderit.* &c.

IX. Num. *Commodi*, cum Inscript. HERC. ROM. COND. COS. VII. P.P. Ubi vesanus Imperator iterum habitu *Herculis*, cum clava & pelle leonina in siniſtra cernitur, dextra vero quasi abigens ante se duos juvencos, *Bovem* nimirum & *Vaccam*;

quo

quo ſchemate ſtatuam Commodo erectam ſcribit Xiphilinus Καὶ ἀνδρίας τε αὐτῷ χρυσοῦς χιλίων λιτρῶν μετά τε ταύρου καὶ βοὸς θηλείας ἐγένετο. *Ad hæc ei ſtatua aurea mille librarum cum Tauro & Vacca facta eſt.* Commodi Imp. cum habitu Herculis mentionem quoque facit Athenæus lib. XII. Deipnoſoph. ubi poſtquam de Alexandri Magni nimio luxu, quodque is nonnunquam cum pelle leonis & clava incederet, quædam dixiſſet, ſubjungit: Τὶ οὖν θαυμαστὸν, εἰ καὶ καθ' ἡμᾶς Κόμμοδος ὁ αὐτοκράτωρ ἐπὶ τῶν ὀχημάτων παρακείμενον εἶχε τὸν Ἡράκλειον ῥόπαλον, ὑπεστρωμένης αὐτῷ λεοντῆς, καὶ Ἡρακλῆς καλεῖσθαι εἴθελεν. &c. *Quid igitur mirum, ſi Commodus Imperator apud nos in curru appoſitam habuit clavam Herculeam, ſubſtrata ipſi leonis pelle, & Herculem vocari ſe voluit?* Videtur autem Commodus inter cætera ad hanc inſaniam perveniſſe, ut pro Hercule, tanquam monſtrorum domitore, haberi voluerit, quod cum gladiatoribus in arenam deſcenderet, quodque tot feras, quas inter & elephantos nonnullos manu ſua profligaret. Lampridius in ejus Vita: *Inter hæc refertur in literas, pugnaſſe illum ſub patre trecentices ſexagies quinquies. Item poſtea tantum palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiariis, vel occiſis, ut mille contingeret. Ferarum autem diverſarum manu ſua occidit multa millia; ita ut elephantos occideret. Et hæc fecit ſpectante populo Romano. Fuit autem validus ad hæc, alias debilis & infirmus.* Et paullo poſt: *Virium ad conficiendas feras tantarum fuit, ut elephantum conto transfigeret: & orygis cornu haſta transmiſerit: & ſingulis ictibus multa millia ferarum ingentium conficeret.* Hinc ſtolida illa arroganria.

Num. *Poſtumi*, cum Inſcript. HERC*uli* DEVSONIENSI. X.
*Hercules* cnm Spolio leonis in capite & à tergo pendente, ſiniſtra arcum, dextra clavam humi poſitam tenens. Quis vero hic HERCVLES DEVSONIENSIS, non ita facile dictu eſt. Hoc quidem conſtat, Adolphum Occonem in Numismati-

bus Impp. à ſe editis, Hub. Goltzium in Theſauro Rei Antiquariæ, & Abr. Ortelium in Theſauro Geographico, Viros omnes optime de re literaria meritos, à ſcopo aberraſſe, dum diviſim hic legunt, HERCVLES- DEVS. ONIENSIS. Nam omninò conjunctis legendum DEVSONIENI, ut optime Sirmondo ad Sidonium, & Hemelario ad Impp. Rom. Aurea Numiſmata animadverſum. Sic enim Hercules nuncupatus à *Deuſone*, Veterum Francorum trans Rhenum urbe, ad quam olim regnante Imperatore Valentiniano, Saxones cæſos eſſe ſcribit Hieronymus in Supplemento Chronici Euſebiani; ita enim ad annum IX. Valentiniani Imp. *Saxones cæſi Deuſone in regione Francorum.* Sic totidem verbis Caſſidorus in Chronico, Valentiniano IV. & Valente IV. COSS. *His Coſſ.* inquit, *Saxones cæſi Deuſone in regione Francorum.* Hinc *Hercules Deuſionenſis* dictus, quod ibi fanum habuerit, & ab ejus regionis incolis cultus fuerit. Sed ubi locorum *Deuſo* urbs olim ſita? Divionem Burgundiæ Urbem non eſſe ut Ortelius putavit, optime ὁ πάνυ Scaliger ad Euſebium obſervat; qui & addit; omnino *Deuſo* eſt urbs aut locus in finibus Francorum & Saxonum circa Rhenum. Sunt, qui arbitrantur *Duiz* prope Coloniam Agrippinæ eſſe. Ejus incolæ Poſtumum, ut alterum Herculem appellarunt, ſed *Deuſonienſem*, qualem ſcilicet ipſi ſibi proprium fingebant; quemadmodum quævis fere gens olim ſuum habuit Herculem Παχώνιον. Verum hoc *Deuſonieniſis* cognomen, quod heic Herculi tribuitur, numquid forte videtur quandam habere affinitatem, aut convenientiam, cum cognomine *Deſanaus*, quo Hercules à Phœnicibus appellatur, ut ſcribit Euſebius in Chronicis ad Num. CCCCXCVII. *Hercules cognomento Deſanaus, in Phenice clarus habetur. Vnde & ad noſtram uſque memoriam à Cappadocibus & Elienſibus, Deſanaus adhuc dicitur.* Quæ verbis iiſdem leguntur apud Marianum & Florentium Wigornienſem. Quamvis in MSS*tis*, atque editis nomen hoc varie expreſſum ſit, modo *Deſinaos*, modo *Deſinas*, *Deſinaus*,

*naus, Doſinaus* & *Deſonaas;* Quicquid ſit, literarum ſane Characteres non longe à ſe invicem abeunt; &, cum Carthago à Phœnicibus condita ſit, cognomem iſtud etiam Herculi in Africa tribui potuerit; & à Poſtumo in Nummis renovari; ſed iſta ulterius indaganda forent; itaque in medio relinquo. Potius inclinat animus, hunc nummum ab incolis regionis, ubi *Deuſo* urbs ſita fuerit in honorem Paſtumi cuſum, utpote qui apud Francos rebus geſtis clarus evaſerit. Sic in alio

Num. *Poſtumi*, cum Inſcr. HERCVLI MACVSANO. XI. Cernitur viciſſim *Hercules* nudus cum exuviis leonis, & clava in ſiniſtra, dextra poſt tergum inclinata. Idem adulationis genus in hoc nummo apparet atque in præcedenti; nam ab iis, qui nummum percuſſerunt, Poſtumus HERCVLES MACVSANVS nuncupatur, quo cognomine ſcilicet Herculem ſuum iſti appellabant. Sed æque incertum, niſi incertius adhuc, ubi iſta *Macuſa*, vel *Macuſum*. Repertus quidem eſt anno clɔ lɔ xiv. in Zelandia, in pago Walachriæ, qui Weſtcapellæ nomen habet, Vetus lapis inſcriptus HERCVLI MAGVSANO; hac nimirum formula:

HERCVLI
MAGVSANO
M. PRIMIIVS
TERTIVS
V. S. L. M.

Sic enim hanc Inſcriptionem ex ipſo lapide, qui inſpexit, Ortelius in Theſauro Geographico, exhibet, non, ut alii, HERCVLI MARCVSANO, & quemadmodum etiam in Corpore Gruteriano pag. MLXX. male legitur; cum nec litteræ caninæ, ut Ortelius, nec ejus veſtigium ullum in lapide, quem diligenter

ſe

ſe inſpexiſſe ait, cernatur. Hinc autem Ortelius putat, Herculis ejus cognominis fanum prope Scaldis oſtia olim fuiſſe, ac in Poſtumi Nummis hunc indicari, cum conſtet ex Trebellio Pollione, Paſtumum Imp. heic, Transrhenani hujus limitis Ducem, & Galliæ Præſidem factum à Valeriano. Triſtanus Sanctamantius *Macuſam* conjicit referri poſſe ad Moguntiam; ſed in re obſcura, & ubi meræ tenebræ ſunt, præſtat ἐπέχειν.

XII. Num. *Familiæ Romanæ*, uti videtur, cum ſine Inſcriptione ſit, ubi expreſſum Caput *Herculis*, uti ex leonis ſpoliis circa collum & clava, ſatis manifeſtum; in averſâ hujusce Nummi parte, quæ exſtat apud Fulv. Urſinum inter *Incerta*. Videre eſt Equitem qui alterum ad huc equum manu ducit; cum literis D. S. S. quæ explicantur, DEVS FIDIVS. SEMO. SANCVS. ſive, DEVS-FIDIVS. SANCTVS. SANCVS, id eſt, Hercules, uti conſtat ex verbis Varronis lib. IV. de L. L. *Ælius Gallus Dius Fidius dicebat Diovis filius, ut Græci* Διόσκορον, *Caſtorem: & putabant hunc eſſe Sancum ab Sabina lingua, & Herculem ab Græca.* Et illis Feſti: *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia Herculi, aut Sanco, qui ſcilicet idem eſt deus.* Nec non iſtud ejuſdem: *Statua ejus eſt in æde Sanci, qui deus Dius Fidius eſt.* SEMONEM præterea vocatum & ædem in colle Quirinali habuiſſe ex hiſce Ovidii lib. VI. Faſtorum liquet:

*Quærebam nonas Sanco, Fidione referrem,*
*An tibi, Semo pater? tunc mihi Sancus ait:*
*Cuicunque ex illis dederis, ego munus habebo,*
*Nomina terna fero, ſic voluere Cures.*
*Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,*
*Inque Quirinali conſtituere jugo.*

Sic in Antiqua Inſcriptione Lapidis Romæ ante nonaginta abhinc circiter

circiter annos, in insula Tiberina reperti, quæ exstat in Corpore Gruteriano, pag. XCVI.

SEMONI
SANCO
DEO. FIDIO
SACRVM
SEX. POMPEIVS. S P. F
&c. &c.

*Deum Fidium* autem, qui idem cum Hercule, quem & *Sancum* & *Semonem* à Sabinis vocatum audivimus, à Romanis *Sanctum* nuncupatum fuisse, legere est apud Dionysium Halicarnas. lib. IV. τοῦτόν ἐστὶ τῶν ὀρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι. *Ejus juris jurandi monumentum est Romæ positum in templo Dei Fidii, quem Romani* SANCTVM *vocant*:

Hinc Propertius lib. IV. Eleg. X. ad Herculem:

*Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Iuno,*
*Sancte velis libro dexter inesse meo.*
*Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,*
*Sic Sanctum Tatiæ composuere Cures.*

In antiqua Inscriptione Lapidis circa idem fere tempus, quo alter ille, reperti Romæ, in monte Quirinali, ubi Herculis fuit templum, quatuor ista nomina simul conjuncta leguntur; apud Gruterum, pag. XCVI.

SANCTO. SANCO
SEMONI. DEO. FIDIO

SACRVM. DECVRIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS

# TABVLA XLV.

I. Num. *Iuliæ Dominæ*, Severi Imp. Uxoris, cum Inſcript. MATER DEVM. *Iulia Severi*, habitu & cultu *Cybelis*, quæ & *Rhea*, *Ops*, *Berecynthia*, *Mater Deum*, *Mater Magna*, aliiſque nominibus apellata, cernitur heic veſte ante pectus variegata, ſellæ inſidens, capite turrito, dextra ramulum pinus, ſiniſtra, qua tympano aut cymbalo incumbit, ſceptrum tenens; ad ſellæ latus utrumque adſident duo hinc inde Leones. Quæ omnia juniorum in gratiam vel ad hunc, vel ad ſequentes Nummos, ubi ejuſdem Deæ imago expreſſa, declaranda. Ac primum de turrita corona, quæ Cybeli attributa, quia Terrarum Orbis, ſive Terra quæ ejus nomine intelligitur Urbibus excnlta eſt. Servius ad lib. III Æneid. *Quod autem turritam geſtat coronam, oſtendit ſuperpoſitas terræ eſſe civitates, quas inſignitas turribus conſtat.* Idem ad lib. X. Æn. *Civitates turritæ quas terra gerit, unde cum turrita corona Mater Deum pingitur.* Hinc & Lucretius lib. II. de Nat. Rer.

*Muralique caput ſummum cinxere coronæ*
*Eximiis munita locis quod ſuſtinet urbes.*

Phurnutus De Rhea: Πυργωτὸν ἔχει τὸν στέφανον, ὅτι διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐπὶ τῶν ὀρῶν τιθεῖς τὰς πόλεις ὀχυρωτάτας ἔνεκεν, ἢ ἐπεὶ ἀρχηγοί ἐσι τῆς πρώτης καὶ ἀρχετύπου οὐσίας καὶ κόσμου.

*Corona*

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



*Corona turrita ejus capiti imponitur, sive quod antiquitus urbes, quo essent loci natura magis munitæ, in montibus ædificabantur: sive quod causa & origo sit primæ mundi substantiæ.* Sed prior ratio est simplicior, ut turrita dicatur, quia Tellus turres & oppida habet. Aliam adhuc ejus rei rationem reddit Arnobius lib. V. ubi de Attide à Cybele amato, quem Midas Possinuntius rex filiæ suæ matrimonio jungere cupiens, oppido incluserat: *Verum Deum Mater*, inquit Arnobius *adolescentuli fatum sciens, interque homines illum tamdiu futurum salvum, quamdiu esset solutus à matrimonii fædere, ne quid accideret mæsti civitatem ingreditur clausam, muris ejus capite sublevatis: quod esse turritum ratione ab hac cæpit.* De Veste ejus variegata sic Phurnutus dicto loco: Κατὰ τοῦτο δὲ καὶ ἄλλους τινὰς τύπους περὶ τὸ στῆθος αὐτῆς περιτιθέασιν, ὡς τῆς τῶν ὄντων ποικιλίας, καὶ παντὸς χρώματος αὐτῆς γεγονοίας. *Propterea variis coloribus distinctas formas quasdam ejus pectori applicant, tanquam decora & amabilis eorum quæ sunt varietas.* De hac, uti & de sceptro ejus Fulgentius Mytholog. lib. III *Ideo & multiplici veste* (pingitur,) *quod omnis potentia ornata sit. Sceptrum etiam fert, quod omnis potentia vicina regno sit. Ob hanc rem etiam* MATER DEVM *dicta est.*

Num. *Iuliæ Ejusdem*, cum Inscript. MATRI DEVM II. SALVTARI. Heic similiter *Iulia Severi* habitu *Cybeles* sellæ insidet, cum tympano aut cymbalo, in manu sinistra & leonibus ad utrumque latus. Arnobius lib. VI. *Deûm Mater cum tympano.* Varro Rer. Divinar. lib. XVI. apud Augustinum lib. VII. De Civit. Dei. cap. XXIV. *Eandem dicunt Matrem Magnam; quod tympanum habeat significari esse orbem terræ.* Unde & cymbala & tympana in sacris ejus adhibita & concussa: cymbala autem ex ære, tympana ex tergo animantis facta erant. Unde Statius Papinius in VIII Thebaid:

——— *Gemina æra ſonant, Idæaque terga.*

Et Lucretius lib. II.

*Tympana tenſa tonant palmis, & cymbala circum*
*Concava.*

Item Catullus in Galliambo:

——— *Simul ite, ſequimini*
*Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ.*
*Vbi cymbalûm ſonat vox, & tympana reboant.*

Auſonius Epiſt. XXV.

*Cymbala dant flictu ſonitum, dant pulpita ſaltu*
*Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.*

Ex Sententia Phurnuti cymbala & tympana denotabant tonitru; quia ſecundum eum Ῥέα dicta ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod eſt *Fluere*, unde & imbrium cauſſam eſſe vult, & rationem addit Ὅτι οἱ ὄμβροι ὡς ἐπὶ πολὺ μετὰ βροντῶν καὶ ἀστραπῶν συμβαίνειν γίνεται· καὶ ταύτην παρεισάγουσι τυμπάνοις, καὶ κυμβάλοις, καὶ πευκαυνοῖς. ἢ λαμπαδοφορείοις χαίρουσαν. *Imbres enim ut plurimum cum tonitru ac fulmine contingunt. Quare eam inducunt, ut gaudentem tympanis ac cymbalis, & facibus geſtatis.*

III. Num. *Fauſtinæ*, Matris cum Inſcript. MATRI MAGNÆ. Heic *Fauſtina*, Antonini Pii uxor, habitu *Cybelis* turritæ ſellæ inſidentis, cum cymbalo & ramo pineo, ac leonibus ſcalpta eſt. Pineum eſſe ramum quem geſtat, exinde manifeſtum, quod Pinus arbor Matri Deum conſecrata, & quod fama ſit, Attin ab ipſa

ipſa in arborem Pinum converſum fuiſſe. Hinc ipſa apud Maronem IX. Æneid.

*Pinea Sylva mihi multos dilecta per annos,*

Ubi Servius notat:

*Pinus in tutela Matris Deûm eſt* De Attide in pinum converſo.

Ovidius lib. X. Metamorph.

——— *Cybeius Attis*
*Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.*

Unde & pinus in ſacris Magnæ matris circum ferebatur. Arnobius lib. V. *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deum Matris intermittitis ſanctuario? Nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus, & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit?* Et eodem libro circa finem: *Pinus illa ſolemniter quæ in Matris infertur ſanctum Deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Attis virum demeſſis genitalibus abſtulit, & quam memorant divam in ſolatium ſui conſecraviſſe mæroris?* Quam pinus geſtationem appellabant δενδροφοριαν; ut eſt apud Strabonem lib. X. unde & *dendrophori* dicti, qui eam geſtabant, de quibus in *l.* 20. *de paganis ſacrif. & templ.* item *l.* 1. *de centonariis & dendrophor, in Cod. Theodoſ.* Sic in alio

Num. *Fauſtinæ* Ejusdem Inſcr. MATRI MAGNÆ Eadem habitu *Magnæ Matris*, turrita, ſellæ inſidens cum cymbalo, & leonibus. Quare Magna Mater Deum ſedens fingatur, haurire licet ex Varrone lib. XVI. Rer. Divinar. apud Auguſtinum lib. VII. de Civit. Dei, cap. XXIV. *Eandem dicunt* MATREM MAGNAM: *quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ; quod turres in capite, oppida; quod* SEDES *fingantur circa eam, cum omnia moveantur, ipſam non moveri.* IV.

V. Num. *Gentis Volteiæ* cum Inscr. C. VOLTEI. M. F. Heic *Cybele*, cernitur uti Virgilius lib. VI. Æneid ait:

——— *Qualis Berecynthia mater*
*Invehitur curru Phrygias turrita per urbes.*

Currus à biga leonum trahitur, juxta Lucretium lib. II. ubi scribit:

*Hanc Veteres Grajûm docti cecinere poëtæ*
*Sedibus in curru bijugos agitare leones.*

Quem secutus Virgilius lib. III Æn.

*Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,*
*Idæumque nemus: hinc fida silentia Sacris,*
*Et juncti currum dominæ subiere leones.*

Quare autem Leones Deæ Matri adjuncti, indicat Varro apud Augustinum lib. VII. De Civit. Dei. cap. XXIV. *Leonem adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant, esse nullum genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi, colique conveniat.* Hinc etiam Ovidius lib. IV. Fastor.

*Desierat: Cæpi; cur huic genus acre leonum*
*Præbent insolitas ad juga curva jubas?*
*Desieram: Cæpit: Feritas mollita per illam*
*Creditur; id curru testificata suo est.*

VI. Num. *Pertinacis*, cum Inscript. OPI. DIVIN. TR. P. COS. II. SC. *Ops* Dea, quæ eadem cum Rhea, sive Tellule, sellæ insidens, cui & sinistra innixa, dum dextra porrecta arbusculum sustinet Festus: *Opis dicta est conjux Saturni, per quam volunt Terram significari; quia omnes opes humano generi terra tribuit;*

Hinc

Hinc arborem manu tenet, quia eadem eſt cum Terra. Macrobius lib. I. cap. X. *Hanc autem deam Opem Saturni conjugem eſſe crediderunt &c. Saturnumque à ſatu dictum, cujus cauſa de cælo eſt: & terram Opem; cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur; vel ab opere, per quod fructus frugeſque naſcuntur.* Varro apud Auguſtinum lib. VII. cap. XXIV. *Tellurem, inquit, putant eſſe Opem, quod operâ fiat melior.* Idem lib. IV. de L. L. *Terra Ops, quod heic omne opus, & hàc opus ad vivendum.* Poſtremum hoc duriuſculum; melius quod ſequitur, cur *Mater* dicta fuerit. *Ideo*, inquit, *dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes dedit, & reſumit denuo, quæ dat cibaria, ut ait Ennius.* Fulgentius Mythol. lib. I. *Ops quoque ejus uxor, eo quod opem eſurientibus ferret, dicta eſt.* Albricus de Imaginib. Deor. *Iuxta autem ipſum Saturnum erat imago Opis uxoris ſuæ, in cujuſdam ſimilitudinem matronæ depicta: quæ aperta manu opem omnibus velle dare prætendebat: panem verò ſiniſtra pauperibus porrigebat.* Huic autem *Pertinacis* Nummo reſpondet Inſcriptio antiqua, quæ habetur in Corpore Gruteriano. pag. XXVI. n. 4.

OPI. DIVINÆ. ET FORTVNÆ
PRIMIGENIÆ. SAC.
IMP. CÆSAR. HELVIO
PERTINACIS. AVGVSTI
V. D. D.
T. CÆSIVS. T. F. HERODES
V. S. C.

Num. *Antonini Pii* cum Inſcr. CYBELE. Sc. *Cybele* turrita ſtans, ſiniſtra Cornu copiæ, dexta porrecta caniſtrum frugibus repletum tenens, ac figuram nudam dextro pede calcans. Fertili- VII.

tilitatem & omnium rerum abundantiam, quas Terra profert, designat. Varia ejus nomina recenset Strabo lib. X. Οἱ δὲ Βερέκυντες, Φρυγῶν τι φῦλον, καὶ ἁπλῶς οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἰδὴν κατοικοῦντες Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι, ταύτην μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Ἀγδέστιν, καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τόπων Ἰδαίαν, ἢ Δινδυμηνήν, καὶ Πυληνήν, καὶ Πισσινουντίδα, καὶ Κυβέλην. *Berecynthii autem Phrygia gens, & in universum Phryges ac Troum illi, qui Idam accolunt, Rheam & ipsi colunt, eique orgia peragunt; matrem appellantes Deorum, & Agdestin, & Phrygiam, magnam Deam; à locis autem Idæam, Dindimenen, Pylenen, Pessinuntiam, & Cybelen.* Sed quid dicemus de hac Magna Deum matre, tot nominibus celebrata, quæ in intimo suo sacrario nihil aliud, quam lapis niger, hoc nomine cultus, fuerit? Quem ad vivum ita describit Arnobius lib. VII. *Si verum loquuntur Historiæ, neque ullas inserunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia, nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi, atque atri, angellis prominentibus inæqualis: & quem omnes hodie illo ipso videmus signo, oris loco positum, indolatum & asperum, & simulachro faciem expressam simulatione præbentem.* Hinc quoque Prudentius Rom. Mart.

*Nudare plantas, ante carpentum, scio*
*Proceres togatos, Matris Idææ sacris,*
*Lapis nigellus, evehendus essedo,*
*Muliebris ore clausus argento sedet.*

Claudianus *religiosam silicem* vocat lib. I. De Rapt. Proserp.

*Heic sedes augusta Deæ, templique colendi*
*Religiosa Silex.* —— ——

Num.

Num. *Commodi*, cum Inſcript. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. VIII. COS. V. P. P. TELLVS STABILis Figura muliebris ſeminuda, humi ſedens dextra Globo Zodiaco, ſtellisque inſignito, impoſita, ſiniſtra vero innixa vaſi, ex quo adſurgit vitis pampinoſa ſupra caput ejus & tres figuras fæmineas; adſtantes, ac reculas quasdam, ſive flores, ſive ſerta, aliasve terræ fruges manibus geſtantes, divergens, eaſque quaſi obumbrans; ſequitur *Victoriola* alata, dextra coronam, ſiniſtra palmam ferens. Mulier illa ſeminuda, quæ TELLVRIS STABILIS nomine heic venit, *Rheam*, Saturni uxorem, repræſentat, quatenus una cum Saturno agrorum, & Vitium culturam inveniſſe dicitur; ſedet autem humi, ad Terræ ſtabilitatem denotandam. Per tres illas figuras fæmineas, forte deſignantur tres Orbis terrarum iſtæ partes Veteribus cognitæ, quarum unaquæque munera, aut fructus terræ partis cujuſque propios & nativos ferre videtur; omnes autem vite adumbrantur, quod illa in omnibus tribus terræ partibus reperiatur. Victoriola eas ſequens, forſan deſignat, Imperatori Cæſari ab omnibus Orbis terrarum partibus trophæa erigi; vel etiam Britanniam devictam deſignare poteſt, cum in adverſa hujus nummi parte, Commodo *Brittannici* cognomen adſcriptum ſit.

Num. *Hadriani*, cum Inſcript. TELLVS STABILIS. S. c. Similis figura muliebris ſeminuda, humi ſedens, dextra ſuper *Globum* poſita, ſiniſtro verò brachio *Caniſtro* frugibus pleno, ex quo etiam *Vitis* adſurgit, incumbens, ſed abſque cæteris iſtis figuris; *Terram* deſignat frugibus & vitibus abundare. In alio vero IX.

Num. *Ejusdem Hadriani*, cum eadem Inſcript. Cernitur *figura* ſtans tunica ſuccincta & brevi induta, brachiis cruribusque nudis, dextra *aratrum*, ſiniſtra *anchoram*, ſive ut quidam, *raſtellum*, ant ſimile quid tenens; cui juxta ſiniſtrum pedem è terra duæ adſurgunt ſpicæ. Alb. Rubenius in Commentar. ad Numiſmata X.

Imperator. incertus videtur, utrum figura ſit *Virilis*, an vero *Muliebris*, quæ heic expreſſa. Primo enim vult eſſe *Agricolam*, brevi tunica indutum, ut ruſtici incedebant. & adducit iſtud Salviani lib. I. de Fabritiis & Cincinnatis. *Non deſpiciebant tunc, puto, pauperes cultus, cum veſtem hirtam & brevem ſumerent, cum ab aratro arceſſerentur ad Faſces.* Uti & iſtud Euſtathii De Amoribus Iſmenes & Iſmeniæ in deſcriptione XII. Menſium, Ruſtici figuram exprimentis. μέχρι γονάτων ὁ ζωγράφος τὸν χιτῶνα κατέχυσε, τὼ χεῖρε μέχρις ἐπ' ἀγκῶνα γυμνώ. *Uſque ad genua pictor tunicam dimittit, manus verò uſque ad cubitum nudas.* Poſtea vero ſubjungit, imo non videri eſſe *Agricolam*, ſed *Tellurem* ipſam, fæmineo vultu, dextra *aratrum*, ſiniſtra *raſtellum* tenentem, aut ſimile quid. Quod ſi anchora ſit, quam ſiniſtra tenet, *Stabilitatis* Symbolum exprimit, & ſic Inſcriptioni reſpondebit. Denotabitque *Agricola*, quo ſane animus magis inclinat, cum *aratro*, & *anchora*, ita pacatum, & ſtabilitum eſſe Orbem terrarum, ut ruſticis hominibus agriculturæ libere operam, arando, occando, ſerendo, metendo, dare liceat.

XI. Num. *Caligulæ.* cum Inſcript. VESTA, S C. *Veſta* Dea, eadem quæ *Tellus* quoque, uti Rhea, velata ſellæ inſidens, dextra porrecta pateram, ſiniſtra ſceptrum tenens. Quod Veſta eadem, quæ Terra, hiſce teſtatur Euripides:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν ὄν σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν, ἡμφίλεω ἐν αἰθέρι.

*Et Terra mater, Veſta quæ ſapientibus*
*Vocaris, ipſo conſidens in æthere.*

Quia ſcilicet terra undique aëre & æthere ambitur. Sic Plato in XII. de Legib. Γῆ μὲν δή, Ἑστία τοικήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν.

*Terra*

*Terra quidem, Veſtaque omnibus Diis ſacrum eſt habitaculum.* Sed & eſſe Veſtam Terram ex vocabuli origine colligere volunt. Pharnutus: Ταύτην μὲν γὰρ διὰ τὸ ἑστάναι διὰ πάντων, ΕΣΤΙΑΝ προσηγόρευσαν οἱ παλαιοί. ἢ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς ὡσανεὶ ἐπὶ θεμελίου τὸν ὅλον ἑστάναι κόσμον. *Hanc* ESTIAN (*à Græco* ESTANAI, *quod eſt ſtare ſiſtere*;) quia ſtet *per res univerſas Veteres dixerunt*; *vel quod ſuper illa, tanquam fundamento, inſiſtat totus mundus.* Sic etiam Latinum *Veſta* eo deducunt. Hinc Ovidius lib. VI. Faſtor.

*Stat vi Terra ſua; vi ſtando Veſta vocatur.*

Nec non Arnobius lib. III. *Terram nonnulli Veſtam pronunciant, quod in mundo ſtet ſola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetua conſtitutis.* Verum, ut vere jam aliis animadverſum, neque Græcum, neque Latinum etymon rei reſpondet. Nam Ἑστία, ſive *Veſta* proprie idem eſt, ac ἑστία, ſive *focus.* Unde & Cicero verba Platonis modo adducta, lib. II. de Legib. ſic interpretatur: *Terra igitur, ut focus domiciliorum, ſacra Deorum omnium eſt.* Nec Veſtæ appellatio Terræ attributa eſt, niſi quatenus ignes ſubterraneos continet. Nam & ignis per Veſtam, & proprie magis, utpote quæ ſub ignis ſpecie colebatur, ut ſtatim videbimus, intelligitur. De Veſta porro, & Veſtalibus inter Veteres videndi Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II. & A. Gellius lib. I. cap. XII. inter juniores Lil. Giraldus, ſed præſertim I. Lipſius Syntagmate ſingulari, quod de Veſta & Veſtalibus inter Opera ejus habetur.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcript. VESTA. Simulachrum Deæ XII. *Veſtæ* ſtantis, ſiniſtra ſceptrum, dextra vero extenſa *lucernam*, ſive *Lampadem* tenentis, quod flammæ, ſive ignis Symbolum eſt, & per quem ipſa Veſta deſignabatur. Ovidius lib. VI. Faſtor.

*Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.*

Unde Servius ad illa II Æneid.

*Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem.*
*Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Notat: *Veſtam, Deam ignis, quia in medio mundo librata, vi ſua ſtet, & ignem intra ſe habeat.* Et: *Ecce ipſe expoſuit; quid eſt Veſta,* nimirum *æternus ignis.* Sic Lampas quam præfert Veſta, *Æterni* iſtius *ignis*, cui is, Sympulo ineſt, ſignum quoque eſt.

# TABVLA XLVI.

I. Num. *Neronis*, cum Inſcr. VESTA. Templum *Veſtæ*, in cujus meditullio ſtatua ipſius Deæ cum haſta in ſiniſtra, & patera in manu dextra. Rotundum vides templum Veſtæ, Terram deſignans, uti à Numa Pompilio primum iſtud exſtructum, idque ut referret terræ globum, ſive pilam uti loquitur Feſtus Pompejus: *Rotundam Ædem Veſtæ Numa Pompilius Rex Romanorum, conſecraſſe videtur, quod eandem eſſe Terram, quâ vita hominum ſuſtentaretur, crediderit: eamque in pilæ formam eſſe, ut ſui ſimili Templo Dea coleretur.* Hinc Ovidius lib. VI. Faſtor.

*Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ:*
*Et paries lento vimine textus erat.*
*Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuiſſe*
*Dicitur: & formæ cauſſa probanda ſubeſt.*
*Veſta eadem eſt, & Terra: ſubeſt vigil ignis utrique:*
*Significant ſedem terra focuſque ſuam,*
*Terra pilæ ſimilis, nullo fulcimine nixa,*
*Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.*
*Par facies templi: nullus procurrit in illo*
*Angulus: à pluvio vindicat imbre tholus.*

Quod

TAB. XLVI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



Quod vero Vestæ templum in Neronis Nummis scalptum reperiatur, forte exinde lucem accipit, quod Suetonius de eo scribit: *Ad athletarum spectaculum invitavit & ir gi nes Vestales: quia Olympia Cereris sacerdotibus spectare conceditur.* Quasi Nero Vestæ & Vestalium eximius cultor videri voluerit.

Num. *Titi* cum Inscr. VESTA. Templum *Vestæ* rotundum, cum simulacro ejus in penetrali. Sic in II.

Num. *Domitiani* cum eadem Inscr. VESTA, Ejus templum quoque rotundum cernitur, cum ejus simulachro. Rationem quare ejus templum Numa Pompilius rotundum exstruxerit, modo ex Festo vidimus; verum Plutarchus paullo aliter hac de re scribit in ejus Vita: Νουμᾶς δὲ λέγεται καὶ τὸ τῆς Ἑστίας ἱερὸν ἐγκύκλιον περιβαλέσθαι τῷ ἀσβέστῳ περὶ φρουράν· ἀπομιμούμενος οὐ τὸ σχῆμα τῆς γῆς ὡς Ἑστίας οὔσης, ἀλλὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου, οὗ μέσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἵδρυσθαι νομίζουσι, καὶ τοῦτο Ἑστίαν καλοῦσιν καὶ μονάδα. *Ferunt Numam ædem quoque Vestæ sacro igni orbicularem circumjecisse, ut ibi asservaretur, adumbrans non effigiem terræ, quasi ea Vesta sit, sed universi mundi, cujus in medio ignis sedem locant Pythagorei, eamque Vestam nominant & unitatem.* Addit porro Plutarchus: τὴν δὲ γῆν, οὔτε ἀκίνητον, οὔτε ἐν μέσῳ τῆς περιφορᾶς οὖσαν, ἀλλὰ κύκλῳ περὶ τὸ πῦρ αἰωρουμένην, οὔτε τῶν τιμιωτάτων, οὐδὲ τῶν πραγμάτων τοῦ κόσμου μορίων ὑπάρχειν. *Terram verò non putant immobilem, neque mediam tenere regionem globi, sed esse in gyrum circum ignem suspensam, neque numerari inter elementa mundi præcipua & prima.* Quam sane Pythagoricorum Sententiam de terra mobili ejusque circumgyratione circa ignem, id est, Solem, rei veritati consentaneam esse, hodie apud istarum rerum peritos nullum patitur dubium; nec ei adversantur, nisi forte duri quidam Capitones, qui, licet harum rerum plane ignari sint, & præ stupiditate III.

tate sua nunquam, ut in eas penitius inquirerent, operam collocare potuerint, puerili tamen præjudicio occupati, tanto fastu & arrogantia turgent, ut censoria virgulâ ipsam veritatem potius proscribere malint, quam pati, quicquam in rerum natura exstare, quod eorum perpetuæ Dictaturæ, quam tamen absque populi suffragio sibi arripiunt, non subjiceretur. Genus hominum contemptu potius, quam indignatione vindicandum. Cæterum ad hunc Domitiani Nummum, in quo *Vestæ* templum, faciunt, quæ de eo notat Suetonius cap. VIII. *Incesta Vestalium virginum, à patre suo quoque & fratre neglecta, varie ac severe coërcuit: priora capitali supplicio, posteriora, more veteri.* Ubi & exempla quædam subjungit. Sic ut Domitianus quoque Vestæ cultui addictus videri voluerit.

IV. Num. *Gentis Æmiliæ*, cum Inscr. VESTA. Cernitur heic quoque Ædes Vestæ solita forma rotunda, cum tripode, nullo vero simulachro in penetrali; quemadmodum etiam revera Vesta nullo simulachro repræsentabatur. Ovidius lib. VI. Fastor.

*Esse diu Stultus Vestæ simulachra putavi:*
*Mox didici curvo nulla subesse tholo.*
*Ignis inexstinctus templo celatur in illo*
*Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent.*

V. Num. *Iuliæ Domnæ* cum Inscript. VESTÆ SANCTÆ. *Vesta* Dea, nisi forsan ipsa *Iulia Domna* Severi Im. uxor, sub Vestæ habitu, stolata & velata, sinistra sceptrum, dextra protensa pateram tenens. VESTÆ SANCTÆ tanquam Imperii Custodi inscribitur; cujus ignis in focis publicis cælestium ignium, Solis præsertim, Symbolum erat. Hinc Florus lib. I. cap. II. de Numa: *Imprimis focum Vestæ virginibus colendum dedit, ut ad simulacrum cælestium Siderum Custos Imperii flamma vigilaret.*

Num.

Num. *Faustinæ* Matris, Antonini Pii uxoris, cum Inscript. VESTA. S. C. Heic focus ille publicus æterni ignis, *Ara* nempe, cum igne accenso, sub cujus forma Vesta culta, & quem Vestales in Urbe conservare tenebantur, ne unquam exstingueretur, cernitur. Unde Cicero lib. II. de Legib: *Virgines Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Quare autem ignis iste Vestæ dicatus, rationem ejus reddere conatur Phurnutus: Τὸ δ' ἀεὶ ζῶον πῦρ ἀποδίδοται τῇ Ἑστίᾳ, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν δοκεῖν εἶναι ὄν. τάχα δ' ἐπεὶ τὰ πυρὰ τὰ ἐν τῷ κόσμῳ ἐντεῦθεν τρέφεται, καὶ διὰ ταύτην ὑφέστηκεν. ἢ ἐπεὶ ζείδωρος ἄρουρά ἐστι, καὶ ζῶον μήτηρ, ἧς ἐστιν αἴτιον τοῦ ζῆν τὸ πυρῶδες. *Ignis autem perpetuus Vestæ dicatus est, quod videatur plurimis & ipsam esse ens. nimirum ignis iste perpetuus Vestæ consecratus ostendit, ipsam esse caussam ejus ignis, qui in mundo est, quasi ejus vi exortus sit. Est & alia caussa perpetui ignis, nempe quod terra fæcunda mater sit animalium omnium, & suam vitam ab igne habeat.* VI.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. VESTA. *Virgo Vestalis* velata, cum patera sacrificans ante aram accensam; vel fomentum igni æterno addens. Quare autem virginibus ignis perpetui custodia à Numa sit commissa, rationem reddit Plutarchus in ejus Vita: Νουμᾷ καὶ τὴν τῶν ἑστιάδων παρθένων καθιέρωσιν, καὶ ὅλως τὴν περὶ τὸ πῦρ τὸ ἀθάνατον, ὁ φυλάττουσιν αὗται, θεραπήτε καὶ τιμὴν ἀποδιδόασιν, εἴτε ὡς καθαρὰν καὶ ἄφθαρτον τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν ἀκηράτοις καὶ ἀμιάντοις παρατιθεμένου σώμασιν, εἴ τε τὸ ἄκαρπον καὶ ἄγονον τῇ παρθενίᾳ συνοικειοῦντος. *Numæ Vestalium virginum consecrationem, omnemque æterni ignis, quem adservant hæ, cultum ac honorem adsignant; sive puram & in coruptam Ignis naturam integris & impolutis credidit corporibus? sive sterilem & infæcundam virginitati aggregavit.* His addi potest, quod virgines domesticæ rei curis non distrahantur, VII.

eoque

eoque facilius & certius ſacri ignis cuſtodiæ invigilare poſſunt, ne exſtingueretur; id enim ſi forte contingeret, ut malum omen inſtantis periculi, quod urbi immineret, habebatur. De Veſtalibus hanc rationem quoque adducit Cicero lib. II. De Legib. *Veſtæ*, inquit, *colendæ virgines præſunt, ut advigilent facilius ad cuſtodiam ignis.*

VIII. Num. *Famil. Rom.* incertæ. cum Inſcript. VESTA P. R. QVIRITIVM. Caput fæmininum velatum, & faſcia â fronte ſuper cinnos intortos ornatum, *Veſtæ P. R. Quiritium* eſſe, indicat Inſcriptio. Notum eſt *Populum Romanum* tunc primum cæpiſſe *Quiritium* dici, cum in regni conſortium adſcitus à Romulo Tatius Sabinorum Rex fuit, & poſtquam

——— *in partem data Roma Sabinis*,

ut Virgilius ait. Faciunt huc illa Fabii Pictoris apud A. Gellium lib. I. cap. XII. *Sacerdotem Veſtalem, quæ ſacra faciat, quæ jus ſiet Sacerdotem Veſtalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quod optima lege fiat, ita te Amata capio* &c. Iſtud in acutam deſinens cuſpidem ante pectus quid ſibi velit ignoro, niſi forte ſit *acus comatoria*, uti Petronio, ſive *crinalis* uti Appuleio lib. VIII. Metamorph. appellatur quæ ſcilicet inſerviebat crinibus comandis vel diſcernendis, dividendiſque, & *diſcriminalis* vocata D. Hieronymo lib. II. in Ruffinum. Cæterum faſcia illa ſive tæniæ ad *Vittas* referenda, quibus Veſtales ornabantur. Unde Prudentius lib. II. contr. Symmach

——— *Sedet illa verendis*
*Mittarum inſignis phaleris.* ———

Quod poſtea explicat:

——— *cingunt*
*Tempora tæniolis & licia crinibus addunt.*

Hinc

Hinc quoque Lucanus lib. III Pharsal.

*Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,*
*Trojanam soli cui fas vidisse Minervam,*

Et D. Ambrosius Epistola ad Valentinian. *Vix septem Vestales capiuntur puellæ; en totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices.* &c. Cæterum velum istud, sive tegumentum in capite, proprio nomine *Suffibulum* dicebatur. De quo Festus: *Suffibulum vestimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales, cum sacrificant, semper habent: idque fibula comprehenditur.* Fibula heic utique conspicua; & ex aliis nummis ut V. VII. IX. X. XI. & XII. hujus Tabulæ quam longum suffibulum istud fuerit, facile discernere est.

Num. *Claudii* Imper. cum Inscr. VESTALIS SC. *Virgo* IX.
*Vestalis* solito habitu, sellæ insidens, cum lampade in dextra. Notandum autem Virgines hasce captas fuisse tenera adhuc ætate, ut constaret eas integras omnino esse, ac ne quidem suspitio ulla de pudicitiæ labe locum habere posset; ideoque secundum Labeonem Antistium *minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam, capi fas non erat.* Hinc Prudentius lib. II. contra Symmach.

*Ac primum parvæ teneris capiuntur in annis,*
*Ante voluntatis propriæ quam libera serta*
*Iusta maritandi condemnet vincula sexus.*

Cæterum captæ per triginta annos obstrictæ erant, iis verò exactis, si vellent, exire licitum, & nubere. Dionysius Halicarnass. lib. II. Antiq. Rom. χρόνον δὲ τριακονταετῆ μένειν αὐτὰς ἀναγκαῖον ἁγνὰς γάμων, θυηπυλούσας τὲ καὶ τὰ ἄλλα θρησκευούσας κατὰ νό-

 μον.

μον· ἐν ᾧ δέκα μὲν ἔστη μανθάνειν αὐτὰς ἔδει· δέκα δὲ, τελεῖν τὰ ἱερά· τὰ δὲ λοιπὰ ἔτη διδάσκειν ἑτέρας. ἐκπληρωθείσης δὲ τῆς τριακονταετίας, οὐδὲν ἦν τὸ κωλῦσον τὰς βουλομένας ἀποθεισας τάτε στέμματα καὶ τὰ λοιπὰ παράσημα τῆς ἱερωσύνης γαμεῖσθαι. *Has autem necesse est per triginta annos manere puras à nuptiis, Deamque sacrificiis & cæteris ex lege ceremoniis colere. ac primo quidem decennio rationem sacrorum eas oportebat discere, sequenti exercere, postremo docere alias. Post exactum vero annum trigesimum, nihil vetabat eas, si quæ vellent, positis coronamentis & reliquis insigniis sacerdotii, nubere.* Idem legere est apud Plutarchum in Numa, Unde illud Prudentii:

*Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore.*

X. Num. *Lucillæ*, cum Inscr. VESTA. *Vesta*, sive *Vestalis* ante aram accensam stans, cum lampade in dextra, sinistra, ut videtur, *Palladium*, aut simile quid tenens. Præter æterni ignis custodiam, Vestalibus etiam incumbebat adservare *fatale imperii Pignus* uti Livius appellat lib. XXVI. *Vestæ ædem petitam & æternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperii pignus.* Cujusmodi autem istud fuerit, in arcanis habebatur; ideoque conjecturæ apud Auctores variæ. Dionysius Halicarnass. lib. II. Εἰσὶ δί τινες οἵ φασιν ἔξω τοῦ πυρὸς ἀπόῤῥητα τοῖς πολλοῖς ἱερὰ κεῖσθαί τινα ἐν τῷ τεμένει τῆς θεᾶς, ὧν οἱ ἱεροφάνται τὴν γνῶσιν ἔχουσι καὶ αἱ παρθένοι. *Sunt qui tradunt præter ignem, arcana, & multitudini non efferenda sacra, in Deæ fano esse deposita; quorum notitia sit penes solos Pontifices & Virgines.* subjungit postea: οἱ μὲν, ἐκ τῶν ἐν Σαμοθράκῃ λέγοντες ἱερῶν μοῖραν εἶναι τῷ Αἰνείᾳ φυλαττομένην τὴν ἐνθάδε. *Quidam dicunt heic servari partem Sacrorum Samothraciæ ab Ænea conservatam.* οἱ δὲ τὸ διοπετὲς Παλλάδιον ἀποφαίνοντες εἶναι παρὰ Ἰλιῶσι γενόμενον, ὡς Αἰνείου κομίσαντος δι' ἐμπειρίαν. *Alii verò,*

*esse*

*esse cælo delapsum Palladium, quod apud Ilienses servatum Æneas verum secum adsportaverit.* His præmissis Dionysius, tandem ita concludit: Ἐγὼ δὲ τὸ μὲν εἶναί τινα τοῖς πολλοῖς ἄδηλα ἱερὰ φυλαττόμενα ὑπὸ τῶν παρθένων, καὶ οὐ τὸ πῦρ μόνον, ἐκ πολλῶν πάνυ καταλαμβάνομαι· τίνα δὲ ταῦτ' ἐστιν οὐκ ἄξιῳ πολυπραγμονεῖν οὔτε ἐμαυτὸν, οὔτε ἄλλον οὐδένα τῶν βουλομένων τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσια τηρεῖν. *Ego sane custodiri à Virginibus non Solum ignem, sed & sacra quædam vulgo incognita, è multis colligo. Quæ vero ista sint, nec mihi, nec alii religioso Deorum observatori curiosius scutari fas censeo.* De Palladio vero quædam adhuc dicenda erunt ad Num. XII. hujus Tabulæ.

Num. *Iuliæ Piæ* Severi Imp. Uxoris, cum Inscr. VESTA. SCi. XI. Quatuor *Vestales* cum duobus *Camillis* igni æterno in ara alendo & fovendo sub tholo operam dantes; vel potius sacrificantes, utpote quod etiam pene assiduum eorum munus erat, diu noctuque. Quatuor heic cernuntur, quot ab initio à Rege Numa tantummodo institutæ & captæ fuere, quamvis postea, vel à Tarquinio Prisco, ut vult Dionysius, vel à Servio Tullo Rom. Rege, ut Plutarchus, ad senarium numerum auctæ sint; in quo etiam permansere. Dionysius Halicarnass. lib. II. Αἱ δὲ θεραπεύουσαι τὴν θεὸν παρθένοι τέτταρες μὲν ἦσαν κατ' ἀρχαὶ, τῶν βασιλέων αὐτὰς αἱρουμένων ἐν οἷς κατέστησατο δίκαιος ὁ Νουμᾶς· ὕστερον δὲ διὰ πλῆθος τῶν ἱερουργιῶν ἃς ἐπιτελοῦσιν, ἓξ γενόμεναι μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς διαμένουσι χρόνου, δίαιταν ἔχουσαι παρὰ τῇ θεῷ, ἔνθα δι' ἡμέρας μὲν οὐδεὶς ἀπείργετο τῶν βουλομένων εἰστιέναι· νύκτωρ δὲ οὐδενὶ τῶν ἀῤῥένων ἐναυλίσασθαι θέμις. *Virgines autem quæ Deæ sacris operabantur, quatuor erant ab initio; & jus eas capiendi penes reges esse Numa voluit: postea tamen propter sacrificiorum multitudinem ad senarium numerum auctæ, in eo hodieque*

*permanent, degentes in Deæ fano, à cujus aditu nemo arcetur interdiu; ſed pernoctare intus fas eſt nulli maſculo.* Sic quoque Pompeius Feſtus qui etiam rationem addit, quare ſex numero fuerint. *Sex Veſtæ ſacerdotes conſtitutæ ſunt, ut populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum: quia civitas Romana in ſex eſt diſtributa partes, in primos ſecundosque Titienſes, Ramnes, Luceres.* His itaque ſex per vices incumbebat invigilare ad æterni ignis cuſtodiam, eumqe perpetuo fovere & alere, ne exſtingueretur; id enim quacunque tandem ex cauſa ſi contingeret, Romani tanquam interitus aut imminutionis Reipublicæ ſignum interpretabantur; ut Dionyſius ait; & pæna virginibus manebat. Feſtus: *Ignis Veſtæ ſi quando interſtinctus fuiſſet, Virgines verberibus afficiebantur à Pontifice.* cujus caſtigationis exempla occurrunt apud Livium lib. XXVII. Valerium Maximum lib. I. c. I. & alios. Sic Iulius Obſequens De Prodigiis cap. XXVI. *Veſtæ penetralis ignis exſtinctus, virgo juſſu Æmilii Pontificis Maximi flagro cæſa.* Quando autem ita exſtinctus ignis, non licebat alio ex foco petito denuo eum accendere, ſed Romanis, ut Feſtus ſcribit, *Mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quo uſque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Sic quidem Romani; paullò aliter autem Græci. His enim, ut tradit Plutarchus in Numa, conſuetudo erat vaſculo cavo Solis radios excipere, iiſque per reflexionem coëuntibus in centro ejus, per appoſita fomenta leviſſima & ſicciſſima ignem accendere; quod non capiendum, uti Lipſius fecit, & etiam per effigiem expreſſit, Lib. De Veſta & Veſtal. cap. VIII. ad finem. quaſi fomenta illa poſt vaſculum poſita fuiſſent, atque ita accenſa; quod fieri nequit; fuit enim, ut ipſemet fatetur, vaſculum ex ære; ſed fomentis poſitis inter Solem & vaſculum cavum in centro ſcilicet, ubi radii à ſole excepti, ex vaſculo cavo per reflexionem coeunt & uniuntur, ac vulgò ab Opticis *focus* vocatur; uti norunt, qui unquam ſpecula concava tractarunt; quod Lipſium fugiſſe videtur.

Num.

Num. *ejusdem Iuliæ Augustæ*, cum Inscr. VESTA. *Vesta* Dea, vel *Iulia* ipsa sub ejus habitu, sinistra sceptrum, dextra porrecta *Palladium* ferens. De Palladio, quod inter arcana sacrorum penes Vestales habebatur, diximus quædam ad Nummum X. Hæc enim opinio vulgò maxime recepta fuit, Palladium ibi recondi. Plutarchus in Camillo: Καὶ πλεῖστος μὲν λόγος πατεῖχες τὸ Τρώϊκον ἐκεῖνο Παλλάδιον ἀποκεῖσθαι, δι' Αἰνείου κομισθὲν εἰς Ἰταλίαν. *Plurimorumque sermone vulgatum est Palladium ibi asservari, ex Troia in Italiam ab Ænea advectum.* Palladium autem quid fuerit docet Eustachius in lib. I. Iliad. ubi ait: Τὰ τῆς Πάλλαδος εἴδωλα, Παλλάδια τοῖς παλαιοῖς ὀνομάζονται. *Palladis simulacra, Palladia antiquis appellantur.* Minuta scilicet ista, ad Palladis formam effigiata, plane uti in hoc nummo cernere est, armata cum galea, hasta, & clypeo. Palladium autem ab Ænea in Italiam delatum, cælo delapsum ajebant. Hoc itaque ut verum Palladis signum, tanquam sacrum arcanum & pignus, nullius præterquam Vestalium Virginum tantum oculis lustrandum in intimo penetrali ab iis adservabatur. Unde Lucanus lib. I. Pharſ. de Vestal: XII.

*Trajanam Soli cui fas vidisse Minervam.*

Et lib. IX.

——— ——— *nullique aspecta virorum*
*Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.*

Imo ne quidem ipsis Vestalibus signum istud penitus nudum spectare fas fuisse, colligit Lipsius cap. IX. de Vesta & Vestal, ex hisce Statii lib. II. Thebaid, ubi Tydeus Palladi vota faciens ait:

*Pervigilemque focis ignem longæva sacerdos*
*Nutriet, arcanum non inspectura pudorem.*

Per *arcanum pudorem*, Palladii *Virginitatem*, aut, ſi mavis, *Virginal* intelligens; quam partem in hoc ſigno ſemper religione quadam obvelatam fuiſſe vult; quod non ita in aliis obtinuit ſimulacris, quæ nudare, lavare, ungere ſolenne erat.

## TABVLA XLVII.

I. Num. *Hadriani*, cum inſcriptis literis, L. I S. Cernitur heic *fœmina* ſellæ inſidens cum flore in capite, puellum *nudum* cum ſimili flore in capite, & alio flore in ſiniſtra manu, in gremio habens, cujus dextram dextra ſua apprehendit. ante pedes ejus ramus Perſeæ arboris Iſidi ſacræ. Fœmina iſta *Iſidem* Ægyptiorum Deam repræſentat; puellus *Orus* filius ejus eſt, quem ipſa nutrit. Eſt enim nummus ab Ægyptiis in Hadriani honorem cuſus; literæ L. I S. indicant id anno ejus Imperii decimo & ſexto factum. Notum enim eſt, apud Græcos moris eſſe, per literales characteres alphabetico quodam ordine, numerum deſignare. Sic α primum, β ſecundum, &c. ι decimum, ια undecimum, ις decimum ſextum indicat, & ita porro. L. autem ſic explicatur à Macrobio lib. I. Saturnal. *Priſci Græcorum primam lucem, quæ præcedit ſolis exortus λύχνον appellaverunt, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ, id eſt luce temporis. Annum quoque vetuſtiſſimi Græcorum* λυκάβαντα *appellant* τὸν ἀπὸ τοῦ λύκου *id eſt ſole* βαινόμενον καὶ μειουμένου. &c. Sic à Cl. Patino inter Numiſmata Imperatorum ex ære mediocri, varia id genus Numiſmatum Ægyptiorum Hadriano dedicatorum, cum annis Imperii per literas expreſſis, exhibentur. Cæterum, ſupra obiter meminimus *Iſidem* cum *Serapide* nonnunquam confundi, & pro eodem numine haberi, pro tota ſcilicet rerum Natura; ut plurimum vero Iſidem pro Luna accipi. Sic apud Diodorum Siculum lib. I. *Iſis* cum *Luna Cerere* & *Iunone* eadem eſt; apud Macrobium lib. I. cap. XXI. *Iſis*, pro Terra, vel rerum Natura habe-

TAB. XLVII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

habetur. Sed ut ſimul & ſemel conſtet, quam variis nominibus Iſis apud alias & alias Gentes venerit, cum tamen idem Numen deſignaretur, vel Luna, ſc. vel Terra, juvat Appuleji verba heic adſcribere ex lib. XI. Metamorph. ubi ipſam Deam ita loquentem introducit. *En adſum, tuis commota, Luci, precibus, rerum Natura parens, elementorum omnium domina, ſæculorum progenies initialis, ſumma Numinum, Regina Manium, prima cælitum, Deorum, Dearumque facies uniformis: quæ cæli luminoſa culmina, maris ſalubria flamina, inferorum deplorata ſilentia nutibus meis diſpenſo. Cujus Numen unicum multiformis ſpecie, ritu vario, nomine multijugo toties veneratur Orbis. Me primigenii Phryges, Peſſinuntiam nominant Deum Matrem. hinc Autochthones Attici, Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprii, Paphiam Venerem: Cretes ſagittiferi, Dictynam Dianam, Siculi trilingues, Stygiam Proſerpinam; Eleuſinii, vetuſtam Deam Cererem; Iunonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten; Rhamnuſiam alii. & qui naſcentis dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Æthiopes, Ariique, priſcaque Doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorſus propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Iſidem.* Huc facit, quod Plutarchus in de Iſide & Oſiride refert, pavimentum templi Iſidis, inſcriptum his verbis: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, ὂν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν. *Ego ſum quicquid fuit, eſt, & erit; nec meum peplum quiſquam mortalium retexit.* Nec non Inſcriptio iſta Capuæ olim in antiquo Marmore reperta, & quæ exſtat apud Gruterum pag. LXXXII.

TE. TIBI
VNA. QVA
ES. OMNIA
DEA. ISIS
ARRIVS. BA
BINVS. V. C.

*Florem*

*Florem* illum *sacrum* Isidis capiti impositum, *Loti* esse putat Laur. Pignorius in Expositione Mensæ Isiacæ, & recte, utpote quem Ægyptii magni fecerunt, ut constat ex Plinii lib. XIII. cap. XVII. & XVIII. Aliis Abrotanum referre videtur, de quo Plinius, lib. XXI. cap. X & XXI. roborando utero, vel Erucam de qua dictum,

*Excitat ad Venerem tardos eruca maritos.*

Sunt qui Perseam interprætentur, cujus arbor Isidi sacra fuit. De Ora quædam dicenda erunt mox ad Num. Iuliani. Sic in alio

II. Num. *Hadriani* sine Inscr. itidem cernitur *Isis* sedens, sed cum *Modio* sive *Calatho* in capite, & *Orum* in gremio tenens, qui mammis Matris nudis, & distentis alteram manum applicatam habet. ante pedes est ramus Palmæ arboris, quæ etiam Isidi sacra fuit, pone Sellam adstat urceus, sive cantharus. Modius, Serapidis insigne, Isidi assignatus: quia *Isis vel Terra est, vel natura rerum subjacens Soli,* uti loquitur Macrobius, lib. I. cap. XX. ideoque tanquam frugum parens Modium in capite gestat. Sic Diodorus Siculus lib. I. tritici & hordei vascula in festo Isidis circumferri scribit, quod frugum inventrix habita sit: Παρ' ἐνίαις δέ τῶν πολέων καὶ τοῖς Ἰσείοις ἐν τῇ πομπῇ μετὰ τῶν ἄλλων φέρεσθαι πυθμένας πυρῶν καὶ κριθῶν ἀπομνημόνευμα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτέχνως εὑρεθέντων. *Apud nonnullas quoque urbes cum Isea* (festum Isidis) *celebrantur in pompa inter alia etiam tritici & hordei vascula circumferuntur, ad primitus Deæ industria repertorum memoriam.* Antea dixerat, *Isidem* quam proxime, *Cererem* significare, ac tritici & hordei frumentum, quod antea neglectim in agris, ut aliæ herbæ nascebatur; hominibus ignotum, invenisse; proque testimonio ejus, etiam suo tempore, incolas quando messem faciebant, oblatis spicarum primitiis, juxta manipulos plangere, Isidemque invocare consuevisse.

visse. Sic Herodotus in Euterpe : Ἶσις δέ ἐστι, κατὰ τὸ Ἑλλήνων γλῶσσαν Δημήτηρ. *Isis vero secundum Græcorum linguam est Ceres.* Et postea : Αἰγυπτιστὶ δὲ Δημήτηρ Ἶσις ἐστί. *Ægyptiâ linguâ Isis est Ceres.* Quæ etiam est sententia Appollodori Bibliothec. lib. II. Ἱδρύσατο δὲ ἄγαλμα Δήμητρος, ὃ καλέσαν Ἶσιν Αἰγύπτιοι, καὶ τὸ Ἰὼ Ἶσιν ὁμοίως ὠνόμασεν. *Constituit autem (Io) Statuam Cereri, quam Ægyptii Isidem vocarunt: ac Iönem similiter nominarunt Isidem.* Unde quoque Cedrenus scribit: Ὡς δὲ Δήμητρα λέγει εὑρεῖν τὸν σῖτον, καὶ τὸ κριθήν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ παρ' Αἰγυπτίοις τιμωμένη Ἶσις. *Sic & Ceres dicitur reperisse frumentum & hordeum. Hæc est, quæ Isidis nomine apud Ægyptios colitur.* Sic in Columnæ Inscriptione quæ est apud Diodorum Siculum lib. I. Ἐγὼ Ἶσις εἰμὶ ἡ βασίλισσα πάσης χώρας, ἡ παιδευθεῖσα ὑπὸ Ἑρμοῦ, καὶ ὅσα ἐγὼ ἐνομοθέτησα ἀθέτους δυνατὸν λύσαι. Ἐγώ εἰμι ἡ τῶν νεωτάτων Κρόνου θεῶν θυγάτηρ πρεσβυτάτη. Ἐγώ εἰμι γυνὴ καὶ ἀδελφὴ Ὀσίριδος βασιλέως. Ἐγώ εἰμι ἡ πρώτη καρπὸν ἀνθρώποις εὑροῦσα. Ἐγώ εἰμι μήτηρ Ὥρου βασιλέως. Ἐγώ εἰμι ἡ ἐν τῷ ἄστρῳ τῷ κυνὶ ἀνατέλλουσα. Ἐμοὶ βουβάστου πόλις ᾠκοδομήθη. Χαῖρε, χαῖρε Αἴγυπτε, ἡ θρέψασά με. *Ego Isis sum, regina totius regionis, à Mercurio erudita. Quæ lege per me sancita sunt, nemo solvere potest. Ego Saturni novissimi Dei filia sum natu maxima. Ego sum Osiridis regis uxor & soror. Ego sum illa, quæ prima fruges mortalibus reperit. Ego regis Ori mater sum. Ego sum, quæ in Canis sidere exoritur. Mihi Bubastos urbs ædificata. Vale, gaude Ægypte, mea nutrix.* Huc quoque pertinet Epigramma Vetus in Antholog. lib. IV. tit. XII. ubi quoque *Modius* vel Calathus Isidi tribuitur.

Ἶσιδι καρποτόκῳ ταχυμήδει, μυριομόρφῳ,

Λαΐ ἑῷ ταλάρῳ, μογερῶν ἀπάνευθεν ἀρότων,
Αὐτόματοι σείχυσιν ἑλὼ πρὸς μητέρα καρποί.

*Isidi fructiferæ, citæ matri, variæ formæ,*
*Cum Lapideo calatho, laborioſis ſine aratris*
*Sponte accedunt ſuam ad matrem fructus.*

III. Num. *Iuliani* Apoſtatæ, cum Inſcript. VOTA PVBLICA. *Iſis* Dea ſedens cum Floſculo ex foliis arboris Perſeæ in capite, diſtentis mammis lactans *Orum* filium. Per Orum Oſiridis & Iſidis filium, Ægyptii, intelligebant Mundum hunc interitui & ortui obnoxium, ut refert Plutarchus in De Iſide & Oſiride: ἔστι δ' Ὧρος ὁ πρῶτος κόσμος, ὔτε φθορᾶς ἀπαλλαττόμενος παντάπασιν, ὔτε γενέσεως. *Eſt autem Orus mundus terreſtris, neque interitus unquam omnino expers, neque ortus.* Et paullo poſt: Ὁ δ' ἐκ τούτων κόσμος Ὧρος, οὐκ ἀΐδιος, οὐκ ἀπαθὴς, οὐδὲ ἄφθαρτος, ἀλλ' ἀειγενὴς ὤν, μηχανᾶται ταῖς τῶν παθῶν μεταβολαῖς καὶ πρὸς ὁδοῖς ἀεὶ νέος καὶ μηδέποτε φθαρησόμενος διαμένειν. *Ex his natus Orus, ſive mundus, non ſempiternus eſt, neque mutationum exſors & interitus, ſed identidem naſcens vicibus mutationum ſubinde atque affectionum novus recuditur, permanetque ut nunquam periturus.* Hunc, dum à Typhone ut ſpurium accuſatum, imo diſcerptum, & in aquas projectum volunt, à Luna vero, ſeu Iſide Mundi matre, in aqua repertum, vitæque reſtitutum, & immortalem redditum dicunt; nihil aliud denotant, quam quod genitalis Aquæ Vis, & Luna ſublunarium Regina, Mundum & fæcundant, & immortalem fere per varias rerum vices efficiunt. Imo per Orum Oſiridis & Iſidis filium omnes illi effectus deſignantur, qui virtute Solis & Lunæ generantur in Mundo; adeo ut Iſis, id eſt Luna, lactans Orum, id eſt, Mundum, humoribus ſuis & influxibus nutrimen-

trimentum & alimentum ei ſuppeditare videatur, quod poſtea Oſiris, ſive Sol radiis ſuis fovens, digerens & diſpeſcens, germinare, pullulare, maturare, atque omnis generis fructus proferre faciat. Hinc etiam Plutarchus ibidem ait, quod apud Ægyptios opinio invaluerit, Solem & Lunam oculos Ori fuiſſe. ὡς οὐ μόνον τὴν σελήνην, ἀλλὰ καὶ τὸν ἥλιον ὄμμα τοῦ Ὥρου καὶ φῶς ἡγούμενοι. *Quippe non Lunam modo, ſed & Solem oculum lumenque Ori cenſentes.* VOTA PVBLICA in hoc, & aliis Iuliani Nummis, ut jam ante monitum, applauſum populi denotant, ob reſtitutam à Iuliano Gentilium ſacrorum ſuperſtitionem.

IV. *.

Num. *Iuliani*, cum Inſcript. ISIS PHARIA. *Iſis* Dea, V.
media fere corporis ſuperna parte, ſive potius, *Helena* Juliani Uxor, ſub habitu Iſidis, cum Flore ſacro in capite, ſiſtro in dextra, & caniſtro omnis generis frugum repleto in ſiniſtra manu. PHARIA inſcribitur à Pharo inſula Ægypti ex adverſo Alexandriæ; ſic in Veteri Inſcriptione apud Gruterum pag. LXXXV. ΕΙCΙΔΙ ΦΑΡΙΑ. Hinc Statius Papinius lib. III Sylv. II.

*Iſa Pharonæis quondam ſtabulata ſub antris*
*Nunc Regina* PHARIO, *Numenque Orientis anheli*
*Excipe multiſono puppem Mareotida ſiſtro.*

Iſis *Pharia* etiam dicitur Minucio Felici in Octavio.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. VOTA PVBLICA. Duæ VI.
figuræ muliebres eodem prorſus habitu excultæ, vultu ambæ ſibi invicem adverſæ, ambæ aſpidem in capite cum cauda ſinuoſa verſus tergum habentes, ambæ alatæ in pectore, ambæ novaculam alterâ manu ferentes, alterâ vero circinum rotundum cum tribus nodis ſublimem tenentes. Ex Inſcriptione VOTA PVBLICA,

nullum eſt dubium, quin ad ſacra Ægyptiorum, hic typus pertineat. Et meo judicio, non multum aberravit in hoc ænigmate explicando Eminentiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, qui ad annum Ch. CCCLXII. non dubitat conjunctam hanc ejusdem prorſus effigiei imaginem, duplicem repræſentare Iſidem; duas namque fuiſſe Iſides nonnullos tradidiſſe, (Vid. Lil. Gyrald. De Diis Gentium Syntagm. XII. in fine) quorum ſententiam his ſignis optime comprobari putat. At quod Ægyptii ſimulacra Iſidis aſpidum ſertis coronata capita repræſentabant, eadem forma heic expreſſa ſigna, alaſque in eis volucris, quod vultures Iſidi dicati eſſent; novaculam porro geſtare dextera, quod ejus ſacerdotes cunctis abraſis corporis pilis, & virilibus præciſis eidem miniſtrarent. Atque hæc eſt Emin. Baronii ſententia; quam paucis confirmabimus. Sic Iſidis ſimulacrum cum Aſpide in capite cernere quoque eſt in Menſa Iſiaca, à L. Pignorio æri inciſa, edita, & explicata, qui ibi docet ex Æliano, aliisque, Ægyptios Reges aſpides in Diadematibus pictas circumtuliſſe, atque iſtis Iſidis ſimulacra coronaſſe. unde Valerius Flaccus lib. IV. Argonaut. De Iſide:

——— ——— *Et procul Io,*
*Spectat ab arce Poli jam Divis addita, jamque*
*Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.*

Alæ poſſunt eſſe vel Accipitrum, vel Vulturum, cum utraque avis Iſidi ſacra fuerit. Novacula quatenus in ſacris Iſidis & ſacerdotibus ejus, uſum habere potuerit, ſatis declarant hæc Jul. Firmici verba, qui lib. De Error. Profan. Relig. ita ſcribit: *Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent Idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui, turpitudine dehoneſtati defleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum refecant cicatrices; ut annuis luctibus, in animis eorum, funeſtæ ac miſerandæ necis exitium renaſcatur.*

Num.

Num. *Ejusdem*, cum eadem Inscr. VOTA PVBLICA. Cernitur heic *Serapis* cum Modio, & *Isis* è regione cum sacro flore in capite, ambo infra umbilicum in sinuosos aspides, sive Serpentes desinentes, manibus urnam, vel amphoram intermediam sustinentes, ex cujus vertice quoque sinuosus serpens capite arrecto adsurgit. Ægyptiorum Sacrorum Mysterium, aut Ænigma sub hoc schemate latere, facile quivis videt, sed ad istud explicandum Oedipo forte Ægyptiaco opus foret. VII.

Num. *Gentis Carisiæ*, cum Inscript. MONETA. Caput fœmininum, cum crinibus spiræ instar circum plexis, & tortis circa cervicem defluentibus, ac monili circa collum ornatum, *Iunonem*, ut volunt, MONETAM repræsentans, sic dictam à monendo, Qua de re ita Suidas: ΜΟΝΗΤΑ. ἡ Ἥρα παρὰ Ῥωμαίοις ἀπ' αἰτίας τοιαύτης. Ῥωμαῖοι δεηθέντες χρημάτων, ἐν τῷ πρὸς Πύρρον καὶ Ταραντίνους πολέμῳ, ηὔξαντο τῇ Ἥρᾳ. τὴν δὲ χρῆσαι αὐτοῖς, εἰ τῶν ὅπλων ἀνθέξουσι τῇ δικαιοσύνῃ, χρήματα αὐτοῖς μὴ ἀπολείψειν. τυχόντες οὖν οἱ Ῥωμαῖοι τῆς αἰτήσεως, ἐτίμησαν Ἥραν Μονήταν, τοῦτέστι σύμβουλον. τὸ νόμισμα ἐν ἱερῷ αὐτῆς ὁρίσαντες χαράττεσθαι. MONETA. *Iuno apud Romanos tali de causa ita dicta. Romani cum in bello contra Pyrrhum & Tarentinos pecuniis egerent. Iunoni votum fecerunt. Illam vero ferunt ipsis respondisse, si cum justitia feriam operam darent armis, pecuniam ipsos non defecturam. Romani igitur voti compotes facti*, IVNONEM MONETAM *coluerunt, hoc est, Consultricem; & decreverunt, ut nummi in ejus templo cuderentur.* Hæc quidem Suidas, unde vero ista habeat, ignoro. Longe enim aliter Livius lib. VII. cap. XXVII. qui jam ante in bello contra Aurunos à L. Furio Camillo Dictatore ædem *Iunoni Monetæ* votam scribit: *Dictator Deorum quoque opes adhibendas ratus, inter ipsam dimicationem, ædem Iunoni Monetæ vovit: cujus damnatus voti cum victor Romam revertisset, Dictatura se abdicavit. Senatus Duum-viros* VIII.

*ad eandem ædem pro amplitudine populi Romani faciendam creari jußit. Locus in arce deßinatus, quæ in area ædium M. Manlii Capitolini fuerat.* Cum Livio facit Ovidius lib. VI. Faßor.

*Arce quoque in ſumma Iunoni Templa Monetæ*
*Ex voto memorant facta, Camille, tuo.*
*Ante domus Manli fuerat, qui Gallica quondam*
*A Capitolino reppulit arma Iove.*

Verum antea quoque, priuſquam à Gallis urbs caperetur, vocem ex arce Capitolina ab æde Junonis auditam ſcribit Cicero lib. I. De Divinat. atque ideo *Iunonem* illam appellatam *Monetam.* Verba ejus: *Atque ita ſcriptum à multis, cum terræ motus factus eſſet, ut Sue plena procuratio fieret, vocem ab Æde Iunonis ex Arce exſtitiſſe. Quocirca* IVNONEM *illam appellatam* MONETAM. Idem lib. II. De Div. ſcribit numquam, niſi tum vocem auditam fuiſſe, *Quod de* MONETA *dici poteſt, à qua quid unquam præterquam: de ſue plena moniti ſumus?*

IX. Num. *Manliæ Scantillæ*, Didii Juliani uxoris, cum Inſcr. IVNO. REGINA. *Iuno* Dea, ſive potius *Manlia Scantilla* habitu Junonis velata, ſiniſtra haſtam puram, ſive ſceptrum; dextra pateram tenens, adſtante pavone. Fulgentius Mythologicon lib. II. *Iuno quaſi à juvando dicta eſt: ideo & Regnis præeſſe dicitur, quod hæc vita divitiis tantum ſtudeat: ideo etiam cum ſceptro pingitur, quod divitiæ regnis ſint proximæ. Velato etiam capite Iunonem ponunt, quod omnes divitiæ ſint ſemper abſconſæ.* Et mox: *Hujus quoque in tutelam pavum ponunt, quod omnis vita potentiæ petax, in adſpectum ſui ſemper quærat ornatus.* &c. REGINÆ cognomen Iunoni datum, quod & ſoror & conjux Iovis eſſet Deorum hominumque Regis. Virgilius lib. I. Ænid.

*Aſt ego quæ Divum incedo Regina, Iovisque,*
*Et ſoror & conjux.* ——

Hujus

Hujus ſimulacrum captis Vejis Romam tranſportatum, fanumque à M. Furio Camillo Dictatore in Monte Aventino ei dedicatum ſcribit Livius lib. V. ubi inter alia, cap. XXII. hæc habet: *Integramque in Aventinum æternam ſedem ſuam, quo Vota Romani Dictatoris vocaverant, perlatam, ubi templum ei poſtea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.* Et mox cap. XXIII. *Tum* IVNONI REGINÆ *templum in Aventino locavit, dedicavitque Maturæ matri.* Vide & Plutarchum in Camillo. Meminit ejus quoque Livius lib. XXXVII. *Tacta de Cœlo Ædes in Aventino* IVNONIS REGINÆ. Et paullò pòſt: *Per Boarium forum in clivum publicum, atque Ædem* IVNONIS REGINÆ *perventum.* Huc pertinet iſtud Ovidii lib. VI. Faſtorum.

*Cur igitur Regina vocor, princepsque Dearum?*
*Aurea cur dextræ ſceptra dedere meæ?*

Num. *Treboniani Galli*, cum Inſcr. IVNONI MARTIALI. SC. Cernitur heic Templum, in quo *Iuno* ſedet haſtam ſiniſtra, & pateram dextra tenens, cum pavone ad pedes ſtante; dedicatumque templum eſt IVNONI MARTIALI. Ejusdem generis Templum, cum ſimili inſcriptione reperitur in quodam Nummo *C. Vib. Voluſiani Aug.* Meminit ejus Sext. Rufus de Reg. Urb. in Reg VIII. ſive Foro Romano: ubi diſertis verbis legitur: *Templum Iunonis Martialis.* unde non audiendi, qui in noſtro Nummo pro MARTIALI, legi volunt MARITALI. quia nempe Iuno connubiorum Dea cenſetur. Nam & eodem modo, uti bene obſervat A. Rubenius, apud Pauſaniam & Plutarchum in Pyrrho, Iupiter Ἄρειος, id eſt *Martialis* dicitur. Apud alios quoque præter Pauſaniam, apud Ioſephum nimirum, & Euſebium eſt *Iupiter* ἐνυάλιος: quod idem eſt. Sic *Venus* Ἄρεια memoratur Pauſaniæ; nec non *Minerva* Ἄρεια. De qua poſtrema ita quoque Phurnutus. Ἄρεια δ' ἐνηλίθη, τῷ



X.

στρατηγικὴ εἶναι, καὶ διοικητικὴ πολέμων, & ὑπερμαχητικὴ & δικαίας. *Martialis* vocata est, *quod sit Dux quædam & gubernatrix bellorum, & propter justitiam defendendam acriter pugnet. Ad Iunonem Martialem* utique pertinent ista Virgilii

——— *Heic Iuno Scæas Sævissima portas*
*Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen*
*Ferro accincta vocat.*

Sic in quodam

XI. Num. *Gentis Popilliæ*, cum Inscr. M. POPILLI. M. F. cernitur *Iuno* Martiali penitus habitu armata, exuviis quippe caprinis galeata quæ & à tergo dependent, sinistra scutum oblongum tenens, dextra autem hastam quasi jaculatura, cum calceis repandis; adest quoque Serpens sinuosus; plane heic repræsentatur, quemadmodum *Iuno Sospita*, quæ Lanuvii colebatur, à Cicerone describitur lib. I. De Natura Deor: *Tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu nunquam ne in somniis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceis repandis.* Meminit ejus quoque in Oratione pro Murena, circa finem. Serpens ille, sive Draco Iunoni Lanuvinæ sacer erat, cui virgines castitatis probandæ ergo, escam præbere solitæ, uti constat ex hisce Propertii lib. IV. Eleg. VIII.

*Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis,*
*Heic ubi Tartareæ non perit hora moræ.*
*Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,*
*Qua penetrat, Virgo, tale iter omne cave.*
*Iejuni Serpentis honos, quum pabula poscit*
*Annua, & ex ima sibila torquet humo.*

*Talia*

TAB. XLVIII.

1

2



3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*Talia demiſſæ pallent ad ſacra puellæ:*
*Cum tenera anguineo creditur ore manus.*
*Ille ſibi admotas à Virgine corripit eſcas.*
*Virginis in palmis ipſa caniſtra tremunt.*
*Si fuerint caſtæ, redeunt in colla parentum.*
*Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.*

Apud Ful. Urſinum in Nummis Gentis *Metiæ*, *Papiæ*, & *Roſciæ*, videre eſt hujuſmodi virginem Serpenti Lanuino eſcam præbentem. In Nummo quodam *Antonini Pii*, cernitur Iuno eodem plane cultu expreſſa atque in hoc noſtro nummo, cum inſcriptione SISPITA, more antiquo, pro *Soſpita*, uti notat Feſtus: *Siſpitam Iunonem, quam vulgo Soſpitam appellant, antiqui uſurpabant; cum ea vox ex Græco videatur ſumpta, quod eſt* σώζειν.

# TABVLA XLVIII.

Num. *Gentis Thoriæ*, cum Inſcript. I. S. M. R. hoc eſt, I. IVNO. SOSPITA. MAGNA. ſeu MAXIMA REGINA. Caput *Iunonis Soſpitæ*, cum galea ex pelle caprina cum cornibus; infra collum etiam crus cum ungulis caprinis adeſt. Hæc quoque à Romanis primum Lanuvii culta, ut teſtis eſt Livius lib. VIII. *Lanuviis*, inquit, *civitas data, ſacraque ſua reddita, cum eo ut ædes lucuſque Soſpitæ Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet.* Hinc ſæpius apud Auctores tam Livium, quam alios occurrit, miſiſſe Romanos Lanuvium, qui Sacrificiis *Iunonem Soſpitam* placarent. Poſtea tamen & eidem ædem Romæ in foro Olitorio exſtructam à C. Cornelio Conſule refert quoque Livius lib. XXXII.

——— *Conſul principio pugnæ ædem vovit Soſpitæ Iunoni, ſi eo die hoſtes fuſi, fugatique eſſent.* Et lib. XXXIV. cap. LII. *Ædes eo*

*anno aliquot dedicatæ ſunt: una Iunonis Soſpitæ in foro Olitorio, vota, locataque quadriennio ante à C. Cornelio Conſule, Gallico bello, Cenſor idem dedicavit.* P. Victor in X. Regione, hoc eſt in Palatio ponit ædem Matris Deûm, & addit: *Huic fuit conterminum Delubrum Soſpitæ Iunonis.* Bene *fuiſſe* ait; & ita Ovidius lib. II. Faſtor.

*Principio menſis Phrygiæ contermina matri*
*Soſpita delubris dicitur aucta novis.*
*Nunc ubi ſint quæris, illis ſacrata Kalendis*
*Templa Deæ! longa procubuere die.*

Iuno autem caprina pelle forte ab antiquis ficta eſt, quod ei capræ immolarentur, unde & αἰγοφάγῳ, id eſt, *Capricora* à Lacedæmoniis appellata, ut ſcribit Pauſanias lib. III. Μόνοις δ' Ἕλλήνων Λακεδαιμονίοις καθέστηκεν Ἥραν ἐπονομάζειν αἰγοφάγον, καὶ αἰγᾶς τῇ θεῷ θύειν. *Soli è Græcis Lacedæmonii ſolenne habent Iunonem colere, quam Ægophagam nominant, eidemque capras immolare.* Addit Pauſanias, Lacedæmonios dicere, Herculem ei templum dedicaſſe, & Deæ capram mactaſſe primum, quod Iuno ipſi pugnanti adverſus Hippocoöntem non ſit adverſata; caprâ verò Sacrificaſſe, quod aliæ hoſtiæ deficerent; indeque nomen inditum. Forte etiam à capris Iuno *Caprotina* dicta eſt, cujus meminit Varro de L. L. lib. V. *Nonæ Caprotinæ, quod eo die in Latio Iunoni Caprotinæ mulieres ſacrificant, & ſub ſacrifico faciunt, & è caprifico adhibent virgam.* Denique, quod literas M. R. cum Fulvio legamus, MAGNA, ſeu MAXIMA REGINA. inde eſt, quod utrumque cognomen Iunoni olim tributum fuiſſe ex hiſce Virgilii manifeſtum.

—— —— *tibi enim, tibi,* MAXIMA *Iuno,*
*Mactat ſacra ferens*

Et:

Et:

*Iunonis* MAGNÆ *primum prece numen adora.*

Sic Ovidius lib. II. Faſtor. *Magnam* vocat:

*Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis*
*Iunonis* MAGNÆ *nomine lucus erat.*

II. *.

Num. *Fauſtinæ Minoris.* cum Inſcr. IVNONI LVCINÆ. III. *Fauſtina* ſub habitu *Iunonis Lucinæ*, cum tribus puerulis uno in ulnis, duobus vero ad latera adſtantibus. Nummus forte cuſus, poſtquam Fauſtina tertium peperit infantem; adeoque jam tertia vice *Iunonis Lucinæ* ope adjuta & ſervata fuerit. Hanc enim mulieres parturientes invocare ſolebant; ut illa apud Terentium in Andria: *Iuno Lucina fer opem; ſerva me obſecro.* Ubi Donatus: *Iuno Lucina Iunonis filia, Græce* Εἰλείθυα. *Latini Nixos dicunt. Iuno à juvando dicta, Lucina ab eo, quod in lucem producat. Et gemina vota ſunt, ut & partus, & pariens ſervetur. Nam* fer opem, *propter partum*: ſerva me, *propter parientem dicitur.* Sic Martianus Capella De Nupt. Philolog. lib. II. *Iuno pulchra, licet aliud nomen tibi conſortium cæleſte tribuerit, & nos à juvando Iunonem, unde & Iovem dicimus nominemus. ſive te Lucinam; quod lucem naſcentibus tribuas ac Luceriam convenit nuncupari.* Plinius tamen lib. XVI. cap. XLIV. *Lucinam* dictam arbitratur, quia ædes ejus fuerit in luco, qui fuit ad radices montis Eſquilii. Ovidius utrumque conjungit lib. II. Faſtor.

*Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus,*
*Aut quia principium tu Dea Lucis habes.*
*Parce precor gravidis, facilis Lucina, puellis,*
*Maturumque utero molliter aufer onus.*

Cum autem Iuno etiam ad Lunam referatur; inde alii exſtimant *Lucinam* à *lucendo*, quod noctu luceat, dictam. Sic Cicero lib. II.

De Nat. Deor. *Luna à lucendo nominata. Eadem enim Lucina. Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Ciceronem sequitur Servius ad IV. Æneid. item Isidorus lib. VIII. Orig. cap. XI. Vide & Varronem lib. IV. de L. L. Scribit Dionysius Halicarnasseus lib. IV. ex L. Pisone, de Servio Tullio Rege, quod, cum scire vellet numerum eorum, qui in Urbe nascerentur, statuerit, ut cognati proximi pro Singulis certum pretium inferrent in ærarium Iunonis Lucinæ. ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὴν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων. *Statuit, quanti pretii nummos pro singulis nascentium inferre deberent cognati in ærarium Ilithyiæ, quam Romani Iunonem Lucinam vocant.* Sext. Rufus De Reg. Urb. *Iunonis Lucinæ* ædiculam collocat in Regione IV. Templum verò ejusdem in Reg. V. uti & facit P. Victor. Templi meminit Livius lib. XXXVII. cap. III. *Romæ Iunonis Lucinæ templum de cœlo tactum erat.*

IV. Num. *Turpiliani*, cum Inscript. TVRPILIANVS. III. VIR. FERON*ia*. Caput muliebre floribus & foliis coronatum, FERONIAM Deam refert. Servius ad illud Virgilii lib. VII. Æneid.

—— *Et viridi gaudens Feronia luco.*

Notat: *Iuno Virgo, quæ Feronia dicebatur;* vultque hanc cultam circa Cyrcæum, tractum Campaniæ. Hunc secutus cum aliis Collector horum Ectyporum, etiam hunc Nummum, in quo caput *Deæ Feroniæ* scalptum, inter eos retulit, qui Iunonem Deam præferunt, quasi Iuno quoque *Feronia* dicta fuerit. Cujus rei tamen inter Veteres nemo præter Servium meminit. Istud constat Feroniam Deam Sabinorum fuisse. At vero de Iunone nihil reperiet, qui inhærere velit Verbis Dionysii Halicarnassei lib. II. ubi ex Sabi-

Sabinorum relatione in ejus originem inquirens, narrat, Sabinos dicere, Lacedæmonios quosdam ob severitatem legum Lycurgi, secessione à cæteris facta, urbem prorsus deseruisse; deinde diu mari delatos, qualiscunque terræ desiderio, votum Diis fecisse in quamcunque terram devenissent, sedes ibi posituros. Advectos autem ad Pometinos Italiæ campos, locum, in quo primum appulerant, vocasse *Feroniam* ab æquorea navigatione; templum quoque construxisse *Deæ Feroniæ*, cui vota fecerant. In his utique nihil de Iunone Dea occurrit; non magis in istis, quæ idem Dionysius lib. III habet, cujus ipsamet verba, cum omnino ad rem faciant, quam intendimus, heic adscribam: Ἱερόν ἐστι κοινῇ πᾶσιν ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἄγιον ἐν τοῖς μάλιστα, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης, ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν, οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν. *Fanum est, quod Sabinis æque ac Latinis summa religione colitur, sacrum Deæ Feroniæ, quam vertentes in Græcam linguam, alii quidem Anthephoron, alii Philostephanon, alii Phersephonem vocant.* Hæc autem Dionysii verba, quamvis nihil de Iuno habeant, tamen nos ad cognitionem Deæ Feroniæ quasi manuducunt. Est enim *Anthephoros*, idem ac *Florigera*, sive, *Flores ferens*; *Philostephanos*, *Sertis gaudens*, sive, *amans coronam*: Phersephone, *ferens unius anni proventum*, nempe à φέρω, & ἄφενος. de quo postremo Homeri Scholiastes in lib. I. Iliad. ita scribit: ἄφενος λυσιτελὲς ἢ ἀφ' ἑνὸς ἐνιαυτοῦ εὐετηρία. *aphenos proprie unius anni proventus.* Quo autem hæc omnia, nisi quod nobis designent *Feroniam* esse Deam Florum, & quæ floribus, & sertis gaudeat? unde & in hoc Nummo cum corona, sive serto è floribus in capite expressa. Inde etiam Virgilio dicitur:

——— *Viridi gaudens Feronia lucu*

Nec non Silio Italico:

*Dives ubi ante omnes colitur Feronia luco.*

Item Horatio lib. I. Sat. V.

*Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.*

Id est, tuo fonte, à Feronia Dea. Sic enim hoc capiendum, non, ut Feronia sit nomen fontis. sed in fonte, qui in luco, vel prope fanum Feroniæ deæ esset. Et quis ignorat in lucis ut plurimum fontes, rivulos, & similes amænitates esse? Feronia itaque erit Dea Florum; quo etiam facit, quod Dionysius ait, eam à quibusdam *Phersephonem* Græcè verti; quo nomine etiam Græcis Proserpina dicitur, quod divitias afferat, uti & Pluto. Proserpina autem dum legendis floribus operam daret, à Plutone rapta. Hinc etiam à Claudiano præficitur Dea non obscuris & tetris locis, sed floribus & pratis Elysiorum. Quæ omnia sane eo tendunt, ut nobis Feroniam, Deam Florum exhibeant. Feroniæ mentio aliquoties fit apud Livium, Plinium, Tacitum, sed nihil ibi de Iunone, uti nec apud Strabonem lib. V. cujus verba subjungam, cum etiam singulare sacrificii genus quo Dea coleretur, referant. ὑπὸ δὲ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστὶν ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον· γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασεν ἀνθρακίαν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς· καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων ἅμα τῆς πανηγυρέως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ' ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θέας. *Sub monte Soracte urbs est Feronia, cognominis indigenæ cuidam Deæ, quam vicini studiose venerantur: atque est ibi lucus Feroniæ, in quo sacrificium perpetratur mirabile. correpti enim ejus numinis afflatu homines nudis pedibus prunarum ardentium struem illæsi perambulant. & quotannis eò turba hominum cum solennis conventus tum spectaculi ejus causa confluit.* Atque hæc de Feronia Dea heic notare visum, cum non ubiuis obvia sint.

Num.

Num. *Severi Imp. & Filiorum*, cum Inſcr. INDVLGEN-V. TIA AVG. IN CARTH*aginem. Iuno*, velata, dextra fulmen, ſiniſtra ſceptrum gerens, Leoni inſidens per aëra ad cœlum vecta, *Cæleſtis* Carthaginienſium Dea, prout ab Appuleio depingitur lib. VI. Metamorph. *Magni Iovis Germana & conjuga: ſive tu Sami, quæ querulo partu vagituque & alimonia tua gloriatur, tenes vetuſta delubra; ſive celſæ Carthaginis, quæ te Virginem vectura Leonis cœlo commeantem percolit, beatas ſedes frequentas.* &c. De hac *Cæleſti* Carthaginienſium Dea Tertullianus Apologetico: *Vnicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt: ut Syriæ Aſtartes: ut Arabiæ Dyſares, ut Norici Belenus, ut Africæ Cæleſtis.* Hanc etiam paullo ante intelligit idem Tertullianus: *Illa ipſa Virgo Cæleſtis pluviarum pollicitatrix.* Quemadmodum & Auguſtinus lib. II. De Civit. Dei. cap. IV. eam *Virginem Cæleſtem* appellat. Meminere hujus, præter alios, Capitolinus in Pertinace, & in Vita Macrini; Trebellius Pollio in XXX Tyrannis; Philaſtrius Brixienſis in Catalog. Hæreſ. cap. XV. Ambroſius Epiſtola contra Relationem Symmachi; Salvianus lib. VIII. D. Gubern. Dei. Victor Vticenſis Epiſcop. lib. I. Hiſt. Vlpianus Regular. Tit. XII. Hanc eandem cum Luna eſſe, teſtis Herodianus lib. V. ubi ſcribit Carthaginienſes Οὐρανίας, ſive *Cæleſtis* Numen à Didone Phæniſſa accepiſſe, & Lunam credi; vocarique Phænicibus Ἀστροάρχην. Sic nimirum vox Ἀστάρτης, quæ ex *Aſtaroth* à Græcis corrupta in Ἀστροάρχλην quaſi dicas, *ſiderum rectricem*, ſive *Cœli Reginam.* Atque uti à Græcis hæc *Aſtarte* per Οὐρανίαν expreſſa eſt, ita quoque Latini inde *Cæleſtem* fecere Deam. quæ eadem cum *Iunone*, ſive *Luna*, cujus effigies in hoc Nummo Scalpta. Cæterum per hanc Deam, uti ex Inſcriptione patet, INDVLGENTIA AVG. IN CARTH. denotantur beneficia illa, quæ Severus, una cum filiis plurima in Carthaginienſes contulerit. Hinc Spartianus in ejus Vita: *itidem Carthaginienſibus plurima indulſit.*

Sic

Sic ut *Indulgentia* heic designet Tributorum, aut Annonarum remissionem, Carthaginiensibus factam; quemadmodum Ambrosius Orat. in Obitum Theodosii *Annonarum exigendarum relaxationem* ab eo promissam, sed morte prævento non præstitam, vocat *Indulgentiarum* hæreditatem. Hanc Severi Imp. Indulgentiam præ oculis habuisse nonnulli volunt Tertullianum, qui isto tempore scripsit, initio Libri De Pallio: *Principes semper Africæ, viri Carthaginienses, vetustate nobiles, novitate felices, gaudeo vos tum prosperos temporum, cum ita vacat ac juvat, habitus denotare. Pacis hæc & Annona, & ocia: ab Imperio, & â cœlo bene est.* uti recte hunc locum ὁ πάνυ Salmasius distinxit; cui quoqe in eo potius assentior, quod putet Tertullianum ad istam Severi indulgentiam & largitatem non respexisse.

VII. Num. *Agrippinæ*, cum Inscript. VENVS CÆLESTIS. *Venus Cœlestis*, sive potius *Agrippina* sub ejus habitu, sinistra sceptrum, dextra pomum tenens. adest & stella *Veneris*, utpote *Cœlestem* designans. Cæterum Ἀφροδίτης Οὐρανίας, sive *Veneris Cœlestis* meminit Herodotus lib. I. qui & dicit Assyrios & Arabes per eam Aëra designare. Alioquin Doctis notum, Orientales per *Venerem Vraniam*, sive *Celestem*, intellexisse, tum Lunam, tum Aëra; iisque eandem Divam fuisse, Venerem & Iunonem. *Venerem Cœlestem* ab Assyriis primum cultam, tum ad Phœnices, & inde ulterius cultum ejus transiisse scribit Pausanias in Atticis: Πλησίον ὃ ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης Οὐρανίας. πρώτοις ὃ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν· μετὰ ὃ Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ· παρὰ ὃ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. Ἀθηναίοις ὃ κατέστησαν Αἰγεῖς; *Non longe abest Cœlestis Veneris delubrum. quam primi omnium Assyrii coluere; à quibus Paphii in Cypro acceptum Sacrorum ritum, cum Phœnicibns, qui in Palæstina Ascalonem*

*calonem urbem incolunt: Phœnices cum Cytheriis communicarunt. Athenis vero eam religionem induxit Ægeus.* &c. De Veneris ſtella, quæ ſane heic grandiuſcula depicta eſt, uti etiam in cœlo apparere ſolet, præſertim quando proxime ad terram accedit, notatu digna ſunt verba Porphyrii apud Euſebium lib. III. Præparat. Euangelii. cap. XI. Τὸν δὲ τῆς Ἀφροδίτης ἀστέρα θεωρήσαντες γενεσιουργὸν, ἐπιθυμίας τε καὶ γονῆς αἴτιον, γυναῖκα μὲν ἀνέπλασαν διὰ τὴν γένεσιν, ὡραίαν δὲ, ὅτι καὶ Ἕσπερος, οἱ κάλλιστος &c. *Stellam autem Veneris cum ad generationem prolemque gignendam aptam & cupiditatis, ac ſeminis cauſſam eſſe animadverterent; eam ob generationem, effinxere ſpecie mulieris; ſed formæ perelegantis, quia & eadem Heſperus ſit: qui pulcherrimus.* Heic audimus Veneris ſtellam ab antiquis generationi præfectam; tum eandem *Heſperum* vocari; ſed eadem ſtella non ſolum *Heſperus*, verum etiam *Lucifer* appellata quippe quæ utroque munere fungatur. Cum enim Venus Solem cicumeat, ac modo Sole ſuperior, modo eo inferior ſit; vel veſperi, vel mane ſub radiis ſolaribus occultetur, atque utroque modo denuo ex iis emergat, Quando veſperi emergit, dicitur tum *Heſperus* ſeu *Veſper*, ſive *Veſperugo*, uti Plautus vocat in Amphytryone; quando verò mane ex radiis Solaribus emergit, tum dicitur Ἑωσφόρος, vel Φωσφόρος, ſive *Lucifer*, vel etiam *'Eous*. Sic Helvius Cinna apud Servium ad lib. I. Georg.

*Te Matutinus flentem conſpexit Eous:*
*Et flentem vidit paullo poſt Heſperus idem.*

Ex obſervationibus quoque per Tubum Opticum innotuit, Veneris ſtellam incrementa, & decrementa ſua habere, ac eclipſin pati inſtar Lunæ.

Num. *Fauſtinæ Minoris* cum Inſcr. VENVS. *Fauſtina* ſub cultu *Veneris*, ſiniſtra ſceptrum, dextra columbam ferens. Ful- VII.

Et paullò pòst:

—— *Quoniam rerum naturam sola gubernas,*
*Nec sine te quidquam dias in luminis oras*
*Exoritur.* &c.

Quo faciunt & ista Phurnuti: Καλεῖται δὲ Οὐρανία τε καὶ Πάνδημος, καὶ Παναιτίη, διὰ τὸ κἂν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ θαλάσσῃ τὴν δύναμιν αὐτῆς θεωρεῖσθαι. *Vocatur autem & Cælestis, & Vulgaris, & Omnium Causa, quod nempe Veneris potentia & Vis, & in cœlo, & in mari cernatur.* Sic in

XI. Num. *Faustinæ Minoris*, cum Inscr. VENVS GENETRIX. *Venus Genetrix* conspicitur brachiis, & altera mamma nuda, dextra Victoriolam, sinistra Clypeum in quo duæ figuræ dextris junctis scalptæ, quibus matrimonium M. Aurelii & Faustinæ adumbratum videtur, tenens. Venus heic vestem quoque ex parte sublevatam sive succinctam habet, adeo ut crus sinistrum nudum appareat. Sic in alio

XII. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. VENERI GENETRICI. *Faustina* cernitur ipsa, habitu *Veneris Genetrici*, dextra pomum tenens, sinistro verò brachio Infantem fasciis involutum. Haud dubie ad Fœcunditatem Faustinæ designandam; quemadmodum & ipsa supra Num. III. hujus Tabulæ cum tribus puerulis scalpta est.

## TABVLA XLIX.

I. Num. *I. Cæsaris*, cum Inscr. P. SERVILIVS MACER. *Venus* altera mamma & brachiis nuda, dextra Victoriolam, sinistra sceptrum, juxta quod clypeus humi erectus stat, ferens. *Venerem* haud dubie *Genetricem* repræsentat imago, uti præcedenti Tabula

in

XLIX.

1

2

3

4

5



6

7

8

9

10

11

12

in Nummo *Faustinæ*, quo nomine Venerem Iulius Cæsar præcipue compellare solitus, utpote, qui ab Iulo, Æneæ filio, Veneris nepote, genus ducere videri vellet. Vnde & ante Pharsalicam pugnam *Veneri Genetrici* templum vovit, & potitus victoriâ, in foro suo exstruxit. Qua de re Appianus Alexandrinus Bellor. Civil. lib. II. θυόμενος τενυκτὸς μέσης, τὸν Ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον Ἀφροδίτην, ἐκ γὰρ Αἰνείου καὶ Ἰούλου τοῦ Αἰνείου τὸ τῶν Ἰουλίων γένος, παρεχθέντος τοῦ ὀνόματος, ἡγεῖτο εἶναι, νεὼν τε αὐτῇ νικηφόρῳ παριστήριον ἐν Ῥώμῃ ποιήσειν εὔχετο κατορθώσας. *Cæsar de media nocte operatur sacris, & Genetricis Veneris: nam à Iulo, Æneæ filio, Iulia gens, ut nomen, ita genus ducere creditur: simulque ædem Deæ vovit in Vrbe sacrandam, si propitia juvaret Victoriam.* Et postea, cum de Cæsaris reditu in Vrbem, quatuorque triumphis ab eo ductis egisset, subjicit: Ἀνέστησε καὶ τῇ γενετείρᾳ τὸν νεὼν, ὥσπερ εὔξατο μέλλων ἐν Φαρσάλῳ μαχεῖσθαι· καὶ τέμενος τῷ νεῷ περιέθηκεν, ὃ Ῥωμαίοις ἔταξεν ἀγορὰν εἶναι, οὐ τῶν ὠνίων, ἀλλ' ἐπὶ πράξεσι συνιόντων ἐς ἀλλήλους. *Dedicata & ædes Veneri Genetrici ex voto concepto instante pugna ad Pharsalum, fanumque ædi additum, quod forum populo Romano esse voluit non rerum venalium, sed agendis litibus.* Hujus templi quoque meminit Dio Cassius lib. XLIII. hisce verbis: Ταύτην τε οὖν (ἀγορὰν) καὶ τὸν νεὼν τὸν τῆς Ἀφροδίτης, ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ οὔσης, ποιήσας, καθιέρωσεν εὐθὺς τότε. *Forum vero & templum Veneris, quam sui generis auctorem ferebat, à se condita Cæsar statim tunc consecravit.* Atque hinc est, quod toties Iul. Cæsar Veneris imaginem in Nummis suis scalpi curaverit. Sic in alio

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. CAESAR DICT. PERP. II.
Simulachrum *Veneris* penitus nudæ, dextra galeam ferentis, sinistra vero clypeum Cæsaris rotundum, magnum, humi positum,

ſuſtinentis, inter Aquilam haſtæ affixam, ſignum ſcilicet militare Romanæ Legionis, & Aquilam Imperii aræ inſiſtentem. Albricus De Deorum Imaginibus: *Pingebatur Venus, pulcherima puella, nuda* &c. Arnobius lib. VI. *Venus nuda ac aperta depingitur, ac ſi dicas illam publicare, ac divendere meritorii corporis formam.* Ovidius Epiſtola Didonis ad Æneam:

*—— quia mater Amorum*
*Nuda Cytheriacis edita fertur aquis.*

Et lib. III. Art. Amator.

*Nuda Venus madidas exprimit arte comas.*

Appuleius lib. X. Metamorph. *Qualis Venus, cum virgo fuit, nudo & intecto corpore &c.*

Sidonius Apollinar. Carm. VII.

*Nuda Venus, fæcunda Parens, pharetrata Diana,*
*Iuno gravis, prudens Pallas, turrita Cybelle.*

Agmen claudat Lucianus in Amorib. ubi de Venere Cnidia Praxitelis: Εἴϲω τοῦ νεὼ παρήειμεν. ἡ μὲν οὖν θεὸς ἐν μέϲῳ καθίδρυτο. Παρίας δὲ λίθου, δαίδαλμα κάλλιϲτον ὑπερήφανον, καὶ σεσηρότι γέλωτι μικρὸν ὑπομειδιῶσα, πᾶν δὲ τὸ κάλλος αὐτῆς ἀκαλύπτον, οὐδεμιᾶς ἐσθῆτος ἀμπεχούσης γεγύμνωται, πλὴν ὅϲα τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὴν αἰδῷ λεληθότως ἐπικρύπτειν. *In templum introivimus, cujus in medio Dea poſita eſt ex Pario marmore, opus ſane pulcherrimum & diducto ore paulum ſubridens. Tota autem ejus pulchritudo detecta, nulla veſte ipſam tegente, nuda conſpicitur, niſi quod oblita ſui alterâ manu pubem obtegat.* Quod tamen hæc noſtra non facit, neque enim glabellum fæminal roſeâ palmulâ obumbrat,

brat, ut alicubi de Fotide ſua loquitur Appuleius. Cæterum, dubium, utrum Cæſar heic *Venerem Genetricem*, an verò *Victricem* deſignet, cum eam cum galeâ in dextra manu repræſentet, quomodo *Venus Victrix* alias in Nummis conſpici ſolet, præſertim tali figura, uti proxime ſequenti Nummo cernitur. In pugna Pharſalica etiam Cæſar militibus ſuis *Venerem Victricem* pro teſſera dederat, ut teſtatur Appianus Alexand. lib. II. Bell. Civil. Καὶ τὰ σωθήματα ἀναδιδόντες, ὁ μὲν Καῖσαρ, Ἀφροδίτην νικηφόρον. ὁ δὲ Πομπήϊος, Ἡρακλέα ἀνίκητον. *Et teſſeram dantes, Cæſar quidem, Venerem Victricem, Pompeius verò Herculem invictum.* Sic quoque Cæſar Venerem pro teſſera dedit in prælio cum juniore Pompeio ad Cordubam. Idem Appianus eodem libro paullò poſt: ὁ Καῖσαρ ἐξέταξε πρὸ πόλιν Κορδύβην, σύνθημα τότε δὲς Ἀφροδίτην, ἔδωκε δὲ ὁ Πομπήϊος Εὐσέβειαν. *Cæſar ſuos in aciem deduxit ante Cordubam, tunc quoque datâ Venere pro teſſera. Pompeius vero pro teſſera dedit Pietatem.* Et ſic Cæſar omnes ſuas Victorias Veneri acceptas referre ſolitus, quaſi ejus auſpiciis eas conſecutus fuerit. Hinc etiam in alio

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcript. C. COSSVTIVS. MARIDIANVS, Eadem *Venus* nuda, ſed à tergo conſpicitur, niſi quod infra clunes veſtis laciniâ circa femora circundata, dextra galeam, ſiniſtra ſceptrum tenens, & clypeo aræ impoſito innixa; adſtat quoque *Aquila* Legionis Romanæ. De Venere Cnidiâ Praxitelis ita porro pergit Lucianus: Ἔστι δὲ ἀμφίθυρος αὐτῆς ὁ νεὼς, καὶ τοῖς θέλουσι τὸν θεὸν ἰδεῖν ἀκριβῶς, καὶ κατόπιν, ὡς ἵνα μηδὲν αὐτῆς ἀθαύμαστον ᾖ. *Eſt autem biforis ipſius ædes, ut poſſint, qui volunt, Deam accurate inſpicere etiam à tergo, utque nihil ipſius cum admiratione non ſpectes.* Additque: δι' ὑμαρείας δὲ ἔστι τῇ ἑτέρᾳ πύλῃ παρελθοῦσι, τὸν ὄπισθεν ὑμορφίαν διὰ ῥᾳδίας. III.

*Facile*

*Facile itaque licet per alteram portam accedentibus, posteriorem decorem intueri,* Quibus subjungit: Δόξαν οὖν ὅλην τὴν θεὸν ἰδεῖν, εἰς τὸ κατόπιν τοῦ σηκοῦ περιήλθομεν. εἶτ' ἀνοιγείσης τῆς θύρας ὑπὸ τοῦ κλειδοφύλακος εἶναι πεπιστευμένου γυναίου, θάμβος αἰφνίδιον ἡμᾶς εἶχε τοῦ κάλλους. *Proinde cum nobis visum esset totam Deam videre, in posteriorem templi partem circumivimus. Ac reclusa ianua ab æditu o, qui & ipse creditur esse mulier, repente ad pulchritudinem illam obstupuimus.* Quam mox ita describit: Ἡράκλεις, ὅση μὲν τῶν μεταφρένων εὐρυθμία, πῶς δ' ἀμφιλαφεῖς αἱ λαγόνες, ἀγκάλισμα χειρόπληθες. ὡς δ' εὐπερίγραφοι τῶν γλουτῶν αἱ σάρκες ἐπικυρτοῦνται, μητ' ἄγαν ἐλλιπεῖς, αὐτοῖς ὀστέοις προσεσταλμέναι, μήτε εἰς ὑπέρογκον ἐκκεχυμέναι πιότητα. *Hercle, quanta dorsi concinitas! ut prominentes lumbi amplexantis manus implentes! quam scitè circumscriptæ clunium pulpæ incurvantur, neque tenues nimis ipsis ossibus adstrictæ, neque in immensam effusæ pinguedinem.* &c. Cæterum *Venerem Victricem* heic à Jul. Cæsare designari, nullus dubito, cum eadem sub tali fere Corporis forma in quodam

IV. Num. *Titi* Imp. cum Inscr. VENE*ri* VICTRI*ci*, conspicua sit, nuda scilicet à tergo, cum velamenti laciniâ infra clunes circa femora, galeâ in dextera; sinistræ, qua sceptrum tenet, cubito columnæ innixa. Cum galea quoque, & eadem corporis specie, *Venus Victrix* cernitur in quodam *Caracallæ* Nummo, sed cujus archetypum necdum videre licuit, alioquin ejus ectypum heic daremus Num.

V. *.

VI. Num. *Etruscillæ Augustæ* Traiani Decii filiæ, cum Inscript. VENERI. VICTRICI. *Venus Victrix* ut antea, à tergo nuda, sinistro cubito columnæ innixa, sed loco galeæ, dextra pomum tenens, & sinistrâ pro sceptro palmam ferens. Cæterum, cum

cum toties Veneris ſimulachrum in Nummis tam Auguſtorum, quam Auguſtarum, ſub tali formâ, ſcilicet à tergo nudâ, & nudas oſtentans nates occurrat, ſuſpicari quis forſan poſſet, an non Venerem Καλλίπυγον deſignare voluerint, quæ Syracuſis olim templum habuit, cujus originem Athenæus Deipnoſoph. lib. XII circa finem ita refert: οὕτω δὲ ἐξήρτηντο τῶν ἡδοπαθειῶν οἱ τότε, ὡς καὶ Καλλιπύγου Αφροδίτης ἱερὸν ἱδρύσασθαι ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας. ἀνδρὶ ἀγροίκῳ ἐγένοντο δύο καλαὶ θυγατέρες· αὗται φιλονεικήσασαι ποτὲ πρὸς ἑαυτὰς προελθοῦσαι ἐπὶ τὸν λεωφόρον, διεκρίνοντο ποτέρα εἴη καλλιπυγοτέρα· καί ποτε παριόντος νεανίσκου πατέρα πρεσβύτην ἔχοντος, ἐπέδειξαν ἑαυτὰς καὶ τούτῳ· καὶ ὃς θεασάμενος ἔκρινε τὴν πρεσβυτέραν, ἧς καὶ εἰς ἔρωτα ἐμπεσὼν, ἐλθὼν εἰς ἄστυ κλινήρης γίνεται, καὶ διηγεῖται τὰ γεγενημένα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ὄντι νεωτέρῳ. ὁ δὲ καὶ αὐτὸς ἐλθὼν εἰς τοὺς ἀγροὺς καὶ θεασάμενος τὰς παῖδας, ἐρᾷ καὶ αὐτὸς τῆς ἑτέρας. ὁ γοῦν πατὴρ ἐπεὶ παρακαλῶν αὐτοὺς ἐνδοξοτέροις λαβεῖν γάμους οὐκ ἔπειθεν, ἄγεται ἐκ τοῦ ἀγροῦ τὰς παῖδας αὐτοῖς, πείσας ἐκείνων τὸν πατέρα, καὶ ζεύγνυσι τοῖς υἱοῖς· αὗται οὖν ὑπὸ τῶν πολιτῶν καλλίπυγος ἐκαλοῦντο, ὡς καὶ ὁ Μεγαλοπολίτης Κερκιδᾶς ἐν τοῖς ἰάμβοις ἱστορεῖ λέγων.

Ἦν καλλιπύγων ζεύγος ἐν Συρακούσαις. αὗται οὖν ἐπιλαμβανόμεναι οὐσίας λαμπρᾶς, ἱδρύσαντο Αφροδίτης ἱερὸν καλέσασαι καλλίπυγαν τὴν θεὸν, ὡς ἱστορεῖ καὶ Αρχέλαος ἐν τοῖς ἰάμβοις. *Sic autem voluptati incubuere ejus ætatis homines, ut Callipygæ Veneri templum ædificarint, hac de cauſſa. Ruſtici viri formoſæ duæ filiæ in publicam viam egreſſæ, ambitioſius inter ſe decertabant utri pulchriores nates eſſent. Prætereunti juveni, cujus pater ſenior erat, inſpiciendas ſe ambæ obtulerunt. Vtramque ille conſpicatus, natu majoris pul-*

 *chriores*

*chriores esse judicavit, & ejus amore captus est. Reversus in urbem, cum æger decubuisset, juniori fratri exposuit quod acciderat. Rus ille profectus, & puellas contuitus, alteram amavit. Iuvenum pater cum instaret, ut splendidius matrimonium sibi quærerent, idque persuadere non posset, puellarum non invito parente, illas evocat ex agro, & cum filiis collocat. Eas cives καλλιπύγους nominarunt, ut narrat in Iambis Cercidas Megapolitanus his verbis:*

*Syracusis Callipygôn par fuit.*

*Illæ igitur amplas facultates nactæ, Veneri, quam & à pulchris natibus,* Callipygon, *nominarunt, ædem construxerunt, ut Archelaus in Iambis etiam scripsit.* Hanc Historiolam verbis ipsius Athenæi, quamvis prolixioribus, heic inserere visum, cum videam à Iuliano Aurelio in De Cognominibus Deorum, aliisque, Cælium Rhodiginum, tanquam ejus auctorem, laudari; qui utique Antiquar. Lection. Lib. IV. cap. VIII. hanc historiam habet; sed, more suo, non laudato Auctore, unde eam hauserit; quo nomine etiam merito à Magno Vossio lib. III. De Orig. & Progr. Idololatr. cap. LXXXIV. notatur.

VII. Num. *Faustinæ Minoris* cum Inscr. VENERI VICTRICI. *Venus Victrix* brachiis & altera mamma nuda, dextra Palladium ferens, sinistra Clypeum, in quo duæ Victoriolæ cum lupa Romulum & Remum lactante conspicuæ, armis impositum sustinens. Sic in alio

VIII. Num. *Ejusdem*, cum simili Inscript. VENERI VICTRICI. S C. Videre est *Venerem* seminudam, sive potius ipsam *Faustinam*, lasciviore Veneris habitu, quæ maritum *M. Aurelium* Imp. sub *Martis* nudi quoque specie expressum, ad bellum cruentum properantem retinere velle, atque per illecebras & pellaciam ad blandum & dulce in suis castris bellum invitare, atque allicere videtur.

tur. Quemadmodum iſtud magnis Imperatoribus ac ſummis belli Ducibus non ſemel contigit, ut in medio Victoriarum ſuarum curſu per fæmineas blanditias abrepti fuerint, ac cum modo nihil, præter pugnas, obſidiones, ac militares labores ſpirarent, mox per delinimenta muliebria ſeducti gladio ipſis quaſi è manibus excuſſo, unguentis delibuti, roſis, myrtoque coronati, in Veneris caſtris diu, noctuque litaverint. Quod Veteres per *Veneris* & *Martis* fabulam deſignare voluiſſe, notum eſt; ſive itaque heic Venerem Marti, ſive Fauſtinam marito ſuo abblandientem accipias, res eodem redit. Faciunt huc iſta Lucretii lib. I. ad Venerem:

*Nam tu ſola potes tranquilla pace juvare*
*Mortales, quoniam belli fera mænera Mavors*
*Armipotens regit: in gremium qui ſæpe tuum ſe*
*Rejicit, æterno devinctus vulnere amoris:*
*Atque ita ſuſpiciens tereti cervice repoſtam*
*Paſcit amore avidos in Te, Dea, viſus,*
*Eque tuo pendet reſupini ſpiritus ore.*

Hinc ille etiam apud Nonnum Dionyſiac. lib. XXXIV. v. 331.

— — — οὐ Νέμεσις γὰρ
Ἐι δόρυ θοῦρον ἔχω νικώμενον, ὅττι καὶ αὐτὸς
Κύπριδος ἱσταμένης θηλυνέται ἄγριος Ἄρης.

—— —— *Nulla enim culpa*
*Si haſtam impetuoſam habeo ſuperatam, quòd & ipſe*
*Venere ſtante effeminatur truculentus Mars.*

Idem lib. XXV. v. 157.

Ἴχνεσιν αἰδομένοισιν ἐχάζετο χάλκεος Ἄρης,
Ἀσπίδα κυφίζουσαν ὀπιπεύων Ἀφροδίτης.

*Vestigiis verecundis cederet ferreus Mars,*
*Scutum elevantem cernens Venerem.*

Idem videtur designari in

IX. Num. *Titi*, sine Inscript. ubi cernere est *Venerem* toto corpore nudam, dextrâ ori admotâ, & equum per frenum sinistrâ tenentem, stantem ante *Martem* quoque nudum, sedentem, & manibus scipioni innixum. Quid enim aliud sibi vellet hoc Symbolum, nisi Martem truculentum, & ferocem ejus equum, Veneris blanditiis domitum, delinitum, & allectum? Eodem fere modo, atque Statius lib. III. Thebaidos de Marte ad bellum proficiscente, & Venere ei occurente:

*Gaudet ovans jussis & adhuc temone calenti*
*Fervidus, in lævum torquet Gradivus habenas.*
*Iamque iter extremum cœlique abrupta tenebat,*
*Cum Venus ante ipsos, nullâ formidine gressum.*
*Figit equos, cessere retro, jam jamque rigentes*
*Suppliciter posuere jubas* ———

Quam paullo post Mars ita alloquitur:

*O mihi bellorum requies, & sacra voluptas,*
*Vnaque pax animo: soli cui tanta potestas*
*Divorum, hominumque, meis occurrere telis*
*Impune, & media quamvis in cæde frementes*
*Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextra.*

Forte

Forte per *Venerem* heic ipsa *Berenice*, Iudææ Regina, Agrippæ soror, denotatur, quam *Titus*, heic quoque, ut summus Imperator, per *Martem* expressus, magnis in deliciis habuit, quamque crederetur uxorem ducturus. Qua de Re Xiphilinus ex Dionis Cassii lib. LXVI. Βερενίκη δὲ ἰσχυρῶς τε ἤνθει, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἐς τὴν Ῥώμην μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ Ἀγρίππα ἦλθε· καὶ ὁ μὲν στρατηγικῶν τιμῶν ἠξιώθη, ἡ δὲ ἐν τῷ παλατίῳ ᾤκησε, καὶ τῷ Τίτῳ συνεγίγνετο. προσεδοκᾶτο δὲ γαμηθήσεσθαι αὐτῷ, καὶ πάντα ἤδη ὡς καὶ γυνὴ αὐτοῦ οὖσα ἐποίει· ὥς τ' ἐκεῖνον δυσχεραίνοντας τοὺς Ῥωμαίους ἐπὶ τούτοις ἠσθημένον, ἀποπέμψασθαι αὐτήν. *Per id tempus Berenice maxime florebat, ob eamque causam cum Agrippa fratre Romam venit. Is prætoriis honoribus auctus est; ipsa habitavit in Palatio, cœpitque cum Tito coire. Spes erat eam Tito nuptum iri. Iam enim omnia, ita ut si esset uxor, gerebat. Sed Titus, cum intelligeret, populum Romanum id moleste ferre, eam demisit; præsertim quod de iis rebus magni rumores perferrentur.* Tangit etiam Suetonius: cap. VII. *Nec minus libido* (Titi suspecta,) *propter exoletorum & spadonum greges, propterque insignem reginæ Beronices amorem, cui etiam nuptias pollicitus ferebatur.* Nihil itaque mirum foret si Titus hanc *Veneris* nudæ, seque *Martis* instar etiam in Nummis exprimi curaverit. Cæterum observare etiam licet in hac Venere nuda, maculam quandam in altero femore; à scalptore haud dubie in Nummo non sine studio impressam; uti & factum supra in Venere Num. VI. fortassis ad exemplum Veneris Cnidiæ Praxitelis, de qua Lucianus in Amorib. Ἐπεὶ δὲ τοῦ θαυμάζειν ὁ κόρος ἡμᾶς ἀπήλλαξεν, ἐπὶ θατέρου μηροῦ σπῖλον εἴδομεν, ὥσπερ ἐν ἐσθῆτι κολῖδα. ἤλεγχε δ' αὐτοῦ τὴν ἀμορφίαν ἡ περὶ τ' ἄλλα τῆς λίθου λαμπρότης. *Cœterum postquam ab admiratione satietas nos avertit, in altero femore maculam conspicimus, ut in veste labem. Cujus deformitatem arguebat reliquus totius marmoris nitor.* Quamvis au-

tem æditua apud Lucianum, hujus maculæ, in pulcherrima alioquin Deæ ſtatua, cauſam, ad ſpurcam amaſii cujuſdam, qui inſano amore in Deam iſtam incenſus, per noctem ſe in templo concludi fecerat, actionem referat, hiſce verbis: Καὶ τί γὰρ ἀῤῥήτου νυκτὸς ἐγὼ τόλμαν, ἢ ἄλλος, ἐπ' ἀκριβὲς ὑμῖν δηγήσομαι; τῶν ἐρωτικῶν ἀσελγειῶν ἴχνη ταῦτα μετ' ἡμέραν ὤφθη, καὶ τὸ στίγμα εἶχεν ἡ θεὸς, ὧν ἔπαθεν ἔλεγχον. *At quid ego arcanæ noctis audaciam accuratius vobis exprimam, aut quiſpiam alius? Amatoriorum amplexuum veſtigia hæc poſtridie conſpecta ſunt: & maculam hanc habebat Dea, eorum quæ paſſa erat, indicem.* Quamvis, iuquam, Lucianus ædituam iſta narrare faciat, eademque etiam legas, apud Plinium lib. XXXVI. Hiſt. Natur. cap. V. quivis tamen facile videt quam fidem mereantur; ideoque nullus dubito, quin ipſe Praxiteles, per maculam hanc in Veneris pulcherrimæ ſtatua, à ſe ſummo artificio elaborata, ſculpta, & levigata, indicare voluerit, quam nihil ab omni parte beatum ſit, neque corpus aliquod, quam formoſiſſimum & pulcherrimum id etiam eſſe cenſeatur, in rerum natura exiſtere, cui non nævulus aliquis adhæreat, & quod per omnes ſuas partes accurate inſpectum & conſideratum, labem, aut labeculam quandam non oſtendat, aut apparere faciat; qua tamen pulchritudo ac ſymmetria totius compagis, tantum abeſt ut obfuſcetur, aut diminuatur; ut nonnunquam integra ſtructura tanto pulchrior, oculiſque amænior adſpectu exinde evadat.

X. Num. *Plautillæ*, uxoris Caracallæ, cum Inſcript. VENVS VICTRIX. *Venus* nuda, niſi quod veſtis laciniâ circa pupem tecta, dextra pomum, ſiniſtra myrti ramum tenens, ac cubito clypeo, in quo lupa cum Romulo & Remo, innixa; ante eam Cupido alatus pyxidem ferens cernitur. Veneris formam, qua in hoc nummo ſpectatur, Appulejus lib. X. Metamorphoſ. ſatis exacte deſcribit: *Qualis Venus, cum fuit virgo, nudo & intecto corpore*

*pore perfectam formositatem professa: nisi quod tenui pallio bombycino inumbrabat spectabilem pubem; quam quidem laciniam curiosulus ventus satis amanter nunc lasciviens reflabat; ut dimota pateret flos ætatulæ: nunc luxurians adspirabat; ut adhærens pressule, membrorum voluptatem graphice laciniaret.* Quare Venus porro nuda fingatur, rationem non unam reddere conatur Fulgentius Mythologicôn lib. II. *Hanc etiam nudam*, inquit, *pingunt, sive quod nudos sibi affectatores dimittat, sive quod libidinis crimen nunquam celatum sit, sive quod nunquam nisi nudis conveniat.* Sic in Altercatione Hadriani Aug. & Epicteti, uti vulgò inscribitur: HAD. *Quare Venus nuda pingitur?* EPICT. *Nuda Venus picta; nudi pinguntur amores. Quibus nuda placet, nudos dimittat oportet.* Sæpius jam *Venerem Victricem* hac Tabula in Nummis expressam vidimus, cultu quidem omnes aliquo modo differente, omnes tamen maxima corporis parte nudas; quas & ad Victoriam pulchritudinis, quam nudo corpore supra Iunonem & Palladem, per Paridem inspecta reportavit; & ad Victoriam Libidinis supra cæteros hominum affectus triumphantis referre licet. Pomum etiam ad Victoriam pulchritudinis pertinet. hinc & Veneri sacrum, & amoris ac lasciviæ symbolum antiquis fuisse constat. Cæterum *Veneri Victrici* Pompeius altero consulatu ædem dedicavit, editis celeberrimis & sumptuosissimis ludis; qua de re Plutarchus in ejus Vita. meminit ejus quoque Plinius lib. VIII. cap. VII. *Pompeji altero consulatu, dedicatione templi Veneris Victricis pugnavere in Circo viginti, aut, ut alii tradunt, octodecim Elephantes* &c. Quamvis autem, ut vidimus, Imperatores Victorias suas *Veneri Victrici* sæpius adscriberent, Prudentius tamen lib. II. contra Symmachum in hæc erumpit verba:

——— *sua Romæ*
*Præmia diminuit, qui quicquid fortiter actum est,*
*Adscribit Veneri, palmam Victoribus aufert.*

Num.

XI. Num. *Saloninæ*, uxoris Gallieni, cum Inſcript. VENVS FELIX *Venus* capite velato, ſellæ inſidens, ſiniſtra ſceptrum, dextra protenſa pomum tenens; cui adſultat animalculum quoddam, quod A. Rubenius Hædum eſſe putat, ob notam ejus proterviam. Vnde Virgilius:

——— *Hædique petulci.*

Nec non Ovidius:

*Splendidior vitro, tenero laſcivior hædo.*

FELICIS cognomine Venus etiam gaudet in

XII. Num. *Iuliæ Mamææ*, Alexandri Severi matris, cum Inſcript. VENERI FELICI. ubi *Venus* cernitur ſtans, dextra ſceptrum, ſive haſtam puram, ſiniſtra *Victoriolam* ſedentem ferens. VENERIS FELICIS mentio non ſemel quoque in Antiquis Inſcriptionibus apud Gruterum pag. LIX.

VENERI. FELICI. SACRVM
SALLVSTIA. HELPIDIVS. D. D.

Et in alia:

VENERI. FELICI
P. SERVILIVS P. F. FAL. APRILIS. II.VIR. &c;

In alia adhuc Inſcriptione in Hiſpania reperta pag. CCCCXLIII. Quædam NVMMIA. VARIA. C.T. dicitur SACERDOS. VENERIS. FELICIS.

TA-

TAB. I.

1

2



3



4

5

6

7

8

9

10



11

12

# TABVLA L.

Num. *Iuliæ Piæ*, uxoris Severi, cum Inscr. LVNA. LVCIFERA. SC. *Luna* in bigis, uti â Poëtis fingitur. Lutatius, sive Lactantius ad Stat. Papin. lib. VI. Thebaid. *Poëtæ quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos singulos sideribus.* Cassiodorus lib. III. Variar. ad Faustum Præpositum: *Biga quasi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta est.* Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. XXXVI. *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas inferis, sejugas Iovi, desultores Lucifero & Hespero consecraverunt. Quadrigas ideo Soli jungunt, quia per quatuor tempora annus vertitur, ver & æstatem, autumnum & hyemem. Bigas Lunæ, quoniam gemino cursu cum sole contendit: sive quia & nocte videtur & die. Iungunt enim unum equum nigrum, alterum candidum.* Iulia heic comparatur Lunæ à Senatu; quod etiam fecit Oppianus Κυνηγετικ. lib. I. ubi in Operis initio ipsam Iuliam inter alia *Lunæ* quoque cognomine appellat: I.

Νύμφη ἀριστοπόσεια, λεχὼ ἥ τε καλλιτόκεια,
Ἀσσυρίη Κυθέρεια, καὶ οὐ λείπουσα Σελήνη.

*Sponsa optimi mariti, puërperaque formosi filii,*
*Assyria Venus, & non delinquens Luna.*

Solemnis enim hæc comparatio illustrium fæminarum cum Luna. Vnde Eustathius De Ismeniæ & Ismenes Amoribus lib. V. Καὶ τὴν Υσμίνην εἶδον ἐν μέσῳ κατὰ σελήνην ἐν ἀστράσι.

II. III. *. *.

Num. *Faustinæ*, cum Inscript. DIANA. LVCIFERA. IV. Mulier cum face, forsan ipsa *Faustina, Dianam Luciferam* repræsen-

sentans. Vt enim Luna à lucendo dicta *Lucina*, sic etiam *Dianæ* cognomen *Luciferæ* datum. Cicero lib. II. De Natur. Deor. *Luna à lucendo nominata. Eadem enim Lucina. Itaque ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Phurnutus: Ἡ δ' Ἄρτεμις φωσφόρος μὲν ἐπωνομάσθη, διὰ τὸ ἐκ αὐτῆς σέλας βάλλειν, καὶ φωτίζειν ποσῶς τὸ περίεχον ὁπόταν μάλιστα πανσέληνος ᾖ. *Diana & Lucifera nuncupatur, quod & splendorem emittat, cœlumque aliquo modo lumine suo illustret, inprimis quando in plenilunio est.*

V. Num. *Claudii*, cum Inscript. DIAN. EPHE. Templum *Dianæ Ephesiæ*, in cujus meditullio ipsa cernitur, quemadmodum fingebatur, cum multis mammis; tanquam alma mater, quæ uberibus suis nutriret genus humanum. Hinc D. Hieronymus in Epist. ad Ephes. *Erat Ephesi templum Dianæ, & ejusdem in ipso Multimammia, id est, multarum mammarum effigies; quia cultores ejus decepti, putabant eam omnium viventium nutricem.* Idem in Procœmio dictæ Epistol. ad Paulam & Eustochium dixerat: *Scribebat ad Ephesios Dianam colentes, non hanc Venatricem, quæ arcum tenet, atque succincta est; sed illam Multimammiam, quam Græci* πολυμαστὸν *vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam animantium esse nutricem.* Mentio ejus quoque apud Minucium Felicem in Octavio: *Diana interim est alte succincta venatrix, & Ephesia est mammis multis, & uberibus exstructa.* Ita quidem & nos pene pueri, secuti Doctissimorum virorum sententiam, hunc Minucii locum olim edidimus. Sed antiquissimæ editiones habent, *verubus*; & in MS. Regio quoque exstare *veribus*, Heraldus & Rigaltius testantur, qui putant contractè hoc positum pro *uberibus*; cum τὸ *veribus* Dianæ Ephesiæ haud convenire existiment. Verùm cum ego, quoties Dianæ Ephesiæ effigiem in Nummis antiquis expressam considero, in quibus sane, uti videre est apud Cl. Patinum in Numismatib. Imperator. Roman. ex ære mediocri, frequens occurrit,

semper

ſemper videam Dianæ Epheſiæ, præter mammas multas per totum corpus conſtipatas, etiam in manibus jacula adeſſe, cum cuſpide humi poſita; quibus utraque manu expanſa, ipſa Diana quaſi innititur; quemadmodum etiam in hoc noſtro nummo, ubi jacula iſta tricuſpida, tridentis inſtar, cernuntur; in aliis vero Nummis tantum cum una cuſpide ſunt. Hæc cum videam, inquam, non dubito jam Minucium ſcripſiſſe: *& Epheſia eſt mammis multis, & verubus extructa*, ſive *inſtructa*. uti legitur in MS. Vt veram Dianæ Epheſiæ imaginem Minucius expreſſerit, quando ait eam, *& mammis multis, & verubus inſtructam* fuiſſe; hoc eſt, jaculis; uti Virgilio *verua* dicuntur jacula, & mucrones teretes. Et haud dubie Dianæ Epheſiæ ſimulachrum, quod in templo ibi colebatur, præter mammas multas, etiam hujuſmodi verua manibus habuit; quemadmodum Nummi iſtud repræſentant; qui etiam de vera apud Minucium lectione, *mammis multis & verubus*, ſive, ut eſt in MS. *veribus*, dubitare amplius non ſinunt. Omitto, quod iſtud *mammis multis, & uberibus* tautologiam quandam ſapiat Minucio haud familiarem. Vnde & Magnus Scaliger olim *& tuberibus* legendum cenſebat; quia putabat præter mammas, etiam tubera in Numiſmatibus expreſſa; ſed non animadvertit Vir Illuſtris Verua iſta, quæ Diana Epheſia manibus tenet in Nummis. Cæterum haud vana conjectura eſt, typum Epheſiæ Dianæ ab Ægyptiis ductum videri, quorum fuit ſub ſchematibus naturas ipſas exhibere; adeoque ſimulachrum iſtud ad Iſidis exemplum expreſſum; nam & Iſis multimammia fingebatur. Teſtis locuples Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XX. ubi ſcribit: *Iſis juncta religione* (cum Serapide, hoc eſt, Sole) *celebratur; quæ eſt vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli. Hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur, quia terræ, vel rerum naturæ altu nutritur univerſitas.* Sic & calathus Dianæ Epheſiæ capiti impoſitus, eodem pertinet, cum Iſis etiam nonnunquam ejusmodi inſigne ferat. Vtrobique Abundantiæ & Fœcunditatis Symbolum; nam ad Iſidem quoque

Ægyptii Nili incrementum, quo Ægyptus fœcundaretur, referebant, ejusque hoc beneficium esse putabant.

VI. Num. *Augusti*, sine Inscript. Sed in quo elegans *Dianæ Virginis* caput scalptum cum arcu & pharetra, in humero suspensis. Claudianus De IV. Honorii Consulatu:

——— *Tibi sæpe Dianæ*
*Mænalios arcus, venatricesque pharetras*
*Suspendit puerile decus.*

VII. Num. *Gallieni*, cum Inscript. DIANAE. CONS. AVG. Gallienus, uti cæteris DIs, ita etiam *Dianæ* Conservationem sui in hoc, & duobus sequentibus nummis commendat. Videtur heic tantum animal quoddam, sive *Cerva* sit, sive aliud ejusdem generis, Dianæ, ob venationem, sacrum. Hinc Ephesii Cervam in Nummis suis signarunt. Libanius in Dianæ Encomio: Ἐφεσίοις ὃ δὲ τὸ νόμισμα δὲ τλὼ ἔλαφον ἔφερεν, ἀμοιβὴν τῆ θεῶτῶν μεγάλων ἀγαθῶν *Apud Ephesios etiam nummus Cervam expressam fert, pro remuneratione magnorum Deæ beneficiorum.*

VIII. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. DIANAE. CONS. *Diana alte succincta Venatrix*, ut Minucius loquitur, dextra hastile, sinistra arcum tenens, ante pedes ejus νεβρὸς, sive hinnulus saliens. Fingitur heic Diana eo habitu, quo Ovidius lib. III. Amor. Eleg. II. ait:

*Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ,*
*Cum sequitur fortes, fortior ipsa, feras.*

Hic enim habitus venatoribus aptus, ut tanto agilius per plana camporum, devexaque montium, aut nemorum senticeta vagari possint; quem

quem Aristæum, primum Venatorem, Nonnus lib. V. Dionysiac. invenisse scribit:

Καὶ ποσὶν ἐνδρομίδας θηρήτορα φῶτα διδάξας
Αἴχετον αἰάσοντα κυνοσσόου εἰς δρόμον ἄγρης,
Πέπλα φαινομένης πτυχνίδα ἄγει φορῆσαι.
Μήπολε θηρητῆρος ἐπειγομένου ποδὸς ὁρμὴ
Αἶψ ἀναδειράζοντο καθιεμένοιο χιτῶνος.

*Et pedibus calceamenta cursoria venatorem hominem docens*
*Retineri impossibilem incitatum, canes agitantem*
*in cursum venationis.*
*Vela apparentia ad genua usque ferre.*
*Ne quando venatoris incitati pedis impetu,*
*Statim retraheretur detracta veste.*

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. DIANAE. CONS. AVG. IX. Vti antea *cervam*, sic Galienus heic *Cervum*, ut animal Dianæ sacrum, expressit.

X. *.

Num. *Augusti*, cum Inscr. IMP. X. *Diana Venatrix*, cum Lunula supra frontem, quasi festinans, ferasque prosequens, ac sinistrâ arcum tenens, dum dextrâ sagittam ex pharetrâ à tergo pendente trahit. Phurnutus, cum dixisset Dianam & Lunam eandem esse, subjungit: Κυνηγέτιν δ' αὐτὴν, καὶ θηρευτρίαν, καὶ ἐλαφηβόλον, καὶ ὀρεσίφοιτον παρεισάγουσιν. ἅτε πέπειν εἰς τὰ ἄγρια βαλλόμενοι τὴν ἐξ αὐτῆς βλάβην, ἢ ἐπειδὴ μάλιστα νυκτὸς καταφαίνεται. *Fingunt eam esse venatricem, & ferarum necatricem, & cer-*

XI.

*cervorum jaculatricem, & montivagam. propterea quod aut in feras nocumenta, quæ ab ipsa* (Luna) *descendunt, transferre voluerunt, aut declarare, quod maxime noctu cernatur & appareat.* Addit porro: Πολλὴ δὲ ἐν τῇ νυκτὶ ἡσυχιά πανταχοῦ, καθάπερ ἐν ταῖς ὕλαις καὶ ἐν ταῖς ἐρημίαις ἐστὶν, ὥστε ἐν τοιούτοις τισὶ χωρίοις αὐτὴν πλάζεσθαι δοκεῖν, ἔξωθεν ἤδη τούτου προσπελασμένου τοῦ κυνηγετεῖν αὐτὴν τοξότιν οὖσαν. *Plurimum autem silentium noctu ubique sentitur: imprimis tamen in montibus & in solitudinibus, noctu silentium magnum est. Propterea non abs re, inprimis cum & venatrix, & sagittaria seu jaculatrix quædam putetur, in hujusmodi locis morari dicitur.* Cætera Phurnuti eodem facientia, mox adducemus ad seq.

XII. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. IMP. XII. & infra: SICIL. ubi *Diana* succincta cernitur veste, sinistra arcum, dextra venabulum tenens, cum cane venatico ad latus. Quò faciunt ista Ovidii lib. X. Metamorph. de Venere Adonidis venatoris comite, & ipsa venatrice:

*Per juga, per silvas, dumos, & saxa vagatur,*
*Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ,*
*Hortaturque canes.* ——

Tali quoque habitu Rhodopem virginem venationi deditam, describit Achilles Tatius lib. VIII. Παρθένος ἦν εὐειδὴς ὄνομα Ῥοδόπη, κυνηγίων ἐρῶσα καὶ θήρας, πόδες ταχεῖς, εὔστοχοι χεῖρες, ζώνη καὶ μίτρα, καὶ ἀναζωσμένος εἰς γόνυ χυτὼν, καὶ κατὰ ἀνδρὸς κουρὰ τριχῶν. *Virgo fuit olim formosa, Rhodopis nomine, venatu gaudens, pedum velocitate, jaculandique peritia insignis admodum, & cingulum & mitram, veste genu tenus succincta, capilloque detonso, gestare consueta.* Cæterum de Diana venatrice, eademque Luna, Phurnutus superioribus modo adductis, subjungit: Συνωδὸν δὲ τούτῳ, καὶ τὸ τοὺς κύνας ἱεροὺς

αὐτῆς

TAB. LI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



αὐτῆς νομισθῆναι, πρός τε τὰς θήρας ἔχοντας ἐπιτηδείως, καὶ ἀγρυπνεῖν ἐν ταῖς νυξὶ, καὶ ὑλακτεῖν πεφυκότας. *Nec ab his abludit, quod canes consecrantur Dianæ, cum sint ad venationes idonei, & ad vigilias nocturnas, latratusque nati.* Aliam denique adhuc rationem adducit, quare Diana Luna venatrix habeatur: Κυνηγετικὴ δ' ἔοικε, καὶ τὸ μὴ διαλείπειν αὐτὴν, ὅτε μὲν διώκουσαν τὸν ἥλιον, ὅτε δ' φεύγουσαν. εἶτ' ἐν τῷ ζωδιακῷ μετερχομένην, καὶ συνιοῦσαν ταχέως τὰ ζώδια. οἰκεῖον γὰρ τῇ κυνηγεσίᾳ καὶ τὸ τάχος. *Venatrix autem hinc censetur, quod non cesset, nunc persequens, nunc fugiens Solem; deinde Zodiacum accedens, & celeriter cum signis coiens. Venatio enim veluti proprium quoddam, sibi celeritatem vindicat.* Quare *Sicilia* sub *Dianæ* schemate expressa, supra ad Tab. XXVII. Num. X. & XI. dictum est.

# TABVLA LI.

Num. *Gentis Memmiæ*, cum Inscript. C. MEMMIVS. C. F. I.
Caput fæmininum elegans, cum corona, ex spicis, sive aristis, varioque frugum genere composita, *Cererem frugiferam* designans. Phurnutus: Ἡ μὲν Δημήτηρ κατὰ τὸ ἀναδοτικὸν τῶν σπερμάτων εἰδοποιουμένη, πάνυ οἰκείως εἰσάγεται στάχυσιν ἐστεφανωμένη. *Ceres autem, quandoquidem traditur segetem proferre, admodum proprie coronam aristis gravem gerit.* Hinc inter Deas relatam, docet Plinius lib. VII. Nat. Hist. cap. LVI. *Ceres* (docuit) *frumenta, cum antea glande vescerentur. eadem molere, & conficere* (panem) *in Attica, Italia, & Sicilia. ob id Dea judicata.*

Num. *Neronis*, cum Inscript. ANNONA. AVGVSTI. II.
CERES. *Ceres* velato capite, sellæ insidens cum face in sinistra, & spica in dextra manu; adstat *Annona*, humero altero nuda, cum Cornucopiæ. In ipso Nummo etiam *Modius*, & *navis* adest,

adeſt, quam ſculptor omnino male heic expreſſit, vel potius neglexit. Quæ omnia Abundantiæ & Copiæ Symbola ſunt; quam Nero hiſce deſignare voluit. Forte etiam heic denotatur Liberalitas Neronis, qua inter alia poſt vindicatam Piſonis conjurationem, militibus quoque gratuitum frumentum dedit. Qua de re Tacitus lib. XV. Annal. *Bina nummum millia viritim manipularibus diviſit: addiditque ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.* Suetonius de Nerone: *Item prætorianis cohortibus frumentum menſtruum gratuitum* conſtituit.

III. Num. *Iuliæ Domnæ*, cum Inſcript. CERERI. FRVGIF. *Ceres* ſedens, ſiniſtrâ haſtam puram, ſive ſceptrum, dextrâ ſpicas tenens. ob frugum & Legum inventionem, unde non tantum *Frugifera*, ſed & *Legifera* Latinis dicta, ut Græcis Θεσμοφόρος. Hinc Ovidius lib. V. Metamorph.

*Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.*
*Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,*
*Prima dedit Leges, Cereris ſunt omnia munus.*

Phurnutus: Δικαίως δ' ἀρχηγὸν ἔλεγον νόμων καὶ θεσμῶν τὴν Δήμητρα αὐτοῖς γεγονέναι. ἐντεῦθεν καὶ θεσμοθέτην αὐτὴν προσηγόρευσαν, οἷον νομοθέτιν οὖσαν. *Iuſte ſane quidam Cererem Iuris auctorem, Legumque conditricem dixerunt. Quapropter eam* θεσμοθέτην, *quaſi Legum latricem nuncupant.*

IV. Num. *Fauſtinæ Matris*, cum Inſcript. CERES. AVGVST. *Ceres* ſtolata, ſiniſtra ſceptrum, dextra duas ſpicas cum papavere ferens. Papaver enim ut fertilitatis Symbolum, Cereri ſacrum, unde Virgilius *Cereale Papaver* vocat lib. I. Georgicôn. Hinc etiam Porphyrius apud Euſebium Præpar. Euangel. lib. III. cap. XI. de Cerere: Διὸ καὶ κατέστεπται τὸ βρέτας αὐτῆς τοῖς στάχυσι,

ςάχυσι, μήκωνές τε περὶ αὐτὴν τῆς πολυγονίας σύμβολον. *Quæ causa etiam est, quamobrem ipsius effigies spicis coronetur, ac papaveribus, quæ magnæ fœcunditatis Symbola sunt, ambiatur.* Præter hanc & alias habet rationes Phurnutus, quare Cereri Papaver offeratur: Ἀνατιθέασι δ' αὐτῇ καὶ τὰς μήκωνας, κατὰ τὸν λόγον. τό τε ςρογγύλον καὶ περιφερὲς αὐτῶν παρίςησι τὸ σχῆμα τῆς γῆς, σφαιροειδοῦς οὔσης. ἥ, τε ἀνωμαλία τὰς κοιλότητας καὶ τὰς ἐξοχὰς τῶν ὀρῶν. τὰ δ' ἐντὸς, τοῖς δενδρώδεσι καὶ ὑπονόμοις ἔοικε. σπέρμα τά τε ἀναρίθμητα γεννῶσιν ἡ γῆ. *Offertur Cereri etiam papaver, ob hanc rationem. Papaveris rotunditas & globus, terræ formam, quæ sphærica est, repræsentat. Papaveris autem inæqualitas. indicat terræ valles, & montium cacumina. Interiora autem papaveris, similia sunt arboribus, & cavernis terræ. Semina innumerabilia terræ fœcundam generationem indicant.*

Num. *Gentis Vibiæ*, cum Inscr. C. VIBIVS. C. F. C N. V.
*Ceres* cum aratro, & facibus accensis sive tædis, filiam Proserpinam à Plutone raptam quærens; unde *tædifera* Ovidio Epist. II. Phylid. ad Demoph. dicta:

*Et per tædiferæ mystica sacra Deæ.*

Vti & lib. III. Fastor.

*Luce sua ludos uvæ commentor habebat,*
*Quos cum tædifera nunc habet ipse Dea.*

De Cereris tædis Cicero IV. in Verrem: *Proserpinam cum investigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas iis ignibus, qui ex Ætnæ vertice erumpunt: quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum.* Hinc Ovidius lib. IV. Fast.

*Alta jacet vasti super ora Typhoëos Ætna,*
*Cujus anhelatis ignibus ardet humus.*

*Illic accendit geminas pro lampade pinus :*
*Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.*

Aratrum autem heic additum, ob inventas à Cerere fruges.

VI. Num. *Gentis Volteiæ*, cum Inſcript. M. VOLTEI. M. F. *Ceres Tædifera*, curru draconum vecta; quod primùm Orpheus commentus eſt; iſte enim in Hymno Cereris, currum ejus à ſerpentibus trahi fingit, ubi Deam ſic alloquitur:

—— —— Σεμνὴ κουροτρόφε κούρα,
Ἅρμα δρακοντείοισιν ὑποζεύξουσα χαλινοῖς,
Ἐγκυκλίοις δίναις περὶ σὸν θρόνον εὐάζουσα.

Quæ verſibus antiquis Ioſ. Scaliger Latinè ita expreſſit:

—— —— *Dea Rumia nutrix,*
*Quæ bijuges auriga jugans ad frena colubras*
*Amfractu circaneo ovas tua an ſola ſancta.*

Ad cujus imitationem Latini quoque id finxerunt. Ovidius lib. V. Metamorph.

—— —— *Geminos Dea fertilis angues*
*Curribus admovit: freniſque coërcuit ora:*
*Et medium cæli terræque per aëra vecta eſt.*

Hinc etiam Claudianus lib. I. De Rapt. Proſerp. de Cerere:

—— —— *Ad Phrygios tendit ſecura Penates,*
*Turrigeramque petit Cybelen, ſinuoſa draconum*
*Membra regens, volucri qui pervia nubila tractu*
*Signant, & placidis humectant frena venenis*

*Frontem*

*Frontem criſta tegit: pingunt maculoſa virentes*
*Terga notæ. rutilum ſquamis intermicat aurum.*

Quæ Claudiani verba Nummum ſatis illuſtrant.

Num. *Gentis Vibiæ*, cum Inſcr. C. VIBIVS. C F. *Ceres* VII.
denuo cum tædis, ante cujus pedes cernitur etiam *porca*. De Cerere tædifera Apollodorus quoque Bibliothec. lib. I. Δήμητρα δ' μ' λαμπάδων νυκτὸς τε καὶ ἡμέρας, κ' πᾶσαν τὴν γῆν ζητοῦσα φοιτᾷ. *Ceres accenſis facibus, noctesque & dies univerſum terrarum orbem luſtravit veſtigando.* Vnde Arnobius lib. V. contra Gent. *Ennæa, nemus, & flores quid ſunt? quid ſumptus ignis ex Ætna, comprehenſæ iſtæ faces? quid peragratio cum his orbis?* &c. Porca Deæ pedibus adjuncta eſt, quia Cereri porcam immolari ſolemne erat. Varro lib. II. De Ruſt. cap. IV. *A ſuillo genere pecoris immolandi initium primum ſumptum videtur, cujus veſtigiis, quod Initiis Cereris porci immolantur.* &c. M. Cato De R. R. cap. CXXXIV. *Priuſquam meſſem facias, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porcâ præcidaneâ, porco fœminâ.* &c. Nam, ut A. Gellius lib. IV. cap. VI. ſcribit: *Porca præcidanea appellata, quam piaculi gratia ante fruges novas captas immolari Cereri mos fuit, ſi qui familiam funeſtam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat procuraverant.* Sic Feſtus: *Præcidanea agna vocabatur, quæ ante alias cædebatur. Item Porca, quæ Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet, id eſt glebam non objeciſſet: quod mos erat eis facere prius, quam novas fruges guſtarent.* De Suis porro immolatione Cereri facienda ſic Ovidius lib. IV. Faſtor.

*Parva bonæ Cereri, ſint modo caſta, placent.*
*A bove ſuccincti cultros removete miniſtri.*
*Bos aret: ignavam ſacrificate ſuem.*

VIII. Num. *Saloninæ Augustæ*, cum Inscr. DEAE. SEGETIAE. Templum, in cujus meditullio stat *Dea Segetia*, brachiis expansis, cum Lunula falcata in superiori circuli caput ejus ambientis parte. Hujus meminit D. Augustinus lib. IV. De Civit. Dei, cap. VIII. *Sata frumenta quam diu sub terra essent, præpositam voluerunt habere Deam Seiam: cum vero jam supra terram essent, & segetem facerent, Deam Segetiam.* Plinius hanc *Segestam* appellat lib. XVIII. Nat. Hist. cap. II. *Seiamque à ferendo, Segestam à segetibus appellabant; quarum simulachra in Circo videmus.* Nisi forte *Segetiam*, uti Nummi præferunt, apud Plinium reponendum; quemadmodum etiam Macrobio vocatur lib. I. Saturnal. cap. XVI. *Apud veteres quoque qui nominasset Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutilinam, ferias observabat.* Cæterum Alb. Rubenius in Commentar. ad Numismata Imperator. ad similem Nummum ait, *Deam Segetiam* à sculptore male heic expressam esse; in Nummo enim perspicue cerni, quod à pectore tenus in palum desinat; advocatque Gretzerum De Cruce, quasi & ipse ita bene viderit. atque ex hac descriptione *Dea Segetia* prope accederet ad simulachrum *Dianæ Ephesiæ*, cujus inferiora ita in Nummis desinunt. Sed valde vereor ego, ne uterque admodum male inspexerit; cum in Nummo archetypo, cujus ectypum heic exhibemus, perspicue appareat effigies *Segetiæ*, quemadmodum heic expressa est, cum stola longa æqualiter descendente, plena & quadrata; ita ut etiam per pellucidam vestem crura bina conspicua sint. Nullum vero vestigium ejusmodi pali, cujus Rubenius mentionem facit; nisi forte ostendi posset, *Deam Segetiam*, æque ac *Dianam*, in Nummis diverso modo repræsentari. quoad itaque istud ostendatur, hoc interim Catone contenti erimus. Cum hæc scripsissem, incidi forte in Tabulas quasdam Nummorum, ab Ant. Pisone Dissertationi De Nummis Antiquorum, Gallice à se conscriptæ subjunctas; ubi video in Tab. K. n. 2. *Deam Segetiam* fere expressam, quemadmodum Rubenius vult; videtur enim in palum quasi desinere; estque iste

Num-

Nummus, quamvis Saloninæ etiam, alterius tamen monetæ, quam hic noſter. Nam in iſto Piſonis, *Dea Segetia* nullam habet Lunulam in capite. Sed aliud quid, quod modium repræſentare videtur. Sic ut jam manifeſtum, *Deam Segetiam* non uno modo in Nummis expreſſam.

Num. *Trajani*, ſine Inſcript. Sed in quo cernuntur tres figuræ IX. ſtantes *Minervam*, *Iovem*, & *Iunonem* repræſentantes. *Minerva*, ſive Pallas heic armata cum galea in capite, clypeum ſuum, ſive Ægidem ſiniſtra, & dextra haſtam tenens; *Iupiter* ſolito more nudus cum fulmine in dextra, & haſta in ſiniſtra, ad cujus pedes à dextris adſtat Aquila, ab altera vero parte *Noctua*, Minervæ ſacra: *Iuno* quoque ſolito more velata, dextra pateram, ſiniſtra haſtam ferens. Videtur heic Minerva repræſentari eo modo, quo in Gentilium Theologia φυσικῶς conſiderabatur, pro Æthere nempe, ſive ſuprema cæli parte; uti Iupiter pro Cælo ſive æthere medio, & Iuno pro Aëre inferiore. ideoque Minerva heic â dextris Iovi adſtat, tanquam ſuprema cæli pars ætherea ſive ignea; unde & ex Iovis vertice nata perhibetur; ac tum pro divina providentia, tum etiam in homine pro ipſa prudentia, ſive quæ eam humanis mentibus ſubminiſtret, habita. Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XVII. *Minerva Solis eſt virtus, ſicut & Porphyrius teſtatur, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat. Nam ideo hæc Dea Iovis capite prognata memoratur: id eſt, de ſumma ætheris parte edita; unde origo Solis eſt.* Idem lib. III. Saturn. cap. II. *Qui diligentius eruunt veritatem, dixerunt, eſſe medium æthera Iovem, Iunonem vero imum aëra cum terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen.* Hinc etiam D. Auguſtinus lib. IV. De Civit. Dei, cap. X. *Ætheris partem ſuperiorem Minervam tenere dicunt, & hac occaſione fingere Poëtas, quod de Iovis capite nata ſit.* Hucque faciunt omnino, quæ Phurnutus de Minerva ſcribit: Ἡ δ' Ἀθηνᾶ ἐστιν ἡ τοῦ Διὸς σωφροσύνη, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν αὐτῷ προνοίᾳ· καθὸ καὶ προνοίας Ἀθηνᾶς

ἱδρύονται ναοί. Γενέσθη δ' αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς λέγεται, τάχα μὲν τῶν ἀρχαίων ὑπολαβόντων τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς ἐντεύθεν, καθάπερ καὶ ἕτεροι τῶν μετὰ ταῦτα ἔγνωσαν. τάχα δ' ἐπεὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ μὲν ἀνώτερον μέρος τοῦ σώματος ἡ κεφαλή ἐστι, τοῦ δὲ κόσμου ὁ αἰθήρ. ὅπου τὸ ἡγεμονικὸν αὐτοῦ ἐστι, καὶ ἡ τῆς φρονήσεως αἰτία. κορυφὴ δὲ θεῶν κατ' Εὐριπίδην, ὁ περὶ χθόνα ἔχων φαεινὸς αἰθήρ. *Minerva Iovis intellectus, qui idem esse fertur cum providentia, quæ in ipso sita est. Hinc in honorem Minervæ templa providentiæ posita esse constat. Esse dicitur è cerebro Iovis prognata; nimirum, quod Veteres in ea corporis parte totius animæ regimen esse voluerint. Hanc sententiam tenent & juniores; fortasse quia suprema corporis humani pars, caput est, sicuti etiam mundi pars summa existit Æther; & in capite sedem habet corporis regimen & prudentia. Deorum autem vertex sive pars suprema est, juxta Euripidem, lucens circa terram æther.* Sic quoque in quodam

X. Num. *Antonini Pii*, sine Inscript. eodem situ *Minerva*, *Iupiter*, & *Iuno*, sed sedentes in sellis cernuntur, omnes sceptrum sinistra tenentes; ubi Minerva iterum φυσικῶς pro supremo æthere ponitur ad dextram Iovis. Hinc quoque Phurnutus paullo post ea, quæ modo adduximus, subjungit: Τάχα δὲ ἀπὸ τοῦ αἰθέρος, ὡς καὶ οἱ παλαιοὶ, ταύτην ἔλεγον Αἰθερόνειαν. *Fortasse & ab æthere veteres eam dixere Ætheroniam.* Hæc ita quidem se habent, si Minerva ex veterum Theologia φυσικῶς consideretur. Cæterum nullum est dubium, quin simulachra hæc Minervæ & Iunonis, cum intermedio Iove, tam in hoc Antonini, quam in superiore Trajani Nummo efficta sint ad exemplum statuarum Minervæ, Iovis, & Iunonis; quæ & stantes & sedentes hunc in modum dispositæ, Romæ in Templo Iovis Capitolini collocatæ fuere. Hinc P. Victor in Descriptione Regionis VIII. *Templum Iovis Opt. Max.*

*Max. in quo erant tria Delubra: medium Iovis, dextrum Minervæ, lævum Iunonis.* Videſis omnino Iuſti Rycquī De Capitolio Romano Commentar. cap. XIII. Nec non Alexandri Donati De Vrbe Roma Lib. II. cap. VII.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. S. C. *Minerva* ſive *Pallas* armata cum galea criſtata in capite & triplici accincta veſte, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam puram tenens, adſtat & Clypeus ejus. Fulgentius Mythologicôn lib. II. Minervam *ideo de Iovis vertice natam* (dicunt,) *quia ingenium in cerebro poſitum ſit: ideo armatam, quod munita ſit. Gorgonam etiam hinc addunt in pectore, quaſi terroris imaginem, ut vir ſapiens terrorem contra adverſarios geſtet in pectore. Criſtam cum galea ponunt, ut ſapientis cerebrum & armatum ſit & decorum. *. Triplici etiam veſte ſubnixa eſt, ſeu quod omnis ſapientia ſit multiplex, ſive etiam quod celata. Longam etiam haſtam fert, quod ſapientia longe verbo percutiat.* De Fulmine vero, quod Minerva dextra tenet, Servius ad lib. I. Æneid. *Varro Divinarum Quinto Quatuor Diis Fulmina adſignat, inter quos eſt Minerva.* Item Lactantius, ſive Lutatius ad illud lib. I. Thebaid. XI.

——— *mea fulmina torques.*

*Hoc eſt*, inquit, *ſecundùm Pontifices, qui ajunt certo Deo cuique Fulmina adſcripta, inter quos & Minerva.* Sic in alio

Num. *Ejuſdem Domitiani*, cum Inſcr. IMP. XIX. COS. XV. CENS. P. P. P. Eadem *Dea* cernitur galeata navi inſiſtens quaſi pugnatura, haſtam dextra attollens, & ſiniſtra Clypeum tenens; ad pedes adſtat *Noctua* ejus avis. Ovidius lib. VI. Metamorphoſ. de Pallade telum tenente: XII.

*At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam:*
*Dat galeam capiti: defenditur ægide pectus.*

De

De Noctua Fulgentius dicto loco, paullo post ea, quæ modo adduximus: *In hujus etiam tutela noctuam volunt, quod sapientia etiam in tenebris proprium fulgorem possideat.* Puppi autem Navis insistit Minerva; quod prima Naves invenisse dicatur. Vnde Aristides Oratione in Minervam: Ἔοικα δὲ προσθήσειν ὅ με ἀρτίως διέφυγεν, ὅτι καὶ τὰ ναυτικὰ Αθηνᾶς ἦν. ἐχέτω δὲ χώραν διττὴν τῷ λόγῳ. πρός τε γὰρ τοὺς πολέμους, ἥτις καὶ οὕτω διχῇ διαιροῖτο, τῶν κατ' ἤπειρον καὶ τῶν ἐν θαλάττῃ δείξει προνοηθεῖσαν τὴν θεόν. εἰ καὶ διχῇ πάλιν τῶν κατ' ἤπειρον, ἔν τε τὸ αὐτὸ τὸ τῶν ναυτικῶν εἰς ἄμφω τείνει. εἰρηναῖον μὲν τὰς ὁλκάδας, καὶ τὴν διὰ τούτων ἐμπορίαν· πολεμιστήριον δὲ τὰς τριήρεις. *Nec hoc omittam, quod me jam effugerat, rem navalem etiam Minervæ tribuendam esse, idque duplici ratione. Nam & bellorum quæ partim terra, & quidem bifariam, partim mari geruntur, curam habuit, eademque res nautica ad utrumque pertinet: in pace quidem ad naves onerarias & mercaturam navalem, in bello autem ad triremes.* &c.

# TABVLA LII.

I. Num. *Domitiani*, cum Inscr. TR. P. COS. VII. DES. VIII. P. P. *Minerva* armata denuo, & in statu pugnantis, plane, ut ista apud Appuleium lib. X. Metamorph. quam ita describit: *Irrupit alia, quam putares Minervam, caput contecta fulgenti galea, & oleaginea corona tegebatur ipsa galea, clypeum attollens, & hastam quatiens, & qualis illa cum pugnat.* Nihil autem mirum, in Nummis Domitiani toties Minervam occurrere; ejus enim tutelæ Domitianus se quam maxime commendaverat, commiseratque; atque eam præ cæteris Diis, summa veneratione ad superstitionem usque prosequebatur. Vnde Suetonius in Domitiano cap. XV. inter omina, quæ ejus cædem præcessêre, quoque notat: *Miner-*

TAB. LII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10



11

12



*Minervam, quam superstitiose colebat, somniavit excedere sacrario; negantem ultra se tueri eum posse, quod exarmata esset à Iove.*

Num. *Caracallæ*, cum Inscript. MINERva VICTRIX. II. *Minerva* galeata, dextra Victoriolam alatam, cum corona & palma, sinistrâ hastam cum cuspide terræ infixam, ferens. adest & clypeus humi stans, & à tergo Trophæum ex vario armorum genere erectum. Phurnutus De Minerva: Καὶ ἀνιςᾶσιν αὐτῇ τρόπαια ἐκ ξύλων ἐλαΐδων. μάλιςα δὲ & τὴν νίκλεω αὐτῇ πάρεδρον διδόασιν, ἢ τις νικᾷν τῷ τῶν ὅλων ποιεῖ. περαιτὴ παρεισάγεσθαι, διὰ τὸ ὀξύρροπον & ἀμετάβολον τῶν πράξεων. *Erigunt in ejus honorem trophæa, quæ constant ex lignis oleagineis. In primis tamen Victoriam Minervæ assidere tradunt, quod vincenti victoriam tribuat. Quæ alata fingitur, quod ea negotia quæ subit, quam celerrime procedant, nec ullo modo impediri possint.* De Minerva Victrice Etymologici Magni Auctor: Καὶ ἡ Ἀθηνᾶ Νίκη προσαγορεύεται. νομιζομένης γὰρ αὐτῆς πολεμικῆς καὶ φρονιμικῆς, ἀκόλουθον ἂν εἴη & τὴν νίκλεω αὐτῇ ξυνέπεσθαι. τὸ γὰρ ἐμφρόνως πολεμεῖν, νικητικόν. *Minerva etiam Victrix appellatur. cum enim bellicæ artis peritia & prudentia prævalere existimetur, consequens etiam est, ut Victoriam reportet; prudenter enim bellum gerere, victoriosum est.* Athenis quoque culta fuit Minerva Victrix, ibi enim in arce inter alia templum Ἀθηνᾶς Νίκης; de qua videndus Meursius Lection. Atticar. Lib. I. cap. XX.

Num. *Clodii Albini*, cum Inscript. MINERVA. PACI- III. FERA. COS. II. S. C. *Minerva* galeata, seminuda fere, sinistra hastam & clypeum; dextra vero Oleam, Pacis insigne, tenens; unde *Pacifera* dicta; præsertim cum pacis tempore Artes & Sapientia majori in pretio sint, ac plus valeant. Supra Tab. XL. Martem quoque habuimus *Paciferum* in Nummis VIII. & IX.

*Gallieni*, & *Alexandri Severi*; ubi ex Ovidio lib. III. Faſtor. Martem dicentem audivimus:

*Nunc primum ſtudiis Pacis, Deus utilis armis*
*Advocor, & greſſus in nova caſtra fero.*
*Nec piget incepti, juvat hac quoque parte morari.*
*Hoc ſolam ne ſe poſſe Minerva putet.*

Minervæ itaque meritò *Paciferæ* cognomen additum. Tale autem, uti in hoc Nummo repræſentatur, videtur fere fuiſſe ſimulachrum ejus Conſtantinopoli viſendum, quod Georg. Codinus in De Originib. Conſtantinop. ita deſcribit: Τὸ δ' Ἀθηνᾶς ἄγαλμα δόρυ κρατεῖ, διὰ τὸ σαθερὸν & ἀνδρεῖον. ὁμοίως καὶ ἀσπίδα, διὰ τὸ πᾶσαν ὑπόβουλὴν διὰ τῆς σοφίας ἀπωθεῖσθαι. ἡ αὐτὴ γὰρ ἔστι τῷ νῷ. & περικεφαλαίαν διδόασιν αὐτῇ, διὰ τὸ εἶναι τῆς σοφίας τὸ ἀκρότατον, ἀόρατον. καὶ ἐλαίαν, ὡς καθαροτάτης οὐσίας ὕλης. φωτὸς γὰρ ὕλη & ἐλαία. καὶ Γόργονα διδόασιν ὑπὸ τῷ στήθους αὐτῆς, διὰ τὸ ταχὺ τῆς νοῦ. *Minervæ ſimulachrum haſtam tenet ad ſignificandum ejus conſtantiam & fortitudinem; ſimiliter etiam clypeum, quod omnes inſidiæ ſapientia repellantur. Minerva enim & Mens idem ſunt. Galeam porro illi tribuunt, propterea quod ſapientiæ culmen ſub adſpectum non cadit: & oleam ob naturæ puritatem; quippe quia hujus materia eſt olea. Gorgonem quoque in ipſius pectore collocant, ob mentis celeritatem.*

IV. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. COS. III. S. C. *Noctua, Aquila*, & *Pavo*, Minervæ, Iovis & Iunonis aves, eodem ordine heic collocatæ, quo ſupra ad Tab. LI. Num. X. Statuas eorum in Capitolio poſitas diximus; ad idem quoque deſignandum.

V. Num. *Iul. Cæſaris*, cum Inſcr. PRÆF. CLOVIVS. Minerva galeata incedens, ſiniſtra clypeum, in quo caput Meduſæ, dextra

dextra verò trophæum ſuper humeros ferens, cum Dracone ad pedes; capulus quoque gladii quo accincta eſt, ad dextrum latus apparet. Albricus De Imaginib. Deor. de Minerva: *Hæc pingebatur à Poëtis in ſimilitudinem unius dominæ, armatæ lorica, & gladio accinctæ, cujus caput viri decinctum circum erat: ipſamque caſsis cum criſta deſuper tegebat. ipſa autem lanceam tenebat in dextra: in ſiniſtra vero ſcutum cryſtallinum habebat, quod caput Gorgonis à cervice ſerpentibus monſtroſe continebat.* Cum Dracone ad pedes, animali ei ſacro, etiam Athenis Minervæ ſimulachrum fuit, de quo Pauſanias lib. I. Τὸ δ' ἄγαλμα ὀρθόν ἐστιν ἐν χιτῶνι ποδήρει, καὶ οἱ ἐπὶ τῷ στέρνῳ κεφαλὴ Μεδούσης, ἐλέφαντος ἐστὶν ἐμπεποιημένη, καὶ Νίκη τε ὅσον τεσσάρων πηχῶν. Ἐν ᾗ τῇ χειρὶ δορυ ἔχει, καὶ οἱ πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον ἔγχους, Δράκων ἐστίν· εἰκάζουσι δὲ αὐτὸν Ἐρεχθόνιον εἶναι τὸν Δράκοντα. *Minervæ ſignum recto ſtatu eſt, cum tunica talari; in ejus pectore Meduſæ caput ex ebore factum; & Victoria cubitorum fere quatuor, manu haſtam tenet: jacet ad pedes ſcutum; ad imam haſtam Draco, quem Erichtonium eſſe exiſtimare poſſis.* Similis ſtatuæ Athenienſis Minervæ cum ſerpente, à Phidia factæ, niſi potius eadem ſit, de qua Pauſaniæ verba adduximus, mentio apud Plinium lib. XXXVI. Hiſt. Natur. cap. V.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. NERO. CLAVD. CAES. VI. AVG. GERM. *Ara* quadrata, ſuper qua *Noctua*, expanſis alis, & in latere *ſerpens ſinuoſus*; Minervam deſignant, cui utrumque animal ſacrum. Phurnutus de Minerva: Οἱ δὲ δράκοντες καὶ ἡ γλαὺξ διὰ τὸ ἐμφερὲς τῶν ὀμμάτων ἀναλήθειν ταύτῃ τῇ γλαυκώπιδι ἔσῃ. σημειολέου γὰρ ὁ δράκων δέδοκε, καὶ φυλακτικόν τι ἔχει ὡς ἄγρυπνον, ὡς ἀϋπνατον εἶναι δυναῖ. *Dracones & Noctua propter oculorum ſimilitudinem ei conſecrati ſunt, utpote quæ & ipſa, glaucos oculos habeat. Draco enim torvum videt, vigi-*

*liæque ac custodiæ accommodus perhibetur, insuper non facile potest capi.* Hinc Philostratus Iunior Iconum lib. II. in Descript. Insular. Ὁ δράκων ἢ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς, ὁ ἔτι καὶ νῦν ἐν ἀκροπόλει οἰκῶν, δοκεῖ μοι τὸν Ἀθηναίων ἀσπάσασθαι δῆμον ἐπὶ τῷ χρυσῷ. &c. *Palladis autem draco, qui adhuc arcem habitat: Atheniensium populum auri causa mihi amare videtur.*

VII. Num. *Claudii* II. cum Inscr. ROMAE. AETERNAE. Templum sex columnarum, in cujus meditullio *Roma*, Deæ instar, sedet, galeata, sinistra hastam, dextra Victoriolam tenens. Nam & ipsa Vrbs tamquam *Dea* culta, templumque habuit. Hinc Martialis:

*Terrarum Dea gentiumqne Roma.*

Apud Tacitum lib. IV. Annal. Smyrnæi dicunt *in Senatu, se primos templum Vrbis Romæ statuisse M. Porcio Consule*, hoc est, anno V. C. IↃLIX. Sic apud Livium lib. XXXV. *Alabandenses templum Vrbis Romæ se fecisse commemoraverunt* in Senatu, *ludosque anniversarios ei Divæ instituisse.* quod factum anno V. C. IↃLXXXIV. Alabanda autem civitas Cariæ, quæ regio est minoris Asiæ. At in ipsa Vrbe, ROMÆ Templum ædificavit Hadrianus, eique templum Veneris adjunxit. Xiphilinus ex Dione Cassio in Hadriano: Αὐτὸς μὲν γὰρ τοῦ τῆς Ἀφροδίτης, τῆς τε Ῥώμης ναοῦ τὸ διαγράμμα αὐτῷ πέμψας, δι' ἔνδειξιν ὅτι καὶ ἄνευ ἐκείνου μέγα ἔργον γίγνεσθαι δύναται. *Ipse quidem* Hadrianus *descriptionem templi Veneris, & ipsius Romæ ad eum misit*, (ad Apollodorum scilicet, insignem architectum,) *ut ostenderet etiam magna ædificia absque ejus opera fieri posse.* Sic Cassiodorus in Chronico, Pompeiano & Attiliano COSS. sub Adriano: *His*, inquit, *Consulibus templum Romæ, & Veneris factum est, quod nunc Vrbis appellatur.* Hinc Prudentius lib. I. contra Symmach.

*Lanige-*

*Lanigeroſque Deum templis adſtare miniſtros,*
*Ac ſacram reſonare viam mugitibus ante*
*Delubrum* ROMÆ; *colitur nam ſanguine & ipſa*
*More Deæ, nomenque loci, ceu numen habetur.*
*Atque Vrbis, Veneriſque, pari ſe culmine tollunt*
*Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.*

De templo Vrbis Romæ quoque Claudianus lib. II. in Stilicon.

*Eluſæ, Dominæ pergunt ad limina Romæ.*

Et mox:

*Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent*
*Monte Palatino.*

Ex quibus Claudiani verbis, tum ſitus Templi, tum ejus pulchritudo, & magnificentia, apparet. Erat enim in Colle Palatino; ac candide lucebat, hoc eſt, nitebat, utpote ex Pario, alioque marmorum genere exſtructum. Vnde & Ammianus Marcellinus lib. XVI. iſtud recenſet inter ædificia publica quæ in Vrbe maxime eminebant. Mentio *Templi Vrbis*, & *Templi Romæ* fit quoque in Antiquis Inſcriptionibus apud Gruterum, Pag. CCCXVII. 7. & CCCXX. 8.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. ROMæ ET AVG*uſto*. Templum, ſive Ædis *Romæ*, & *Auguſto* ædificata, cum duabus columnis, quarum acroteriis Victoria inſiſtit. Sic in quodam VIII

Num. *Tiberii*, cum Inſcr. ROMæ ET AVG*uſto* COM*munitas* ASIAE, Templum ſex columnarum cernitur; Nec non in alio IX.

X. *

XI. Num. *Claudii*, cum hujuſmodi Inſcript. ROM. ET AVG. COM. ASI. Templum itidem apparet, in quo Auguſto cum haſta pura, ſive ſceptro in dextra ſtanti, ab Aſia Corona imponitur. Nummos hoſce declarant hæc Suetonii verba in Auguſto, cap. LII. *Templa quamvis ſciret etiam Proconſulibus decerni ſolere: in nulla tamen provincia, niſi* COMMVNI SVO ROMÆQVE *nomine recepit: nam in Vrbe quidem pertinaciſſime abſtinuit.* Quod Auguſti exemplum de templis Sibi & Romæ in Provinciis erigendis Tiberius, & Claudius, aliique Imperatores poſtea imitati videntur. Dio Caſſius Lib. LI. Καῖσαρ δὲ ἐν τούτῳ τά τε ἄλλα ἐχρημάτιζε, καὶ τεμένη τῇ τε Ῥώμῃ καὶ τῷ πατρὶ τῷ Καίσαρι, ἥρωα αὐτὸν Ἰούλιον ὀνομάσας, ἔν τε Ἐφέσῳ καὶ ἐν Νικαίᾳ γενέσθαι ἐφῆκεν. αὗται γὰρ τότε αἱ πόλεις ἦσαν τῆς Ἀσίας καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ προτετιμήκασι. καὶ τούτους μὲν τοῖς Ῥωμαίοις τοῖς παρ' αὐτοῖς ἐποικοῦσι πρᾶον προσέταξε. τοῖς δὲ ξένοις (Ἕλληνας σφᾶς ὀνομάσας) ἑαυτῷ πρὸ, τοῖς μὲν Ἀσιανοῖς ἐν Περγάμῳ, τοῖς δὲ Βιθυνοῖς ἐν Νικομηδείᾳ τεμένισαι ἐπέτρεψε. καὶ τοῦτ' ἐκεῖθεν ἤρξαντο, καὶ ἐπ' ἄλλων αὐτοκρατόρων οὐ μόνον ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς ἔθνεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις ὅσα τῶν Ῥωμαίων ἀκοῇ, ἐγένετο. ἐν γάρ τοι τῷ ἄρχειν αὐτῷ, τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ οὐκ ἔστιν ὅς τις τῶν καὶ ἐφ' ὁποσουοῦν λόγου τινὸς ἀξίων ἐφύλαξε τοῦτο ποιῆσαι. *Cæſar Octavianus hoc tempore, cum alia quædam reſponſa dedit, tum templum Vrbi Romæ, patrique Cæſari, quem heroa Iulium nominavit, Epheſi & Nicææ fieri permiſit. hæ enim tum urbes Aſiæ & Bithyniæ clariſſimæ habebantur; prcæpitque ut ab incolis Romanis colerentur: extraneis autem hominibus, quos Græcos ipſe appellabat, conceſſit: ut ſibi ipſi quoque templa facerent: Aſiani quidem, Pergami; Bithyni vero, Nicomediæ. Id ab hoc initio tractum, reliquorum in honorem Imperatorum, non in Græcis tantum Provinciis factum eſt, ſed etiam apud alios omnes populos Romanis ſubditos. Nam*

Romæ

*Romæ quidem & in Italia, nemo unquam alicujus pretii homo id facere ausus est.* Sic itaque ut Inscriptio indicat, Templa heic à Communitatibus Asiæ *Romæ* & *Augusto* posita sunt. *Communitas*, sive *Commune Asiæ*, dicebatur conventus præcipuarum civitatum totius Asiæ; A. Gellius alicubi *Commune Asiæ concilium* vocat; & quicquid in ejusmodi concilio plurium civitatum suffragiis decretum, aut pro partium studiis conflatum erat, id *Communis Asiæ* nomen obtinebat. Ab ejusmodi igitur Communitate, sive Communi Asiæ concilio, Templa in honorem *Romæ* & *Augusti* ædificata, & sacra iis facienda decreta. Sic legimus apud Tacitum lib. IV. Annal. cap. LV. & seq. undecim Civitates Asiæ, per Legatos suos Romæ in Senatu certasse, in qua earum templum Tiberio statueretur; ac Smyrnæos prælatos. Plura de *Communi Asiæ* vide apud Seldenum in Commentar. ad Marmora Arundelliana, pag. 164. Quod vero Dio scribit, non in Græcis tantum Provinciis, sed in aliis omnibus Romano Imperio subjectis factum, ut Imperatoribus templa exstructa fuerint; id in ipsomet Claudio quoque obtinuisse, testis est Seneca his verbis in Apocolocynt. *Parum est, quod templum in Britannia habet, quod hunc Barbari colunt, & ut Deum orant.* De eodem Claudii templo apud Britannos Tacitus Annal. lib. XIV. cap. XXXI. *Ad hæc templum divo Claudio constitutum, quasi arx æternæ dominationis adspiciebatur, delectique sacerdotes specie religionis omnes fortunas effundebant.*

CLAS-

# CLASSIS IV.

## *Virtutum, Sociarumque, quæ & ipſæ pro* DIs *habitæ, Emblemata comprehendens.*

## TABVLA LIII.

I. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcript. FORTVNA. AVGVSTI. *Fortuna* matronæ ſtolatæ inſtar, baſi inſiſtens, dextra manu Temonem navis, ſiniſtro in brachio Cornu copiæ fructuum omni genere plenum ſuſtinens. Lactantius lib. III. Inſtit. Divin. cap. XXIX. De Fortuna: *Nam ſimulachrum ejus cum Copiæ cornu & gubernaculo fingunt: tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Arnobius lib. VI advers. Gent. *Fortuna cum Cornu, pomis, ficis aut frugibus autumnalibus pleno* fingitur. Prudentius lib. I. contra Symmachum:

*Formatum Fortunæ habitum cum divite Cornu.*

II. Num. *Domitiani*, cum Inſcr. FORTVNA. AVGVSTI. S. C. *Fortuna* habitu Romano matronali, compta, ſtans, dextra manu navis gubernaculum tenens ſubjacenti globo impoſitum, quo rerum in orbe volubilium, & fortuitarum omnium regimen penes illam eſſe deſignabant; ſiniſtro brachio itidem Cornucopiæ habens. Galenus Exhortat. ad Medic. & Art. cap. II. de Fortuna. Ἧς τὴν μοχθηρίαν ἐμφανίζαι βελησθέντες οἱ παλαιοὶ, γεγράφοντες καὶ πλάττοντες αὐτὴν ἐ μόνον ἐν εἴδει γυναικὸς ἠκέσθησαν. ἀλλὰ καὶ πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χερσῖν ἔχειν αὐτῇ, καὶ τῶν ποδοῖν ὑπέθεσαν βάσιν σφαιρικὴν, ἐξέρησαν ὅ καὶ τῶν ὀφθαλμοῖν, ἐνδεικνύμενοι διὰ τούτων ἁπάντων τὸ τῆς τύχης ἄστατον. *Cujus improbitatem*

1

2

3

4

5

6

7

8

9




10

11

12

*tem cum exprimere vellent antiqui, eam non modo muliebri ſpecie depingere ſeu fingere contenti, ſed & navis gubernaculum dederunt illi in manus, pedibusque ſubjecere ſphæricam baſin; tum etiam utroque oculo captam fecêre: Quibus omnibus inconſtantiam ejus ac temeritatem notarent.* Cum hiſce Galeni conveniunt verſus iſti Pacuvii, qui habentur apud Auctorem Rhetoric. ad Herenn. lib. II. cap. XXIII.

*Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam perhibent Philoſophi;*
*Saxoque illam inſtare globoſo prædicant volubilem.*
*Ideo quò ſaxum impulerit fors, cadere eo Fortunam autumant.*

Et quæ porro ibidem ſequuntur. Quamvis hæc non fuerit communis Romanorum mens & ſententia; Quorum nonnulli *Fortunam* iſtam *Regiam*, *Auguſti*, *Populi Romani*, *Auream*, quibus cognominibus appellabatur, per inceſſum & cultum matronalem, aut etiam in cathedra ſedentem, uti mox videbimus, ut gravitatis & conſtantiæ argumentum, diſtinguebant ab illa *Celeri*, *Levi* & *Inſtabili*, uti oſtendit Pighius Præfat. in lib. I. Annal. Rom. De Copiæ cornu ita quoque Petronius: *Præſto erat Fortuna cornu abundanti copioſa.* Ammianus Marcellinus lib. XXII. *Mundanam cornucopiam Fortuna geſtans propitia, cuncta glorioſa deferebat & proſpera.*

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. FORTVNA. OBSEQVENS. III. S C. Matrona ſtans ſimiliter cum navis temone, & Cornu Amaltheæ, *Fortunam Obſequentem* repræſentans. Huic primum in Capitolio Serv. Tullius Rex Romæ Templum dicavit, ut teſtatur Plutarchus Lib. De Fortuna Romanor. Σέρβιος ὁ Τύλλιος, ἀνὴρ τῶν βασιλέων μάλιστα τῇ δυνάμει αὐξήσας τὴν δήμον καὶ τὸ πολίτευμα κοσμήσας &c. αὐτὸς ἑαυτὸν εἰς τὴν τύχην ἀνῆπτε, καὶ ἀνεδεῖτο τὴν ἡγεμονίαν, ἐξ ἐκείνης· ὡς τε καὶ σωτεῖραν δοκεῖν αὐτῷ τὴν τύχην, διά τινος θυείου καταβαίνουσαν εἰς τὸ δω-

μάτιον, ὁ νῦν φενεστέλλαν πύλην καταλοῦσιν. ἱδρύσατο δ' οὖν τύχης ἱερὸν ἐν μὲν Καπιτωλίῳ, τὸ τῆς Πριμιγενείας λεγομένης, ὃ πρωτογονοῦν τὶς ἂν ἑρμηνεύσειε· καὶ τὸ τῆς Ὀψεκουέντης. *Servius autem Tullius, qui omnium regum maxime & potentiam auxit populi, & Rempb. ornavit, &c. ipse se ipsum ad Fortunam rejecit, eique regnum suum acceptum retulit; ita ut etiam cum eo consuescere Fortuna putaretur, per fenestellam in domum ejus descendens: Is ergo Fortunæ templum posuit Primigeniæ in Capitolio & Obsequentis.* Meminit hujus Seneca Tragicus in Octavia:

NE. *Fortuna nostra cuncta permittit mihi.*
SE. *Crede* OBSEQVENTI *parcius; levis est Dea.*

Ad eamque alludit Plautus in Asinaria, Act. III. Sc. III.

AR. *Quem te autem Deum nominem?* TE. *Fortunam, atque Obsequentem.*

Mentio quoque ejus in Veteri Inscriptione apud Gruterum:

FORTVNÆ
OBSEQVENTI
ORD. COMENS
VOTO. PRO
SALVTE. CIVIVM
SVSCEPTO.

IV. Num. *Commodi*, cum Inscript. FORTVNÆ. MANENTI. Matrona compta, sedens in cathedra, tanquam firmam, stabilem & sedatam, tranquillamque *Fortunam* repræsentans, sinistra Copiæ cornu consuetum, dextra vero equum freno tenens; forte ad designandum, quamvis fortuna stabilis jam tranquillaque videatur, eam tamen volubilem, inconstantemque indomiti equi instar, qui freno retinendus, cohibendusque; vel potius, eam, quamvis

vis instabilem, jam tamen ad instar equi ferocis freno coërciti, tranquillam, permanentemque redditam. Plutarchus De Fortuna Romanor: Ἡ Τύχη καταλιποῦσα Πέρσας καὶ Ἀσσυρίους. &c. τῷ δὲ Παλατίῳ ὑποσερχομένη, καὶ διαβαίνουσα τὸν Θύμβριν, ὡς ἔοικεν, ἔθηκε τὰς πτέρυγας, ἐξέβη τῶν πεδίλων, ἀπέλιπε τὴν ἄπιστον καὶ παλίμβολον σφαῖραν. οὕτως εἰσῆλθεν εἰς Ῥώμην ὡς μενοῦσα, καὶ τοιαύτη παρέστιν ὡς ἐπὶ τὴν δίκην. οὐ μὲν γὰρ ἀπευθὴς κατὰ Πίνδαρον, οὐδὲ δίδυμον στρέφουσα πηδάλιον, ἀλλὰ μᾶλλον Εὐνομίας καὶ Πειθοῦς ἀδελφή. *Fortuna Persis & Assyriis desertis &c. postquam transmisso Tiberi ad Palatium appropinquavit, alas deposuit, talaria exuit, ac infideli ac versatili illo globo misso facto, ita Romam intravit, ut Mansura; ac talis jam adest ad judicium. Non enim incerta est, qualis apud Pindarum, neque geminum versat gubernaculum, sed rectius dicitur Iustitiæ atque Suadæ soror.* Et mox: Τὸ δὲ ὑμνούμενον ἐκεῖνο τοῦ Πλούτου κέρας ἔχει διὰ χειρὸς, οὐκ ὀπώρας ἀεὶ θαλλούσης μεστὸν, ἀλλ' ὅσα φέρει πᾶσα γῆ, πᾶσα δὲ θάλαττα, καὶ ποταμοὶ, καὶ μέταλλα, καὶ λιμένες, ἄφθονα καὶ ῥύδην ἐπιχεαμένη. *Illud verò omnium sermonibus celebratum Copiæ cornu in manu habet, non frugibus semper florentibus refertum: sed largissime omnia profundens, quæ omnis terra, omne mare, omnia flumina, metalla, portusque ferunt.*

Num. *Iuliæ*, Severi Imp. uxoris, cum Inscr. FORTVNAE FELICI. Matrona compta & culta sellæ insidens, dextra Cornu copiæ, sinistra navis gubernaculum globo insistens, tenens; ad quam puer nudus accedit manibus protensis, tanquam Fortunæ munera exspectans. Fortunam cum Amore, sive Cupidine Ægiræ se vidisse testatur Pausanias in Achaicis, sive Lib. VII. Οἶδα καὶ οἴκημα ἐν Αἰγείρᾳ θεασάμενος, ἄγαλμα ἦν τῷ οἰκή- V.

μαλη Τύχης, τὸ κέρας φέρουσα τὸ Ἀμαλθείας. Παρὰ ᾧ αὐτῷ Ἔρως πτερὰ ἔχων ἐστίν. ἐθέλοι δ' σημαίνειν, ὅτι ἀνθρώποις καὶ τὰ ἐς ἔρωτα τύχη μᾶλλον ἢ ὑπὸ κάλλους καθεθται. *Ædicula etiam quædam Ægiræ est, in qua Fortunæ signum sum conspicatus, Amaltheæ cornu præ se gerens; cui adsistit volucer Cupido. Significare vult hæc nimirum Amoris cum Fortuna conjunctio, plus fere in amore homines ope Fortunæ quam pulchritudine proficere.* Alterius adhuc Fortunæ simulachri cum Pluto in manibus, meminit Idem in Bœoticis, sive Lib. IX. Καὶ πλησίον Τύχης ἔστιν ἱερόν. φέρει μὲν δὴ Πλοῦτον παῖδα. ὡς δὲ Θηβαῖοι λέγουσι, χεῖρας μὲν καὶ ἀγάλματος καὶ σχῆμα Ξενοφῶν εἰργάσατο Ἀθηναῖος, Καλλιστόνικος δὲ τὰ λοιπὰ ἐπιχώριος. Ὄφελον μὲν δὴ καὶ τοῦτο τὸ βούλευμα, ἐθεῖναι Πλοῦτον ἐς τὰς χεῖρας ἅτε μητρὶ ἢ τροφῷ τῇ Τύχῃ. *Proxime Fortunæ ædes; fert dea Plutum infantem. Tradunt Thebani manus & os ejus signi fabricasse Xenophontem Athenienssem, reliquas Callistonicum civem suum. Callidum sane fuit commentum, in manus Fortunæ, tanquam vel matris, vel nutricis, Plutum ponere.*

VI. VII. *. *.

VIII. Num. *Augusti*, cum Inscript. FORTVNA. REDVX. Matrona in cathedra sedens, sinistro brachio Cornu copiæ consuetum ferens, dextra vero gubernaculum navis, quod globo insistit, tenens; juxta cathedram etiam cernitur rota. De *Fortuna Reduci*, sequenti proximè nummo quædam dicenda. Heic tantum subjungemus locum Pausaniæ è Lib. IV. sive Messenicis, ubi scribit Bupalum Architectum & Statuarium insignem, primum fuisse, qui Fortunæ deæ simulachrum cum Cornu Copiæ effinxerit: Βύπαλος δὲ ναός τε οἰκοδομήσας καὶ ζῶα ἀνὴρ ἀγαθὸς πλάσαι, Σμυρναίοις ἄγαλμα ἔργα ζόμβος Τύχης πρῶτος ἐποίησεν

σεν ὧν ἴσμεν, πόλον τε ἔχουσαν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, & τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ τὸ καλούμενον Ἀμαλθείας κέρας ὑπὸ Ἑλλήνων. ἕτῳ μὲν ἐπὶ τοσούτῳ ἐδήλωσε τὸ Θεῖον τὰ ἔργα. *Bupalus autem templis ædificandis & ſimulachris fingendis admodum ſolers, cum Smyrnæis Fortunæ ſignum, omnium, quos ipſi ex antiquitatis monumentis cognoverimus, primus finxiſſet, capiti polum impoſuit, altera verò manu Amaltheæ cornu, ut Græci appellant, tenentem fecit. Ad hunc ille modum Fortunæ munera declaravit.*

Num. *Auguſti*, in quo cernitur *Ara*, cui duo Delphini in- IX.
cumbunt, cum Inſcriptione: FORTunæ REDuci CAE Saris AVGuſti S. P. Q. R. A Senatu ſcilicet Populoque Romano poſita in honorem Auguſti, cum debellato apud Actium Antonio rebusque Gallicis, Germanicis, & Hiſpanicis omnibus feliciter confectis, Romam rediret. De hac ara Dio lib. LIV. ubi de Auguſti reditu in Vrbem: Καὶ αὐτῷ ἐπί τε τούτοις καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ἐν τῇ ἀποδημίᾳ περαχθεῖσι, πολλὰ καὶ παντοῖα ἐψηφίσθη. ὧν οὐδὲν προσήκατο, πλὴν τύχης τε ἐπαναγώγῳ (ἔτω γάρ πως αὐτὴν ἐκάλουν) βωμὸν ἱδρυθῆναι. καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην ἀφίξεώς, ἔν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, & Αὐγουσταλια ὀνομάζεσθαι. *Propter hæc & alia, quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem ejus decreta ſunt; quorum ille nihil accepit, niſi quod Fortunæ Reduci Aram conſecrari, diemque ſuum reditus inter ferias referri, & Auguſtalia dici paſſus eſt.* In altera hujus nummi parte habetur ipſius Auguſti effigies coronata quercu: qua etiam corona, pace hac maritima victoria parta, ſervatiſque civibus à S. P. Q. R. donatus eſt. Aram porro hanc erectam ob victoriam maritimam duo ſupra eam delphini jacentes oſtendunt.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. FORTVNÆ. REDVCI. X.
S. C. *Hadrianus* Imperator à variis peregrinationibus Romam

redux, togatus, vel à Fortunâ cum Copiæ cornu, & dextram ei porrigente, gratulabundâ excipitur, vel ipsemet ob salvum suum adventum, se, suaque *Fortunæ Reduci* committit, aut data dextra templum ei vovet. Morem tangit Claudianus Panegyr. de VI. Consul. Honorii:

*Aurea Fortunæ Reduci si templa priores*
*Ob reditum vovere Ducum, non dignius unquam*
*Hæc Dea pro meritis amplas sibi posceret ædes.*

Martialis lib. VIII. Epigr. LXV.

*Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late*
*Templa nitent; felix area nuper erat.*

XI. Num. *Vespasiani*, cum Inscr. COS. ITER. FORT. RED. *Fortuna Redux* cum Copiæ cornu in sinistro brachio: dextram vero rostro navis imponens; quod Vespasianus navi Alexandria Romam redierit: Hinc Tacitus lib. IV. Hist. cap. LXXXI. scribit, Vespasianum Alexandriæ statos æstivis flatibus dies & certa maris oppertum esse. Iter porro Vespasiani describitur à Flav. Iosepho lib. VII. De Bello Iudaico cap V. & cap. X.

XII. Num. *Nervæ*, cum Inscript. FORTVNA. POP. ROMANI. S. C. *Fortuna* stans solito habitu, cum clavo & Cornu-copiæ. Dio Chrysostomus Oration. LXVIII. de Fortuna: Οἱ δὲ πηδάλιον ἔδωκαν κρατεῖν· οἱ δὲ τὰ κρείττω γράφοντες, τὸ τῆς Αμαλθείας ἔδοσαν κέρας πλῆρες καὶ βρύον ταῖς ὥραις, &c. τὸ δὲ πηδάλιον δηλοῖ, ὅτι κυβερᾷ τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον ἡ τύχη. τὸ δὲ τῆς Αμαλθείας κέρας, μηνύει τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιν τε καὶ εὐδαιμονίαν. *Alii illi dederunt clavum in manus; alii porro meliora pingen-*

1

2

3

4

5



6

7

8

9



10

11

12



*pingentes, Amaltheæ dederunt cornu, plenum & exuberans omnium temporum fructibus.* &c. *Clavus autem, quod hominum gubernet vitam Fortuna, notat. Amaltheæ vero cornu indicat bonorum dationem atque felicitatem.* Idem Orat. LXIV. Secundâ, De Fortuna : Δοκεῖσιν οἱ τεχνῖται πρῶτον τῷ τρόπῳ τ καταστοιβῆς τὴν δυνάμιν αὐτῆς δεδηλωκέναι. πρῶτον μὲν γὰρ, ἔσηκεν ἐτοίμη πρὸς τὰ ἔργα· εἶτα τῇ μὲν δεξιᾷ χειρὶ πηδάλιον καθέχει, καὶ ὡς εἴποι τις, ναυτίλλεται. τί δαὶ ἄρα τοῦτ' ἐστίν, πότερον ὡς μάλιστα τῶν πλεόντων τ τύχης δεομένων; ἢ διότι τὸν βίον ἡμῖν ὥσπερ μεγάλην ναῦν κυβερνᾷ, & πάντας σώζει τοὺς πλέοντας; &c. τῇ δ' ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν, ἡ θεὸς καρπὸς ἐτοίμους καθέχει συνειλεγμένους μεμυκυῖα τὸ πλῆθος τῶν ἀγαθῶν, ἅπερ αὐτὴ δίδωσι. *Videntur artifices primum apparatus modò illius potentiam designasse. Primùm enim posita est, ut prompta ad opera; deinde in dextera manu clavum tenet, &, ut quis dicere posset, navem regit. Quid vero hoc erat? An quod maxime navigantes indigeant fortuna? an quod vitam nobis quasi navem magnam gubernet, omnesque salvet navigantes?* &c. *Altera autem manu Dea paratos collectosque tenet fructus, indicans, quæ ipsa dare soleat multitudinem.* Agmen claudat Marcellinus Comes in Chronico, Boëtio solo COS. ubi scribit : *Simulacrum æneum in foro Strategii super fornicem residens, & Cornu-copiæ Fortunæ retinens, incendio proflammatum est, combustumque amisit brachium, quod tamen statuarii continuo solidarunt.*

# TABVLA LIV.

Num. *Q. Rustii*, cum Inscr. Q. RVSTIVS. FORTV-I. NÆ. ANTIAT. Quia in aversa hujus Nummi parte expressa est ara, cum Inscr. FOR. RE. hoc est, *Fortunæ Reduci*, & circa marginem, CAESARI. AVGVSTO. EX. S C. ideo duo

duo iſta ſimulachra *Fortunæ* nempe *Reducis*, & *Antiatis*, ſive *Antiatinæ*, heic exhiberi vult Fulvius; eaque in Auguſti gratiam impreſſa à Q. Ruſtio, qui ſub Auguſto Triumvir cudendæ monetæ fuit. Adducitque de Fortuna Antiate Horatium Lib. I. Od. XXXV.

*O Diva gratum, quæ regis Antium*
*Præſens vel imo tollere de gradu*
*Mortale corpus, vel ſuperbos*
*Vertere funeribus triumphos.*

Ad quæ verba Acron Vetus Interpres notat: *Apud Antium, Fortunæ templum eſt famoſiſſimum, multorum etiam principum donis ornatum, unde Civitas Fortunæ ipſius tutela dicta eſt.* Verum ego potius duas hasce Figuras, cum L. Torrentio ad Horatium accipiendas putem, ambas pro ſimulacris *Fortunarum Antiatium*, quæ nempe duæ fuerunt. unde in veteri Inſcriptione Antii in marmore reperta: apud Gruterum pag. LXXII.

FORTVNIS. ANTIATIBVS
M. ANTONIVS. RVFVS. AXIVS
DAMASCO. S. D. D.

Sic apud Tacitum Annal. lib. XV. ubi Neroni natam Antii filiam ex Poppæa ſcribit, legere eſt, decretum à Senatu, *ut Fortunarum effigies aureæ in ſolio Capitolini Iovis collocarentur.* Sic apud Macrobium lib. I. Saturnal. cap. XXIII. *Vt vidimus apud Antium promoveri ſimulacra Fortunarum ad danda reſponſa.* Quæ reſponſa, *Sortes Antiatinæ* appellantur à Suetonio in Cajo, cap. LVII. *Monuerunt & Sortes Antiatinæ, ut à Caſſio caveret* &c. Omnes iſti de *Fortunis Antiatinis* in plurium numero loquuntur; quod nempe plus quam unum Fortunæ ſignum Antii eſſet. Duas autem fuiſſe oſtendit hic Q. Ruſtii nummus. Hinc Martialis lib. V. Epigr. I. ad Domitianum, haſce Fortunas Antiatinas, *ſorores* vocat:

*Seu*

*Seu tua veridicæ discunt responsa sorores,*
*Plana suburbani qua cubat unda freti,*

Eodem modo atque Statius Papinius in Sylvis, Fortunas, sive sortes Prænestinas, quæ etiam duæ fuerunt, itidem *Sorores* appellat.

Num. *Gentis Plætoriæ*, cum Inscr. M. PLAETOR. CEST. S. C. SORS. Effigies Iuvenculæ satis comptæ & ornatæ, *Sortem*, quæ & ipsa pro Dea antiquitus culta, repræsentantis. Capsulam quadrangularem ante pectus habet, quasi sortibus custodiendis, & distribuendis aptam. II.

Num. L. *Ælii Cæsaris*, cum Inscr. TR. P. COS. II. S. C. Duæ figuræ muliebres, quarum altera *Fortunam* solito cultu, cum Cornu copiæ, & gubernaculo navis globo impositō; altera vero, quæ pedum summis articulis ei obviam procedit, dextra flosculum, vel herbam gerens, sinistra autem vestis laciniam sustinens, *Spem* repræsentat. Quibus A. Rubenius designari putat Fortunam Spei de Ælio conceptæ respondere; unde Spartianus de eo: *Nec Provinciæ, cui præpositus erat, defuit. Nam bene gestis rebus, vel potius feliciter, etsi non summi, medii tamen Ducis obtinuit famam.* Fortasse autem melius dicetur heic designari *Fortunam Bonæ Spei*, quam Hadrianus de L. Ælio Cæsare, à se adoptato, conceperat; secundum istud Ciceronis; *in Iuvenibus laudanda est Spes, non res.* Et sic quoque L. Ælius Cæsar præter Spem, nihil fere memoriæ dignum præstitit. Obiit enim paullo post adoptionem. III.

Num. *Æmiliani*, cum Inscr. SPES. PVBLICA. S. C. *Spes* juvenculæ instar solito habitu, veste demissa ac pellucida, & discincta; dextra herbam præferentis, sinistra vestis laciniam tollentis, ac pedum summis articulis ambulantis. Quæ omnia designant, Spem Iuvenum, aut puerorum esse, qui bonam quidem spem de IV.

ſe concitant, ſed quorum meſſis adhuc in herba eſt. Spes, Romæ ædem in foro Olitorio habuit: Livius lib. XXII. cap. LXII. *Ædem Spei, quæ in foro Olitorio eſt fulmine ictam.* Idem lib. XXIV. cap. XLVII. *In templis Fortunæ, ac Matris Matutæ, & Spei extra portam late vagatus ignis ſacra, profanaque multa abſumpſit.* Et lib. XXV. cap. VII. *Creati ſunt triumviri bini, uni ſacris conquirendis; alteri reficiendis ædibus Fortunæ & matris Matutæ intra portam Carmentalem, ſed & Spei extra portam, quæ priori anno incendio conſumptæ fuerant.*

V.*.

VI. Num. *Peſcennii Nigri*, Cum Inſcript. BONÆ. SPEI. *Spes* dextra præferens herbam, quæ heic plane conſpicua quatuor folia exhibet, non trifolium, ut in aliis nummis, unde & quidam *Lilium* dixerunt; quod in hoc Peſcennii Nummo locum non invenit. ſiniſtra veſtis laciniam conſueto more attollens; uti & ſummis pedum articulis incedens. BONÆ SPEI titulus adſcriptus, utpote quæ Iuvenum curam gereret. Hinc notatu dignum, quod Lampridius de Heliogabalo, poſtquam percuſſores miſiſſet, qui conſobrinum, ejusque ſimul filium adoptivum Alexandrum occiderent, addit: *Et hoc quidem modo ipſe ſucceſſit ad hortos* SPEI VETERIS, *quaſi contra* NOVVM *juvenem vota concipiens*; ut quem putaret in tutela BONÆ SPEI, quaſi Iuvenum Deæ proprie eſſe; ideoque ad SPEI VETERIS delubrum ſe contulerit; ac ſi ſperaret factum iri, quod juſſerat, reique proſperum ſucceſſum precaretur.

VII. Num. *Claudii*, cum Inſcript. SPES. AVGVSTA. *Spes* ſolito habitu, milites alloquens, eisque *herbam* ſuam porrigens: quaſi Victoriam ipſis ſponderet. Videtur Nummus percuſſus, eo tempore, quo Claudius expeditionem in Britanniam moliretur. de qua Suetonius in ejus Vita, cap. XVII.

VIII. Num-

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. SPES. P. R. SC. *Spes* ſolito VIII.
quidem more dextrâ herbam porrigens; at ſiniſtrâ Fortunæ inſignia tenet, ſcilicet Cornucopiæ, & clavum navis, globo inſiſtentem. Sic ut & *Spem*, & *Fortunam* junctim heic repræſentet.

IX. *.

Num. *Iuliani Apoſtatæ*, cum Inſcr. SPES. REI. PVBLI- X.
CÆ. Figura militari habitu, forſan ipſe *Iulianus*, cum galea & paludamento, dextrâ Globum, ſiniſtra haſtam tenens, *Spem Reipublicæ* deſignans, quaſi ipſa jam non amplius in celeri iſto, & levi motu, ut antea, ſed in armis conſiſteret; vel forſan innuere volens, quod armatus Spem Reipublicæ faciat, ſe avitam Gentilium religionem, à Conſtantini temporibus abolitam, in priſtinum ſtatum reſtituturum.

Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. SPES. PVBLIC. XI.
Cernitur heic *Serpens*, qui per ventrem transfigitur haſta Labari, in cujus faſtigio literæ X & P. ſolenni veterum more conjunctæ, Chriſti nomen deſignantes, expreſſæ. Ad denotandum, quod in contritione Veteris Serpentis, per Nomen Chriſti SPES PVBLICA conſiſteret.

Num. *Arcadii*, cum Inſcript. NOVA. SPES. REIPV- XII.
BLICÆ. *Victoria* alata, ſeminuda, ſpoliis hoſtium inſidens, & ſiniſtra *Clypeum Votivum* tenens, cui dextra *Vota Vicennalia*, & *Tricennalia* inſcribit. Significans Rempublicam in Iuvene Principe Arcadio NOVAM SPEM eamque optimam concepiſſe; adeoque ſe eo Duce, votis conceptis, nihil aliud exſpectare, quam, Imperii hoſtibus ac Tyrannis proſtratis ac debellatis, Victorias, totiusque Status Felicitatem, & Tranquillitatem publicam. Sic, ut de Arcadio, quod olim de Marcello Virgilius dixit:

——— *Magnæ Spes altera Romæ.*

# TABVLA LV.

I. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. IVVENTAS. *Iuventas Dea*, Græcis *Hebe* dicta, ſtans, ſiniſtra pateram tenens, & dextra thura odorifera Tripodi inſpergens; quòd illi odoribus à Iuvenibus ſacrificari ſolitum, quando jam veſticipes barbæ præmetia primum ponebant. Auguſtinus De Civit. Dei Lib. IV. cap. XI. *Iuventas Dea eſt, quæ poſt prætextam excipit Iuvenilis ætatis exordia.* Agrætius in Gloſſis; *Iuventus, ipſa hominis ætas. Iuventas, Dea* HBH, *ut Græcis dicitur.* Vnde Horatius Lib. I. Od. XXX. ad Venerem:

*Et parum comis ſine te Iuventas.*

Vtque Iovi Ganymedes, ſic Iuventas, ſive Hebe cæteris Diis pocula miniſtrare fingitur. Hinc Cicero lib. I. De Nat. Deor. *At Poëtæ quidem Ambroſiam epulas comparant, & aut Iuventutem, aut Ganymedem pocula miniſtrantem.* Idem Tuſcul. Quæſt. lib. I. *Hebem Iuventatem* appellat. Sic in Oratore, *Iuventatis ludos* vocat, quos Salinator Senonenſi prælio voverat. Nec non Feſtus ait: *Iuventatis ſacra pro juvenibus ſunt inſtituta.* Hæc Dea jam in Capitolio culta ab ipſis Servii Tullii Regis temporibus; cumque poſtea Tarquinius Priſcus templum Iovi Capitolino exſtruere vellet, atque propterea omnium aliorum Deorum, qui in Capitolio colebantur, aras exauguraret, Terminus & Iuventas cedere noluerunt, quod Romani in omen traxerunt, fore ut nunquam termini Vrbis moverentur, nec Iuvenilis Vigor deeſſet, uti refert Dionyſius Halicarnaſſeus lib. III. Cujus verba ſupra ad Tab. XLI. Num. V. adduximus. Hinc Camillus in Oratione apud Livium lib. V. *Hic cum augurato liberaretur Capitolium, Iuventas Terminuſque maximo gaudio patrum noſtrorum moveri ſe non paſſi.* Adde Auguſtinum De Civitat. Dei Lib. IV. cap. XXIII. & ibi Lud. Vivem.

II. Num.

TAB. LV.

1

2

3

4

5

6

7



8

9

10

11

12

Num. *Caracallæ*, cum Inſcr. IVVENTA. IMPERII. II. *Iuvenis* militari habitu, ſive potius ipſe *Caracalla*, ſiniſtra haſtæ cum cuſpide humi poſitæ innixus; dextra globum, cui Victoriola inſiſtit, ferens; ad pedes cujus captivus nudus adſidet. *Iuventam Imperii* deſignans, quaſi Imperium virtute militari Iunioris Auguſti, novas vires, novumque vigorem acquireret. Alioquin *Iuventæ* nomine, & ipſa Dea Iuventas, vocatur Ovidio lib. VII. Metamorph. ubi de Medea loquens, ait: II.

——— *Statuitque aras de ceſpite binas,*
*Dexteriore Hecates, at læva parte Iuventæ.*

Et de Ponto lib. I. Eleg. ult.

*Nectar & ambroſiam, latices, epulasque deorum.*
*Det mihi formoſa gnava Iuventa manu.*

Sic Livius lib. XXII. cap. LXII. *Romæ quoque, & lectiſternium Iuventæ, & ſupplicatio ad ædem Herculis indicta.*

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. IVVENTVS. *M. Aurelius* habitu *Principis Iuventutis*, cum ſceptro in ſiniſtra, & Lauro in dextra manu: nec non Trophæo pone tergum erecto. Fortaſſis ſtatua eſt à Iuventute Romana M. Aurelio, tanquam Iuventutis Principi, poſita; cum Inſcriptione IVVENTVS, quaſi ipſius ope & tutelâ Romana Iuventus floreret, vigeretque, tanquam per eum animata, & conſervata; quemque ut Iuventutis Deum tutelarem & propitium haberet: ſed hæc eſt tantum conjectura; cum *Iuventutis* nomine apud Auctores nonnunquam veniat Iuvenum Dea, Iuventas. Livius lib. XXXVI. cap. XXXVI. *Iuventutis ædem in Circo maximo C. Licinius Lucullus diumvir dedicavit* &c. Plinius lib. XXIX. cap. IV. *Supplicia annua canes pendunt inter ædem Iuventutis, & Summani.* &c. Idem lib. XXXV. cap. X. *Tabula in Capitolio in Minervæ delubro ſupra ædiculam Iuventutis.* III.

IV. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. HILARITAS. S C. Matrona dextrâ ramum foliaceum ad terram dimissum sustinet, sinistra vero laciniam vestis cum Cornu Copiæ tenet. quo schemate HILARITAS, ut inscriptio docet, designatur. Rami enim virides *Lætitiæ* signum; unde in publico & privato gaudio viæ, templa, januæ, domus, totæ denique urbes, ab omnibus fere gentibus exornabantur & velabantur ramis & frondibus arborum. Tertullianus in Apologetic. *Cur die læto non laureis postes obumbramus?* Et paullo post: *Quam recentissimis & ramosissimis laureis postes perstruebant.*

Rutilius Claud. lib. I. Itinerarii:

*Exornent virides communia gaudia rami.*

Iuvenalis Satyr. VI.

*Ornentur postes & grandi janua lauro.*

Virgilius lib. II Æneid.

*Nos delubra Deum, miseri quibus ultimus esset*
*Ille dies, festa velamus fronde per urbem.*

V. Num. *Iuliæ Domnæ*, Severi Imp. uxoris, cum Inscr. HILARITAS. Cernitur Matrona cum Cornu copiæ inter duos pueros nudos, quorum alter palmæ ramum, quem ipsa in terram demissum dextra tenet, manibus apprehendit; alter verò manibus protensis munera quasi è Cornu-copiæ exspectaret. Pueri heic forsan additi; quod in istis infucata hilaritas adesse soleat. Ramus denique solitum Lætitiæ Symbolum. Seneca in Thyeste:

*Ornetur altum culmen & lauro fores*
*Lætæ virescant.*

Catullus

Catullus de Nupt. Pelei :

*Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.*

Xiphilinus de reditu è Græcia Neronis : Ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη, κἀκεῖθεν ἐς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης. *Adſcendit in Capitolium, inde in Palatium, urbe tota frondibus ornata.* Statius lib. II. Thebaid. in Nuptiis filiorum Adraſti :

——— *Fractisque obtendunt limina ſylvis.*

Morem hunc tangit S. Ephrem Sermone in Crucem : *Coronemus portarum frontes, ut Chriſtiani ; & non ut gentiles atque Pagani, lauris, aut floribus, aliiſque herbarum generibus.*

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. P. M. TR. P. COS. III. VI. HILAR. P. R. Matrona ſtolata, cum velo in capite, quod à tergo ad talos uſque dependet; quodque illa utraque manu apprehendens, ſuper humeros quaſi expandit; HILARITATEM, uti ex Inſcriptione patet, repreſentans, quamvis inſolito cultu ornata ; & eo habitu, quo *Pietas* alioquin in Nummis exprimi conſuevit, cernatur.

VII. *.

Num. *Didiæ Claræ*, cum Inſcr. HILARITAS. TEM- VIII. PORVM. SC. *Hilaritas* ſolito cultu cum Cornu-copiæ, & viridi palmæ ramo ad terram demiſſo. De more iſto Lætitiæ tempore ramis virentibus vias, domoſque, &c. exornandi, præter modo adductos etiam Statius Papin. in Surrentino Pollii IV. Sylvarum :

*Auguſtaſque fores, aſſuetaque tecta gravamus*

*Frondibus*

Euri-

Euripides Ion. verſ. 103.

— — πτόρθις ἢ δάφνης
Στέφεσί θ' ἱεροῖς ἐσόδους Φοίβου
Καθαρὰς θήσομεν —

*Lauri ramis ac ſertis ſacris veſtibula Phœbi pura faciemus.*

Ovidius lib. III. Triſt. Eleg. I.

*Cur tamen oppoſita velatur janua lauro*
*Cingit & Auguſtas arbor opaca comas?*

Martialis lib. VIII. Epigr.

*Laurigeros Domini Liber intrature penates.*

IX. Num. *Fauſtinæ* cum Inſcr. LAETITIAE. REIPVBLICAE. S. C. Matrona decoro habitu, ſiniſtra haſtam, dextra ſertum, ſive coronam tenens; LAETITIAM REIP. deſignans; quia in Lætitia præter ramos & frondes, etiam ſerta & coronæ adhibitæ. Appuleius lib. IV. Metamorph. *Per plateas commeantem populi frequentes floribus ſertis & ſolutis apprecantur.* Xiphilinus in Nerone, de Adventu Tiridatis: καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο, καὶ φῶσι, καὶ στεφανώμασι. *Tota civitas ornabatur luminibus & coronis.* Latinus Pacatus in Paneg. Theodoſii: *Quid portas virentibus ſertis coronatis?* Lucanus lib. II. Pharſ.

*Feſta coronato non pendent limine ſerta;*
*Infulaque in geminos diſcurrit candida poſtes.*

X. Num. *Pertinacis*, cum Inſcr. LAETITIA. TEMPORVM. COS. II. SC. *Lætitia* eodem cultu, uti modo, cum haſta, & corona. Hyginus in Aſtronomic. *Homines in maxima lætitia victoriiſque coronas habere conſueverunt.* Ambroſius de Virgini-

TAB. LVI.

1

2

3

4



5

6

7

8

9

10

11

12

ginibus lib. II. *Poſtes frondium ſertis cernere coronatos. &c.* Idem Serm. XC. *Reverſa igitur ad palatium facit gaudium & patri ſuo Auguſto, & fratribus ſuis Imperatoribus. Coronatur civitas tota, fit lætitia militantibus, atque privatis.*

Num. *Tetrici*, cum Inſcr. LAETITIA. AVG. N. *Lætitia* dextra Coronam, ſive potius *Diadema*, ſiniſtrâ vero *Anchoram* tenens; ad deſignandum, Lætitiam illam ſtabilem eſſe, & fundatam. Anchora enim ſtabilitatis & firmitudinis Symbolum eſſe ſolet; & ita in Nummis Philippi, & Taciti Impp. ubi *Lætitia* ſimiliter cum anchora expreſſa, adſcribitur, LAET. FVNDATA. S. C. Sic in XI.

Num. *Criſpinæ*, &c. cum Inſcr. LAETIT. FVNDAT. *Lætitia* cernitur cum *Diademate* in dextra, & *Gubernaculo* navis globo impoſito, in ſiniſtra manu. Quam etiam *Fundatam* eſſe indicat Inſcriptio, ejusque rei ſignum gubernaculum, ſive clavus videtur eſſe; quòd gubernatores navium curſum per medios etiam Oceani fluctus firmiter dirigant ad locum, quò tendunt. XII.

# TABVLA LVI.

Num. *Poſtumi.* cum Inſcrip. LAETITIA. AVG. *Triremis* in pleno mari cum remigibus eam remis propellentibus. *Lætitiam* forſan Poſtumi deſignat, quod, cum in Galliis Imperium ipſi delatum fuerit, eas omni rerum Abundantia florere fecerit, inſtauraveritque; cujus rei meminit Trebellius in ejus Vita. I.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. LAETITIA. COS. IIII. Duæ Figuræ muliebres, ſtolatæ, quarum altera duas ſpicas dextera tenet; altera paullò minoris ſtaturæ pomum ſiniſtra manu præfert, duas *Fauſtinas Auguſtas*, Majorem, Antonini Pii uxorem, II.

& Minorem, ejus filiam, M. Aurelio nuptam, repræsentantes. Major nempe cum spicis *Cererem*, Minor cum pomo *Venerem* referens. *Lætitia* autem designatur cum quam illa sua Fœcunditate, tum quam hæc Venustate & forma sua procreavit.

III. IV. *. *.

V. Num. *Hadriani*, cum Inscr. P. M. TR. P. COS. III. FELicitas AVGusti. S. C. Matrona decoro cultu, sinistra *Cornu copiæ*, dextra *Caduceum* gestans. Augustinus De Civitate Dei, lib. IV. cap. XVIII. *Quid quod & Felicitas Dea est? ædem accepit, aram meruit, sacra ei congrua persoluta sunt.* Ædis hujusce Deæ non semel meminit Plinius, qui & lib. XXXV. cap. XII. scribit, simulacrum ejus Achesilao plastæ locatum fuisse à Lucullo H S. LV. Caduceum autem manu habet, vel, ut insigne Pacis; cujus temporibus nempe Felicitas magis stabilis & durabilis censetur; vel ut, quemadmodum Caduceum alicubi Homerus in Hymnis appellat,

—— —— ὄλβου καὶ πλούτου περικαλλέα ῥάβδον,

*Felicitatis & opum pulchram virgam.*

Cujus ratio apud Arrianum Epicteto lib. III. cap. XX. ubi scribit: Τουτέστι τὸ τοῦ Ἑρμοῦ ῥαβδίον. οὗ θέλεις ἅψαι, καὶ χρυσοῦν ἔσται. *Hæc est Mercurii virgula; hoc quicquid tetigeris, aurum erit.* Vnde *Virgula divina* M. Tullio de Officiis dicta.

VI. Num. *Trajani Decii*, cum Inscr. FELICITAS. SAECVLI. S C. *Felicitas* itidem sinistrâ Cornucopiæ, & hastam terræ impositam, in cujus apice duo Serpentes invicem involuti, & per eam divisi, ut in Caduceo, cernuntur, dextrâ tenens. Quod hasta, sive Caduceus terræ innitatur; *Felicitatis* constantiam, & permanentiam designare videtur. Sic in

VII. Num.

Num. *Iuliæ Mammææ*, cum Inſcript. FELICITAS. PV- VII.
BLICA. Eadem *Felicitas* cum Caduceo in dextra, & ſiniſtro cubito columnæ innixa; ad ſtabilitatem ejus denotandam. In alio itidem

Num. *Ejusdem Iuliæ*, cum Inſcr. FELICITAS. PVBLICA. VIII.
Eadem *Felicitas* repræſentatur cum Caduceo, & Cornucopiæ, ſedens in cathedra; ad deſignandum, quod firma & fixa ſit.

Num. *Cl. Albini*, cum Inſcr. FELICITAS. COS. II. SC. IX.
*Felicitas* cum Cornucopiæ & *Caduceo*, Felicitatis virgulâ; & dextro pede globo inſiſtens. ad Orbis Romani ſub Imperio Albini Felicitatem ſignificandam. Sic in

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcript. FELICITATI AVG. X.
COS. IIII. *Felicitas* cernitur expreſſa cum Cornu copiæ in ſiniſtra, & Globum dextera præferens; haud dubie ad Imperii Romani Felicitatem ſub Antonino denotandam. Quippe qui, ut Capitolinus in ipſius Vita ſcribit, *vere natura clementiſſimus, & nihil temporibus ſuis aſperum fecit.* Quique, ut idem paullò pòſt, *Imperatorium faſtigium ad ſummam civilitatem deduxit; unde plus crevit.* Nec non *Senatui tantum detulit Imperator, quantum cum privatus eſſet, deferri ſibi ab alio Principe optavit.* Quibus mox ſubjungit Capitolinus: *Tanta ſane diligentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes, quaſi ſua eſſent, curaret. Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt.* Denique: *Vini, olei, & tritici pænuriam per ærarii ſui damna emendo & gratis populo dando ſedavit.* Hæc & alia hujus generis quam plurima, quæ paſſim in Antonini Pii vitâ occurrunt, Temporum iſtorum Felicitatem ſatis indicant.

Num. *Gordiani tertii*, cum Inſcr. SAECVLI. FELICI- XI.
TAS. Ipſe *Imperator* cum Laurea in capite, & paludatus, dextra haſtam, ſiniſtra Globum præferens, *Sæculi Felicitatem* ſub ejus Imperio, per Orbem Romanum deſignans.

XII. Num. *Hadriani*, cum Inscr. FELICITATI. AVGVSTI. *Triremis*, sive *Navis prætoria* plenis velis vecta, & à remigibus propulsa, cum Gubernatore ad Clavum in puppe; Symbolum *Felicitatis* sub Hadriano qui, tanquam navis Gubernator, ad Clavum Imperii, & Reipublicæ sedet, ac feliciter dirigit.

## TABVLA LVII.

I. Num. *Elagabali*, cum Inscr. FELICITAS. TEMP*orum*. Heic quoque *Navis* cum velo & remigibus, nec non Gubernatore ad clavum. *Felicitatis* Symbolum est. Monstrum istud hominis, Elagabalus, sive, ut vulgo vocatur, Heliogabalus etiam de Felicitate suorum Temporum gloriari voluit; quasi Felix sub tali propudio Respublica aut Imperium esse potuerit.

II. Num. *Severi*, cum Inscr. FELICITAS. PVBLICA. Duo *Copiæ-cornua* cum Spica intermedia. Symbolum *Felicitatis publicæ*, per frugum abundantiam & Copiam à Severo procuratam. Ejus rei enim Severum singularem curam gessisse, testis est Spartianus in ejus Vita. *Rei frumentariæ, quam minimam repererat, ita consuluit, ut excedens ipse vita septem annorum Canonem populo Romano relinqueret.*

III. Num. *Antonini Pii*, cum Inscript. FELICITAS. AVG. *Felicitas* dextra Caduceum tenens, sinistra verò vestis laciniam attollens, ac si Circulum efficeret; in Æternitatis signum; ut nempe Felicitatem Antonini æternam esse denotetur.

IV. Num. *Hadriani*, cum Inscript. FELICITATI. AVG. *Felicitas* cum Caduceo, & *Hadrianus Imp.* togatus, dextras invicem jungunt, ac si fœdus inirent; & Imperator Felicitatem perpetuam sibi stipularetur.

V. Num.

B. LVII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11



12



Num. *Domitiani*, cum Inſcr. FELICITAS. PROVIN- V.
CIARVM. *Felicitas* ſiniſtra Cornu copiæ ſolito more, dextra verò, loco Caducei, *Oleam* tenens. Deſignans Provincias per Pacem, & omnium rerum Abundantiam felices redditas.

Num. *Iuliæ Mæſæ*, Heliogabali aviæ, cum Inſcr. SAECV- VI.
LI. FELICITAS. *Felicitas*, ſive potius *Iulia Mæſa*, ſub ejus Nomine, ſtans ante aram accenſam, ſiniſtra haſtam puram tenens; dextra vero pateram, qua ſacrificans ſuper aram libat. Stella heic etiam quæ frequens admodum in Nummis Heliogabali, adjecta; ob eandem forte rationem, ad Solem ſcilicet denotandum, qui Phœnicibus ſub *Elagabali* nomine colebatur; cujusque Dei Heliogabalus Sacerdos erat in urbe Emeſſa, cum à militibus, per aviam Iuliam Mæſam magna pecuniæ vi corruptis, & ſibi conciliatis, ad Imperium eveheretur. Ejus forte memoriæ cauſſa, in honorem aviæ ab Heliogabalo hic nummus, cum ſtellâ, Solis, ſive Elagabali Dei ſui ſigno, adjunctâ percuſſus.

Num. *Severi*, cum Inſcr. FELICITAS. SAECVLI VII.
Tria Capita, *Severi* nimirum Imperatoris cum coronâ laurea, & filiorum eius *Antonini Caracallæ*, ac *Getæ*; Felicitatem Imperii, ex eorum Concordiâ, deſignantia. Quomodo enim Severus filios ad concordiam & pacem inter ſe colendam, ut firmiſſimum Imperii Robur, exhortatus fuerit, eorumque animos diviſos reconciliare ſtuduerit, refert Herodianus Hiſtor. lib. IV.

Num. *Fauſtinæ*, M. Aurelii uxoris, cum Inſcr. SAECVLI. VIII.
FELICITAS. Cernitur heic *Lectulus*, cui inſident duo infantuli nudi; *Commodum* cum fratre *Antonino*, qui gemelli fuêre, repræſentantes. Æl. Lampridius in Vita Commodi. *Ipſe autem natus eſt apud Lanuvium cum fratre Antonino gemino, pridie Kal. Septemb.* Et mox: *Fauſtina cum eſſet Commodo cum fratre prægnans, viſa eſt in ſomnis Serpentes parere; ſed ex his unum ferociorem. Cum*

*autem peperisset Commodum atque Antoninum, Antoninus quadrimus est elatus: quem parem astrorum cursu Commodo Mathematici promittebant.* In horum itaque Nativitatem hic Nummus cusus, quasi *Felicitatem Sæculi* promitterent.

IX. Num. *Ejusdem Faustinæ*, cum Inscr. TEMPOR. FELIC. *Faustina* cum liberis suis, quorum duos, gemellos forte istos, Commodum cum fratre, pueruli enim videntur, nudos, ut novissime in lucem editos, ulnis gerit; quatuor verò vestibus indutæ, præter duos enim mares, filias tantum reliquas peperit, manus ad eam tendentes, ad latera ejus circumstant. Herodianus Lib. I. in principio: Τῷ βασιλεύοντι Μάρκῳ θυγατέρες μὲν ἐγένοντο πλείους, ἄῤῥενες δὲ δύο. *Imperatori Marco filiæ quidem complures, duo verò mares nati sunt.* Hæc autem Faustinæ fœcunditas *Temporum* istorum *Felicitatem* constituere videbatur; non quod tot Hæredes, & fulcra Imperii produxerit Faustina, quot nulla ante eum Augusta, ut quidam ad hujus Nummi illustrationem notant; cum duos tantum mares, eorumque alterum tantummodo superstitem, ut modo audivimus, enixa fuerit; sed quod Fœcunditas ista ἁπλῶς pro Temporum Felicitate haberetur, cum Augusta domus tam multa prole beata esset.

X. Num. *Antonini Pii*, cum Inscript. TEMPORVM FELICITAS. COS. IIII. Duo Copiæ-Cornua ex adverso decussatim posita, quorum singulis caput puerile cum cæteris frugibus exsurgit, ad *Temporum Felicitatem* designandam. Cusus videtur hic Nummus ab Antonino, quo tempore filiam Faustinam M. Aurelio matrimonio daret; quas nuptias ipsemet valdè fieri desideraverat; non mirum itaque si Temporum Felicitatem ex istis pendere voluerit; atque unà hoc Symbolo fœcunditatem ac rerum omnium abundantiam novis nuptis ominari. Pertinent huc ista I. Capitolini in Vita Antonini Pii, ubi de eo scribit: *Nuptias filiæ*

*suæ*

*ſuæ Fauſtinæ, cum Marco Antonino eam jungeret, uſque ad donativum militum celeberrimas fecit.* Ex quibus utique manifeſtum, quam gratas acceptaſque Antoninus iſtas habuerit.

Num. *Druſi*, filii Tiberii, ſine Inſcriptione quidem, ſed in quo gemina cernuntur Copiæ cornua, uti in præcedenti Antonini Nummo, cum infantum capitibus ſuperimpoſitis, inter quæ medius adſtat Caduceus. Nummus hic autem à Druſo cuſus in memoriam duorum gemellorum ipſi ex uxore Livillâ natorum; quorum alter, *Gemellus*, ut nomine ſic re, infans diem ſuum obiit; alter vero *Tiberius* nomine haud diu quoque ſuperſtes. Tiberii hujus ex Druſo meminit Suetonius in Vita Tiberii, cap. LIV. *Cum ex Germanico tres nepotes, Neronem, Druſum & Cajum, ex Druſo unum* TIBERIVM *haberet.* &c. Per Caduceum & Copiæ Cornua gemina Pax & omnium rerum Abundantia ab illis Principibus ſperata denotatur. Hac enim ſpe, boni inſtar ominis, Principes modo natos & orientes proſequi ſolebant. XI.

Num. *Alexandri Severi, & Iuliæ Mammææ*, matris ejus, cum Inſcr. FELICITAS. TEMPORVM. Imperator *Alexander Severus*, togatus, ſellæ curuli inſidens, dextra globum Imperii præferens; à cujus tergo ſtat *Victoria* alata, capiti Imperatoris coronam imponens; à dextris adſtat Matrona, haud dubie Mater ejus, *Iulia Mammæa*, quæ prudens fœmina, cujuſque conſilio Imperium adminiſtrare ſolitus; ante eum verò ſtat *Felicitas* haſtam dextrâ tenens. Res fortaſſe ſub Alexandro Severo contra Perſas & Parthos, alioſque Imperii Rom. hoſtes feliciter geſtas deſignare hoc ſchema vult, cum ipſe Imperator à Victoria coronetur. Temporum quippe Felicitas tum cenſebatur, omnibus undique acclamantibus, *Salva res eſt, quia ſalvus Alexander.* Poteſt etiam ἁπλῶς felix Imperii Rom. ſtatus ſub Alexandro deſignari, qui poſt interfectum Elagabalum, Peſtem illam Reipubli- XII.

publicæ, ad remedium generis humani, uti loquitur Lampridius imperium accepit.

# TABVLA LVIII.

I. Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. FELICIA. TEMPORA. *Quatuor Pueruli*, quibus quatuor anni tempeſtates deſignantur. Primus enim brachiis manibusque geſticulans *Veris* tempus refert; alter falcem meſſoriam manibus tenens, *Æſtatem* denotat; tertius, *Autumnum* repræſentans, ſiniſtra caniſtrum frugibus plenum, & dextra Leporem fert; quia, uti ea anni tempeſtate fructus colliguntur, ita non minus Venationibus opportuna eſt. Quartus verò *Hiemem* deſignans, præterquam quod veſtibus, & calceis contra frigus munitus ſit, dextra pedicam, ſiniſtra avem captam tenet; quia Hiemis tempore aucupiis vacare commodum. Hinc Virgilius lib. I. Georg. de Hieme:

*Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,*
*Auritoſque ſequi lepores, tum figere damas.* &c.
*Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.*

Et Horatius Epod. II.

*At cum tonantis annus hibernus Iovis*
*Imbres, niveſque comparat.*
*Aut amite levi rara tendit retia*
*Turdis edacibus dolos,*
*Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem.*
*Iucunda captat præmia.*

Sive itaque hoc nummo per FELICIA TEMPORA indicentur Fertilitates quorundam annorum, ſive felix Imperii totius ſta-

TAB. LVIII.

1

2

3

4

5

6

7

8



9

10

11

12

ſtatus ſub Conſtantino, cum ob Victorias ab Hoſtibus reportatas, tum præſertim ob Chriſtianam religionem publice receptam. cum nummo ſaltem convenit P. Optatianus Porphyrius, in cujus Panegyrico Conſtantino Auguſto dicto, legere eſt:

*Orbi tu renovas felicis tempora ſæcli.*

Num. *Conſtantis*, filii Conſtantini M. cum Inſcript. FEL. TEMP. REPARATIO. *Conſtans* Imp. Clypeo & haſta armatus, hoſtem cum equo humi proſtratum dextro pede calcat, & haſta perfodit. Symbolum ſuperſtitionis gentilium abolitæ per cultum religionis Chriſtianæ introductum; quo modo FEL*icium* TEM*Porum* REPARATIO facta. Sic in alio II.

Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcript. Ipſe Imperator ſceptrum eburneum ſiniſtra tenens, per portam, quæ laureis, frondibuſque ornata, quo de ritu ad Tab. LV. dictum, quaſi egreſſus Barbarum quendam captivum dextra trahit. Per hoſtes debellatos *Temporum Reparationem* indicans. Nota heic Captivum per portam incedentem, ſtatura longe minori Imperatore effictum; Imperatorem verò etiam majorem & altiorem ipſa porta; quæ adulationis ſummæ ſpecies fuit, Imperatores ſtatura longe majore præ cæteris hominibus effingere. Sic in quodam III.

Num. *Conſtantii*, fratris Conſtantis, cum Inſcrip. FEL. TEMP. REPARATIO cernitur ipſe *Conſtantius* Labarum tenens & Clypeum, longe eminentiori ſtatura, quam duo captivi præeuntes; quaſi Gigas ipſe, cæteri pygmæi eſſent; cum tamen Conſtantius *cruribus breviſſimis & incurvis* fuerit, uti ab Ammiano Marcellino lib. XXI. circa finem deſcribitur. qui & lib. XVI. ad elatum ejus ſupercilium deſignandum, de eo notat, quod cum Romæ eſſet, *corpus perhumile curvabat, portas ingrediens celſas*. Hæc itaque ſervilis & putidæ adulationis aulicæ IV.

ſpecies etiam in Nummis locum invenit, ut Imperatores, Deorum inſtar, cæteris hominibus eminentiores effingerent. Vide ſupra Tab. XXXV. Num. XI. Cæterum *Labarum* conſuetâ notâ literarum Græcarum X & P implexarum inſignitum, ad Chriſti nomen denotandum, unde Prudentius :

*Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,*
*Signabat Labarum.* ———

indicare etiam poteſt temporum Reparationem per religionem Chriſtianam.

V. Num. *Conſtantis*, cum Inſcr. FEL. TEMP. REPARATIO. *Phœnix* radiato capiti globo ſtellato inſiſtens, cum ſole juxta ſplendente, *Reparationem Temporum* deſignans. Orus Apollo lib. II. Hieroglyphic. cap. LIV. Ἀποκαλάσασιν δὲ πολυχρόνιον βεβλόμενοι σημαίνειν, φοίνικα τὸ ὄρνεον ζωγραφοῦσιν. *Inſtaurationem autem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſæcula, volentes indicare, Phœnicem avem pingunt.*

Hinc Martialis Lib. V. Epigr. VII.

*Qualiter Aſſyrios renovant incendia nidos,*
*Una decem quoties ſæcula vixit avis.*
*Taliter exuta eſt veterem nova Roma ſenectam*, &c.

Et Ariſtides in Palinodia de Smyrna inſtaurata: Ἡ πόλις δ' ὥσπερ ἐν δράμασι εἰς δὶς πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἀναφυεῖσα μεταβαλοῦσα τὴν ἡλικίαν, ἡ αὐτὴ παλαιὰ εἰς νεὰ γιγνομένη, ὥσπερ τὸν φοίνικα ἀναβιώσασαν λόγος αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ. *Urbs verò tanquam in fabula, de uno renaſcitur ætate commutata, eademque & vetus exiſtit & nova: quemadmodum phœnicem ex ſeipſo ajunt revivíſcere.* Sed & Phœnix radiatus cum Sole, & Globo ſtellato Chriſtianæ religio-

ligionis introductæ, æternumque duraturæ Symbolum esse potest.

VI. Num. *Constantini Magni*, cum Inscr. FEL. TEMP. REPARATIO. Imp. *Constantinus* navis proræ insistens cum *Labaro* Christi nomine insignito, in siniſtra, & globo, cui *Phœnix* radiatus insidet, in dextra manu. Ad clavum adsidet *Victoria* navem dirigens. Denotans tam Victoriis contra hostes, quàm Religione Christiana Temporum Felicitatem, & floridum Imperii statum.

VII. Num. *Magnentii*, cum Inscr. FELICITAS. REIPVBLICAE. *Magnentius* signa quasi adversus Constantium movens, dextra globum, cui *Victoriola* insistit, & siniſtra *Labarum* cui Christi nomen intextum, tenet. Ac si *Reipublicæ Felicitas* ab eo, qui pene ei exitio fuerit, quoque penderet.

VIII. *

IX. Num. *Theodosii* &c. cum Inscr. REPARATIO. REIP. *Imperator* paludatus, cum globo, cui Victoriola coronam capiti ejus imponens, insistit, in manu siniſtra; dextra porrecta *mulierem* humi procumbentem, *Rempublicam* collapsam designantem, sublevans. Prosper Aquitanicus in Chronico: *Theodosius in Orientis partibus lassam Rempublicam reparavit.* Paulus Orosius lib. VII. cap. XXXIV. De Gratiano: *Cum afflictum ac pene collapsum Reipublicæ statum videret, eadem provisione, qua quondam Nerva Hispanum virum Trajanum, per quem Respublica reparata est, legit & ipse Theodosium æque Hispanum virum, & restituendæ Reipubl. necessitate apud Syrmium purpuram induit, Orientisque & Thraciæ simul præfecit imperio.* &c. Sic Sigebertus in Chronico in principio: *Theodosius à Gratiano magister militum ordinatus, incredibili celeritate, & mira felicitate, devictis multis barbaris gentibus, lassam Rempublicam reparavit.* Hæc satis Nummi Inscriptionem declarant.

X. Num. *Valentis* cum Inſcr. RESTITVTOR. REI. PVBLICÆ. *Valens* Imperator dextra Labarum cum Chriſti ſigno, ſiniſtra vero Victoriolam Globo Imperii inſiſtentem tenens. Neſcio autem, quomodo *Valens* Reipublicæ Reſtitutor videri voluerit, ſub cujus ductu ea maximis cladibus affecta fuerit. Vide P. Oroſium lib. VII. cap. XXXIII.

XI. Num. *Conſtantis*, cum Inſcr. CLARITAS. REI. PVB. *Iuvenis* nudus, radiato capite, cum globo in manu ſiniſtra. *Solem Orientem* deſignans, ob Victoriam Conſtantis contra Parthos, quæ Victoria, Solis inſtar, *Reipublicæ Claritatem* conciliavit. Sic Libanius in Baſilico: Ἡ γὰρ τῶν ἠπηλθῶν Λαμπρότης εἰς τὸν τῶν κρατησάντων Εὔκλειαν συμβάλλει. *Nam devictorum hoſtium Claritas, ad eorum, qui vicerunt, nominis ſplendorem confert.*

XII. Num. *Conſtantii*, cum Inſcr. GLORIA REIPVBLICAE. VOT. XXX. MVLT. XXXX. Sedent hinc *Roma antiqua*, gabata, ſiniſtra haſtam ferens, inde *Nova*, turrito capite, ſiniſtra ſceptrum eburneum tenens, & pedem navi imponens; ambæ dextris *Clypeum* Votivum ſuſtinentes, cum Inſcr. VOT*is* XXX. MVLT*iplicatis* XXXX. Quod ſignificat Vota tricennalia, ſuſcepta fuiſſe à populo, ut Imperator in Imperio triginta annos floreret, imo eadem multiplicata fuiſſe uſque ad quadraginta annos. Quam explicationem juvant iſta Nazarii in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto: *Verum quid agimus vicenis, aut jam tricenis annis circumſcribendo quæ æterna ſentimus? Ampliora ſunt merita Principum, quam optata Votorum* &c.

## TABVLA LIX.

I. Num. *Ioviani*, cum Inſcript. SECVRITAS REI PVBLICAE. Sedent heic quoque *Roma Vetus* & *Nova* Clypeum Vo-

TABLIX

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Votivum tenentes cum titulo : VOT. V. MVLT. X. Quo designatur, populum quinquennalia Vota suscepisse, eaque ad decennium multiplicasse, ut per tot annos feliciter Iovianus Imperio præesset. Verum inane fuisse Votum eventus docuit, cum octavo Imperii mense perierit. Literæ SIRM. *Sirmii* hunc Nummum cusum indicant.

Num. *Helenæ*, Constantini M. matris, cum Inscr. SECV- II.
RITAS. REIPVBLICAE. *Matrona* velata, sinistra vestis laciniam, dextra verò ramum lauri inversum tenens, *Securitatem* repræsentans; quia Laurus adversus fulmina & venena, aliaque pericula plurimum valere, eaque avertere creditur. Hinc Proverbium : Δαφνίνῳ φορῶ βακτηρίαν, *Laureum gesto baculum;* de iis qui securi sunt, nec pericula, aut insidias metuunt. Vide Erasmum in Chiliadib.

Num. Getæ, cum Inscr. SECVRIT. IMPERII. *Secu-* III.
*ritas*, ut Matrona culta, quietè in sella, cui brachio sinistro innixa, sedens, & dextrâ Orbem Imperii præferens.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. PONT. MAX. TR. POT. IV.
COS. II. & subtus, SECVR*itas* AVG*usti*. *Securitas* instar mulieris seminudæ, cubito sinistro cathedræ innixa, manuque capiti applicata, quietè sedens, dextra vero sceptrum tenens.

Num. *Othonis*, cum Inscript. SECVRITAS. POP. V.
ROM. *Securitas* habitu matronæ cultæ, sinistram capiti supponens, cubitoque sellæ innixa, quiete sedet, dextra hastam tenens.

Num. *Titi*, cum Inscr. SECVRITAS P. R. *Securitas* VI.
dextra hastam tenens, & brachio sinistro super cathedram quiescens, sedet ante *Aram* accensam; quæ heic religionis cultum designat, qua Securitas P. R. procuratur.

VII. Num. *Valeriani*, cum Inſcr. SECVRITAS. PERPET. SC. *Securitas* cruribus decuſſatis, & ſiniſtro cubito Columnæ innixa, quietè ſtat, dextrâ haſtam tenens.

VIII. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. SECVRITAS. AVG. *Securitas* ſeminuda, ſellæ inſidens, dextræ capiti ſuppoſitæ cubito *Cornu copiæ* innixa, ut ii, qui nullis curis anguntur, ſiniſtra quoque alterum *Cornu copiæ* tenens. Securitatem ex ſumma omnium rerum ſub Hadriano abundantia deſignare videtur.

IX. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. SECVRITAS. POP. ROM. S. C. Quæ heic cruribus decuſſatis, ſiniſtro brachio, quo *Cornucopiæ* geſtat, Columnæ incumbens, tranquille ſtat, dextra *Ramum Oleagineum*, ut Pacis ſignum, præferens; Abundantiam Pace partam, & inde *Securitatem Pop. Rom.* ortam indicans.

X. Num. *Othonis*, cum Inſcr. SECVRITAS. P. R. Matrona culta, ſtans, ſiniſtra, qua *Cornu copiæ* tenet, *Clypeo* magno innixa, & dextrâ *Lauream* coronam præferens; ad deſignandum Otthonis Imperium, ac quaſi ſub ejus clypeo & protectione, cum omnium rerum abundantia, ſecura ſit Reſpublica. Sic in alio

XI. Num. *Ejusdem*, cum ſimili Inſcr. cernitur *Securitas Pop. Rom.* Columnæ innixa, cum haſta & Laurea ſtans. Victoriis Othonis Securitatem Populo Romano acquiſitam denotans.

XII. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. SECVRITAS PVBLICA. *Securitas* ſeminuda, ſiniſtra *Palmam* in terram demiſſam tenens, Cui dexterâ *Lauream* imponere conatur. Indicans ex Victoriis M. Aurelii Reipub. Securitatem eſſe partam.

TA-

TAB. IX.

1

2

3

4

5




6



7

8

9

10

11

12





# TABVLA LX.

Num. *Ant. Caracallæ*, cum Inſcr. SECVRITAS. PERPETVA. S. C. *Securitas*, Palladis inſtar, armata, cum galea, haſta, & clypeo. Deſignans Securitatem Reipublicæ tam adverſus ſeditiones internas, quam adverſus externos hoſtium inſultus, nuſquam tutius, quam in Armis poſitam eſſe. Sic quoque in quodam I.

Num. *Othonis*, cum Inſcr. SECVRITAS. P. R. SC. Ipſe Imperator *Otho*, togatus quidem, cum Tribunis militum, Centurionibus, Signiferiſque Legionum, conjunctis ſuper *Aram* accenſam dextris, Fidelitatis pactum init; ut de eorum fide erga ſe & Rempublicam ſecurus ſit; atque ita demonſtret ipſemet togatus, Imperatoriam Majeſtatem non minus armis decoratam, quam legibus armatam eſſe debere, uti loquitur alicubi Juſtinianus Imperator. II.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. TRANQVILLITAS. AVG. COS. III. P. P. *Matrona* culta, ſtans, ſiniſtro cubito *Columnæ* innixa, & dextra haſtam puram, ſive ſceptrum tenens, *Tranquillitatem Auguſti* deſignans; eodem fere ſchemate, quo in Num. VII. Tabulæ proxime præcedentis, Valerianus *Securitatem* expreſſit. III.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. TRANQVILLITAS. AVG. *Matrona* ſuperiore corporis parte ſeminuda ſtans, ſiniſtra *ſpicas* duas, dextra verò navis *clavum* tenens; ad deſignandum, quod pacatis temporibus, frumenti abundantiam mari deportare liceat, ut Ant. Auguſtinus vult; vel potiùs, quod pacatis temporibus tam terræ & agrorum culturæ incumbere, quam IV.

mari

mari liberas navigationes in omnes oras ſine metu hoſtilium incurſionum, aut inſultuum, inſtituere liceat.

V. Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. BEATA. TRANQVILLITAS. Cernitur heic *Ara* quadrata, cui *Sphæra* impoſita, quam tres *Soles* illuſtrant. Quibus tres Conſtantini Magni filii, ut Imperii hæredes, deſignantur; qui iſtud Religione ſuffultum, tanquam totidem ſolis radiis, hoc eſt, Virtutibus ſuis illuſtraturi ſint, ac *Beatam Tranquillitatem* procuraturi.

VI. *.

VII. Num. *Conſtantii Chlori*, cum Inſcr. DIVO. CONSTANTIO. PIO. PRINCIP. Caput *Conſtantii Chlori* mortui, & jam inter Divos relati, cum velo Apotheoſeos, cui Laurea corona circumdata. In averſa parte hujus

VIII. Num. cum Inſcr. REQUIES. OPTIMO. B. MERIT. cernitur *Matrona* ſellæ inſidens, ſiniſtra *baculum*, cum *ſpica*, vel potius *papavere* tenens. Dextram vero ſublevatam habens, ac geſtum eorum exprimens, qui more Veterum, mortuis *terram levem*, & *quietem* precabantur.

Tibullus lib. II. Eleg. IV.

*Et bene diſcedens dicet, placideque quieſcas,*
*Terraque ſecura ſit ſuper oſſa levis.*

Et lib. eod. Eleg. ult.

*Sic bene ſub tenera parva quieſcat humo.*

Tacitus in Vita Agricolæ: *Si quis piorum manibus locus, ſi, ut ſapientibus placet, non corpore exſtinguuntur magnæ animæ, placide quieſcas.* Tertullianus de Anima, cap. IV. *Cui gratiam debes, oſſi-*

*ossibus & cineri ejus refrigerium comprecaris, & ut bene requiescat apud inferos cupis.*

Num. *Diocletiani*, & *Maximiani*, cum Inscr. PROVIDEN- IX.
TIA. DEORVM. QVIES. AVG. Duæ *Matronæ*, quarum altera dextrâ *globum* sive *Orbem* gestare videtur, & sinistrâ *papaver*; altera verò dexterâ duas *spicas*, & sinistra hastam fert. Globus, sive Orbis, Mundum *Deorum Providentiâ* gubernari indicat. Sic in

Num. *Helv. Pertinacis*, cum Inscr. PROVID. DEOR. X.
COS. II. cernitur *Providentia* dextram versus cœlum attollens, quasi *Sphæram*, aut *Globum* inde descendentem excipere vellet.

Num. *Antonini Pii* cum Inscript. PROVIDENTIA. XI.
DEORVM. In hoc Nummo *Fulmen*, cum *Alis* expressum; ut designetur *Deorum Providentiâ* Antonino summum in terris Imperium concessum. Sic Capitolinus in ejus Vita, inter Imperii omina Antonino facta, etiam refert, quod *Fulgur cœlo sereno sine noxâ in ejus domum venit.* Ad quod forte heic alluditur, quasi Alis deorum, quibus heic Providentia eorum indicatur, protectus, periculum evaserit.

Num. *Aureliani*, cum Inscr. PROVIDENTIA. DEO XII.
RVM. Imago *Solis*, quem præ cæteris Diis summâ veneratione Aurelianus colere videri volebat, ut cujus beneficio summi Imperii fastigium acceptum referret, cum *Orbe* in manu sinistra, & dextram sublevatam, quasi digito cœlum monstraret, tenens; adstat & *matrona* utraque manu signa militaria sustinens, quo modo Fides Exercituum repræsentari solet. Designatur Aurelianum ab Exercitu Imperatorem quidem salutatum; attamen, ut istud fieret, *Providentiâ deorum* procuratum.

# TABVLA LXI.

I. Num. *Titi*, cum Inſcr. PROVIDENTIA. AVGVST. S C. *Veſpaſianus* Imperator *Titum* filium in conſortium Imperii adſumens, *Orbem* Terrarum ei tradit. Suetonius de Tito, poſtquam ex Oriente Romam apud Patrem Veſpaſianum veniſſet, ſcribit: *Neque ex eo deſtitit participem, atque etiam tutorem Imperii agere. Triumphavit cum patre, cenſuramque geſſit una. Eidem Collega & in Tribunitia poteſtate, & in ſeptem Conſulatibus fuit.* Nummus PROVIDENTIÆ AVGVSTI, hoc eſt, Veſpaſiani adſcribit, quod Imperio talem ſucceſſorem dederit. Sic in

II. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. PROVIDENTIA. SENATVS. *Senatus* ſub forma viri togati, Orbem Terrarum, hoc eſt Imperium *Nervæ* tradit. Quod nempe Nerva *Providentia Senatus* ad Imperium accitus, Victor Vulgarius de Nerva: *Cum in Curiam à Senatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus Arrius Antoninus, Vir acer, eique amiciſſimus, conditionem Imperantium prudenter exprimens, amplexus eum, gratulari ſe ait Senatui & Populo.* &c.

III. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. PROVIDENT. S. C. Nummus in *Auguſti* memoriam, poſt ejus obitum, cuſus, in quo *Ara Providentiæ* ſcalpta. Ac ſi Ara erecta Providentiæ, qua Auguſtus Imperium Romanum ſtabiliverit. Hujus mentio in Inſcriptione antiqua:

. . . . MINERVÆ. VACCAM . .
. . . DIVO. AVGVSTO. BOVEM .
. . . IN. TEMPLO. CONCORDIÆ.
. . . PALATIO. DIVO. AVGVSTO. .
. . . AD ARAM PROVIDEN . . .
. . . . CAM. IMMOLAV . . .
. . . INT. CN DOM . . . .
. . . . . STATIT . . . .

Num.

TAB. LXI.

1

2

3




4

5

6

7




8

9



10

11

12

Num. *Commodi*, cum Inſcr. PROVIDENTIAE. AVG. IV. S C. *Commodus* Imp. ſub forma Herculis, quem repræſentare volebat, ab *Africa*, quæ dignoſcitur ex *proboſcide* Elephantis in capite, & *Dracone* ad pedes, quibus Africa abundat, manipulum ſpicarum & frugum accipit. Deſignatur *Providentia* ejus in procuranda frumenti, aliarumque ad victum neceſſariarum rerum abundantiâ & copiâ etiam ex ipſa Africa advehendarum. Æl. Lampridius in Commodo : *Claſſem Africanam inſtituit : quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent.*

Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcr. PROVIDENTIA V. AVG. S C. Matrona ſiniſtra Cornu-copiæ, & dextra ſpicas tenens; ante pedes *Modius* cum ſpicis adſtat. Sic in alio

Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcriptione, cernitur *Modius* & VI. Matrona cum ſpicis, in dextra, ſiniſtra vero *Anchoram* tenens. Utroque Nummo deſignante Alexandri Severi *Providentiam* in rei frumentariæ procuratione; anchora etiam per mare frumentum advectum denotat.

Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. PROVIDENTIAE. VII. AVG. *Horreum* forſan, vel, *Granarium* frumento condendo, vel Porta, aut aliud publicum ædificium ex quadrato lapide exſtructum, cui Stella, vel potius Sol ſupereminet. Si Horreum eſt, ut nonulli volunt, tum *Providentiam* Conſtantini quoque in frumento procurando, & horreis ad publicum uſum condendo deſignat. Quid vero, ſi forſan *Manganum* ſit, hoc eſt publicum ædificium, in quo ſervabantur inſtrumenta bellica, machinæ, & id genus alia ad oppugnationem neceſſaria, cujus generis varia Conſtantinus Conſtantinopoli exſtruxit, ut teſtatur Georg. Codinus de Originib. Conſtantinopolitanis : Τὰ δὲ Μάγναυρα ὁ μέγας Κωνσταντῖνος ἔκτισε λόγῳ τῶν βασιλικῶν ἐργοδοσίων· ἐκλήθη

Μάγγανα, διὰ τὸ τὰ μαγγανα πάσης πόλεως, καὶ τὰς μηχανικὰς ὕλας ἐκεῖσε ἀποκεῖσθαι, καὶ τὰ πρὸς τὸν τειχομαχίαν σκεύη. *Mangana quoque exſtruxit Conſtantinus Magnus, ceu Officinas Imperiales. Dicta autem ſunt Mangana, quod illic repoſita eſſent inſtrumenta bellica & materiæ mechanicæ, & apparatus neceſſarius ad oppugnanda mœnia.*

VIII. Num. *Gallieni*, cum Inſcr. PROVIDENTIA. AVG. *Mercurius* cum galero alato, ſiniſtra *caduceum*, dextra *marſupium* tenens. De Mercurio ſupra ad Tab. XLIII. dictum. Ubi etiam de Marſupio Mercurii locum G. Codini de Originibus Conſtantinopolit. uti vulgo legitur, adduximus; Heic autem hac occaſione eundem locum repetere viſum, prout Vir Doctiſſimus P. Lambecius in Animadverſionibus ſuis ad Codinum ex Typographia Regia Luparea editum, legendum cenſet: Τὸν κέρδους αἴτιον λέγουσι, καὶ τῶν ἐμπορίων τὸν Ἑρμῆν. ὅθεν τὸ ἄγαλμα αὐτῷ βαστάειν μάρσιππον. *Mercurium lucri & mercaturarum auctorem perhibent, eamque ob cauſam Marſupium illi tribuunt.* Ita Cæſar lib. VI. de B. G. *Deum*, inquit, *Mercurium colunt: hunc ad quæſtus pecuniæ, mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur.* Vetus Commentator Perſii ad Satyr. V. verſ. 112. de Mercurio notat: *Ipſum Deum lucri dicunt, unde & cum ſacello* (hoc eſt, ſacculo,) *pingitur.* Cæterum quid in Gallieni Nummis ſibi velit Mercurius cum Marſupio, & Inſcriptione PROVIDENTIA. AVG *uſti*, vix divinare licet. Sive enim quis heic commerciorum propagationem, aut pecuniæ cogendæ & ærarii publici augendi ſtudium deſignari putaverit, neutrum in Gallieno locum habere poterit. Quippe qui prodigus omnia potius dilapidaret, ærariumque exhauriret, ac nullius ferè rei curam haberet, ſed gulæ deditus, & voluptatibus immerſus, cætera ſuſque deque faceret. Hinc Trebellius Pollio in Ejus Vita: *Nam cum*

*ei*

*ei nunciatum esset Ægyptum desciviſſe, dixiſſe fertur. Quid? ſine lino Ægyptio eſſe non poßimus? Cum autem vaſtatam Aſiam, & elementorum concurſionibus, & Scytharum incurſionibus comperiſſet. Quid, inquit, ſine aphronitis eſſe non poßumus? Perdita Gallia, arriſiſſe ac dixiſſe perhibetur, Non ſine trabeatis ſagis tuta Reſpublica eſt? Sic denique de omnibus partibus mundi, cum eas amitteret, quaſi detrimentis vilium miniſteriorum videretur affici, jocabatur.* Cum itaque Gallienus ita eſſet animatus, ego ſane videre nequeo, quomodo Symbolum hocce in eum quadret; alii, quibus vacat & lubet, inquirant.

IX. *.

X. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. M. DVRMIVS. III. VIR. Cernitur heic *Cancer* cum Papilione volante, quem quaſi forficibus ſuis apprehendere videtur. Hinc quidam Symbolum hoc referunt ad dictum Auguſti, *Feſtina lentè*. Alb. Rubenio magis placet eſſe Symbolum Civitatis alicujus, quò Auguſtus Coloniam deduxit, aut in qua Nummus hic cuſus eſt.

XI. Num. *Getæ*, cum Inſcr. PROVIDENTIA. DEORVM. SC. *Matrona* culta, ſiniſtra haſtam tenens, dextra *virgam*, qua *Globum* humi poſitum monſtrat. Deſignans *Deorum Providentia* Mundum gubernari, non autem vi, aut neceſſitate ulla Orbem compelli; nec enim virga Globum ſubjectum attingit, ſed è longinquo tantum indicat.

XII. Num. *L. Aur. Veri*, cum Inſcrip. PROVIDENTIA. DEORVM. *Providentia* cum Cornu copiæ in manu ſiniſtra, & virga in dextra, qua Mundum, per Sphæram ſubjectam denotatum, moderatur.

# TABVLA LXII.

I. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. PROV. DEOR. TR. P. XV. COS. IIII. *Providentia Deorum* Cornu copiæ ſiniſtrâ, & dextrâ *Globum* tenens. Sic in alio

II. Num. *Alexandri Mamææ fil.* cum Inſcript. PROVIDENTIA. AVG. *Matrona* cernitur *Globum* dextra, ſiniſtra verò haſtam aliquomodo incurvatam ferens.

III. Num. *Aureoli*, cum Inſcr. PROVIDENTIA. AVG. *Providentia* ſiniſtro brachio columnæ innixa, & Cornu copiæ tenens, dextra Orbem ſubjectum virgâ regens; Columna heic Providentiam firmam, ſtabilemque denotat. Sic in alio

IV. Num. *Ejuſdem Aureoli*, cum Inſcr. PRVDENTIA. AVG. Eodem habitu & modo, cum Cornucopiæ columnæ innixa, & dextra virgam tenens, quâ Orbem regit, *Prudentia Auguſti* exhibetur; qua deſignatur Prudentis eſſe, in conſiliis & deliberationibus non vagari, aut vacillari.

V. Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. PRINCIPIS. PROVIDENTISSIMI. *Columna* erecta, cui inſidet *Noctua*, Minervæ avis; adjacent galea, clypeus, & haſta, arma Minervæ; ac Columnæ inſcripta eſt SAPIENTIA *Principis* ſcilicet *Providentiſſimi*, quæ tam Belli, quam Pacis artibus inclaruit. Literæ SARL. Signatum *Arelate* Nummum hunc indicant, uti notatum A. Rubenio. In ea quippe Urbe Officina Monetaria Imperii Occidentalis fuit. Unde in Notitia Imperii: *Procurator Monetæ Arelatenſis.*

VI. Num. *Tiberii*, cum Inſcr. IVSTITIA. Caput elegans Virginis

TAB. LXII.

1

2

3

4

5

6

7

8



9

10

11

12

ginis comptum, & vitta, ſive diademate ornatum, *Iuſtitiam* repræſentat, ſed ſine velamine, uti eam Veteres effingere ſolebant. Sic Damaſcius apud Photium in Vita Iſidori Philoſophi, deſcribit Juſtitiam habentem caput vitta, ſive diademate ligatum, ſed nudum à tegmine, ἀναδεδεμένην μὲν τὴν κεφαλὴν ἀναδέσμῃ, γυμνὴν δὲ περιβολαίου.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. P. M. TR. P. COS. II. & ſubtus JVSTITIA, quæ heic in ſellâ ſedet, ſiniſtrâ haſtam, & dextra pateram tenens. VIII.

VIII. *.

Num. *Galbæ*, cum Inſcr. AEQVITAS. SC. *Virgo* ſiniſtra *haſtam* tenens, & dextra *Bilancem*, ad *Æquitatem* deſignandam; quia hæc cuncta rependit, & ponderat. Sic in IX.

Num. *Vitellii*, cum Inſcr. AEQVITAS. AVGG. S.C. Eadem ſiniſtra *ſtateram*, & dextra *ulnam* ſive *perticam menſoriam* tenet. Atque hoc modo etiam in Nummis Veſpaſiani cernitur. In X.

Num. *Severi*, cum Inſcr. AEQVITAS. AVG. Eadem cernitur, cum *Lance* & *Cornucopiæ*. In alio XI.

Num. *Ejuſdem Severi*, cum Inſcr. AEQVITATI. PVBLICAE. Tres ſimiles figuræ cernuntur, ſingulæ *Bilancem*, & *Cornu-copiæ* tenentes; quomodo aliàs *Tres Monetæ*, nempe Aurea, Argentea & Ærea in Nummis repræſentari ſoleant. Heic autem forſan deſignatur *Æquitas* Severi & filiorum, unde & in Nummo præcedenti ÆQVITAS AVG*uſtorum*. XII.

TA-

# TABVLA LXIII.

I. Num. *Tiberii*, cum Inſcr. MODERATIONI. SC. Clypeus *Moderationi* Tiberii à Senatu dicatus, cujus exterior limbus coronâ laureâ cinctus; in Umbone verò Effigies Moderationis, ſub virginis ſpecioſæ formâ, expreſſa cernitur. Eo enim iſtorum temporum Adulatio etiam Senatus ipſiusmet animum occupaverat, ut impuriſſimi Tyranni, & omni ſcelerum ac vitiorum genere inquinati mores ſervilem in modum etiam ſummarum ſub virtutum nomine celebrarentur. De Vellejo non mirum, eum lib. II. ſcribere: *Quis non inter reliqua, quibus ſingularis Moderatio Tib. Cæſaris elucet atque eminet, hoc quoque miretur, quod cum ſine ulla dubitatione ſeptem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit?* Et paullo poſt: *Sed in hoc viro neſcias, utrum magis mireris, quod laborum, periculorumque ſemper exceſſit modum, an quod honorum temperavit.* Perpetuus quippe Domus Auguſtæ, & Tiberii præſertim adulator. Dio Caſſius tamen lib. LVII. varia Moderationis exempla à Tiberio uſurpatæ referre videtur, ſcribitque de eo: Χρόνον γάρ τινα σωφρονέστατα διῆγε, *Aliquamdiu enim moderatiſſime vixit* &c. At mox ſubjicit: Τοῦτ' ἔτι πάντα μέχρι γε ἦν ὁ Γερμανικὸς ἔζη ἐτοίμῳ μᾶλλον τοῦτο συχνὰ αὐτῶν μεθέλλειν &c. *Sed hæc ita ab eo acta ſunt, quamdiu in vivis manſit Germanicus: eo autem defuncto plurimum immutatus eſt; ſive quod eum animum ab initio gerens, qualem poſtea oſtendit, ita ſe compoſuerit, dum Germanicus vita frueretur, quem principatui imminentem ante oculos habebat, ſive quod adverſario ſublato, ab egregia natura in vitia curſum deflexerit.*

II. Num. *Ejusdem*, cum Inſcript. CLEMENTIÆ: S.C. *Clypeus* viciſſim, in medio cujus CLEMENTIAE Imago ſculpta, à Senatu ſerviliter jam adulari aſſueto, Tiberio ſuſpenſus. Quo referenda illa Suetonii in Tiberio cap. LIII. *Imputavit etiam, quod*

*non*

TAB. LXIII.

1

2




3

4

5

6

7

8



9

10

11

12



*non laqueo ſtrangulatum nurum Agrippinam in Gemonias abjecerit, quoque tali* CLEMENTIA *interponi decretum paſſus eſt, quo ſibi gratiæ agerentur, & Capitolino Iovi donum ex auro ſacraretur.* En ſpecimen Clementiæ Tiberianæ.

Num. *Iul. Cæſaris*, cum Inſcr. CLEMENTIA. L. BV-III. CA. Caput comptum Virginis cum *Lauri* aut *Oleæ* ramo ante faciem, *Clementiam* repræſentantis. Jul. Cæſaris poſt Pompeium in Theſſalia devictum, Clementiam in Pompeianos refert Dio Caſſius lib. XLI. haud procul à fine. In averſa hujus Nummi parte expreſſum eſt *Clementiæ* templum ipſi à Senatu dicatum, cujus meminit Dio lib. XLIV. ubi inter cæteros honores Julio Cæſari decretos, quoque recenſet: Καὶ τέλος Δία τε αὐτὸν ἀνῆκεν Ἰούλιον προσηγόρευσαν, καὶ ναὸν αὐτῷ τῇ Ἐπιεικείᾳ αὐτοῦ τεμενίσθαι ἔγνωσαν ἱερέα σφίσι τὸν Ἀντώνιον, ὥσπερ τινὰ διάλιον, προχειρισάμενοι. *Denique Divi Iulii cognomentum ipſi palam impoſuerunt, templumque Clementiæ Iuliæ ipſi dedicari juſſerunt, ſacerdotioque ejus Antonium, quaſi flaminem dialem aliquem, præfecerunt.*

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. CLEMENTIAE. AV-IV. GVSTI. *Clementia* in ſella ſedens, dextrâ ramum Lauri, aut Oleæ præferens. Suetonius de Veſpaſiano cap. XII. *Cæteris in rebus ſtatim ab initio Principatus uſque ad exitum, civilis, & Clemens.* De Veſpaſiani Clementia ita inter alia Libanius Oratione XIII ad Theodoſium Imp. ὅτας καὶ τοῦ ἥμερον εἶναι δόξαντα τῇ γαλήνῃ παρελήλυθας· οἱ δὴ τὸν πατέρα τὸν Τίτου μηδέν σου ταύτῃ λείπεσθαι λέγοντες, τὸν ἐν μὲν ταῖς εἰκόσιν ὅμοια πεπονθότα· κλείναντα δὲ οὐδένα τῇ παρ' ἑαυτοῦ ψήφῳ. *Ita eum, qui mitis & clemens reputatus eſt, ſerenitate ſuperaſti. Qui porro Titi Patrem nihil tibi hac virtute concedere dictitant, quod in imaginibus paria ſit perpeſſus, ac neminem ſententia ſua peremerit.*

V. Num. *Trajani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. SC. *Clementia* ſeminuda ſellæ inſidens, ſiniſtra haſtam tenens, & dextra ramum *Lauri*, aut *Oleæ* porrigens, quem homo nudus ſupplicis inſtar in genua prolapſus ambabus manibus avidè excipere videtur. Referendum forte ad Clementiam Trajani in devictos populos uſurpatam.

VI. Num. *Vitellii*, cum Inſcr. CLEMENTIA. IMP. GERMAN. SC. *Clementia* itidem ſeminuda in ſellâ ſedens, ſiniſtra haſtæ innixa, & dextra *ſpicas* aliquot præferens. Forſan rei frumentariæ largitionem, aut procurationem à Vitellio factam Nummus indicare vult; qua de re tamen apud Auctores altum ſilentium. *Clementia Imperatoris Germanici*, ut habet Inſcriptio, ad Imp. Vitellium referendum; hoc enim cognomen Vitellio tributum. Suetonius in ejus vita cap. VIII. *Cognomen* GERMANICI *delatum ab univerſis cupidè recepit.*

VII. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. TR. POT. III. COS. II. CLEM. Effigies *Clementiæ* ſtantis, dextra pateram tenentis, & ſiniſtra veſtis laciniam attollentis; quaſi refugium miſeris præbere vellet. Ad Clementiam M. Aurelii pertinent iſta Eutropii lib. VIII. ubi de eo ſcribit: *Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit. Ad nullam inſolentiam elatus eſt imperii faſtigio, liberalitatis promptiſſimæ, provincias ingenti benignitate & moderatione tractavit.*

VIII. *.

IX. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. COS. III. P. P. CLEMENTIA AVG. SC. *Clementia* ſtans, ſiniſtra ſceptrum, ſive haſtam puram, & dextra pateram tenens, Deæ inſtar.

X. Num. *Probi*, cum Inſcr. CLEMENTIA TEMP*orum*. *Clementia* cruribus decuſſatis Columnæ innixa, & dextra haſtam cum cuſpide humi poſitam ferens. Sic in alio

Num.

TAB. LXIV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



Num. *Ejuſdem Probi*, cum ſimili Inſcr. CLEMENTIA. XI.
TEMP. cernitur Ipſe Imperator *Probus* togatus, ſiniſtra aliquomodo ſublevata, & dextram jungens cum alia figura penitus nudâ, niſi quod ſubligaculum circa pubem cinctum habeat, quæ *Victoriolam* ipſi offert, & ſiniſtra haſtam tenet. De Probo Fl. Vopiſcus inter alia ſcribit: *Conferens ego cum aliis Imperatoribus Principem Probum, omnibus prope Romanis ducibus, qui fortes, qui clementes, qui prudentes, qui mirabiles exſtiterunt, aut ſi non repugnat invidiafurioſa, ſuperiorem*, &c.

Num. *Claudii*, cum Inſcr. CONSTANTIAE. AVGVSTI. XII.
*Matrona* ſellæ curuli inſidens, ſtolata, & indicem dextræ manus attollens; *Conſtantiam* Claudii Imp. repræſentare videtur, quam in jure dicundo ſuſtinuit; unde & ſedens exhibetur, quia jus dicentes ſedere ſolebant. Suetonius de Claudio: *Ius & Conſul, & extra honorem, laborioſiſſime dixit, etiam ſuis ſuorumque diebus ſolemnibus, nonnumquam feſtis quoque antiquitus & religioſis.*

# TABVLA LXIV.

Num. *Claudii*, cum Inſcr. CONSTANTIAE. AV- I.
GVSTI. *Conſtantia* militari habitu, cum galea in capite, & haſta in manu ſiniſtra, indicem dextræ manus attollens. Quo ſchemate deſignatur, Claudium conſtanter pro Reipublicæ ſalute excubias agere.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. CONSTANTIAE. AV- II.
GVSTI. *Antonia*, mater Claudii, ab eo in Nummis expreſſa, ut Sacerdos Divi Auguſti, cum Cornu-copiæ in ſiniſtra, & face in dextra manu, imaginem *Conſtantiæ Auguſti* refert.

Num. *M. Aurelii*, cum TR. POT. II. COS. II. HO- III.

NOS. *Iuvenis* togatus, dextra haſtam, ſiniſtra Cornu-copiæ tenens, *Honorem* repræſentans. Sic in alio

IV. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. HONOS. *Iuvenis* itidem togatus cernitur, ſiniſtra quidem, ut antea, Cornucopiæ, ſed dextra Lauri ramum tenens. At in

V. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. HONORI. AVG. COS. IIII. Expreſſus eſt *Vir barbatus*, forſan ipſe Imperator, cum Lauro, & Cornu-copiæ, *Honori Auguſti* dedicatus.

VI. Num. *Titi*, cum Inſcr. HONOS. AVG. *Vir* ſeminudus, dextrâ haſtæ innixus, ſiniſtra Cornu-copiæ tenens, & pede ſiniſtro Globum calcans.

VII. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. HONOS. ET. VIRTVS. *Honos* ſub forma mulieris ſeminudæ, ſiniſtra Cornucopiæ, dextra haſtam tenentis, & *Virtus* inſtar Amazonis galeatæ, quæ dextra Parazonium, hoc eſt, latum gladium, cui acies deſit, & ſiniſtrâ haſtam tenet, dextroque pede galeam calcat, indicant Galbam per Virtutem ad Honores perveniſſe.

VIII. Num. *Q. Fufii Kaleni*, cum Inſcr. HO. VIR. KALENI. *Duo Capita*, alterum comatum & laureatum, *Honorem*, alterum galeatum, *Virtutem* deſignans. De Q. Fufio *Kaleno* videndus Fulvius in Gente Fufia; Qui & putat Kalenum forſan curam habuiſſe Templi *Virtutis* & *Honoris*, quod Marcellum in bello Gallico voviſſe ſcribit Livius lib. XXVII. *Marcellum aliæ atque aliæ objectæ animo religiones, in quibus quod cum bello Gallico ad Claſtidium Ædem Honori & Virtuti voviſſet, dedicatio ejus à Pontificibus impediebatur, quod negabant unam cellam duobus deis recte dedicari.* Vide & Valer. Maxim. lib. I. cap. I. Hujus templi quoque meminit Symmachus lib. I. Epiſt. XIV. ad Auſonium: *Bene ac ſapienter Majores noſtri, ut ſunt alia ætatis illius, Ædes Honori*

*nori atque Virtuti gemellas junctim locarunt; commenti, quod in Te vidimus, ibi esse præmia Honoris, ubi sunt merita Virtutis.* &c.

Num. *Galbæ*, cum Inscr. VIRTVS. *Virtus* masculà, sub formâ Juvenis nudi, dextrâ Parazonium, sinistrâ hastam tenentis. Romani enim *Virtutem* Masculam, sive Militarem potissimum colebant. Hancque describit Claudianus de Consulatu Mallii Theodori. IX.

*Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaque late*
*Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis*
*Erigitur, plausuvè petit clarescere vulgi;*
*Nil opis externæ cupiens; nihil indiga laudis;*
*Divitiis animosa suis, immotaque cunctis*
*Casibus ex alta mortalia despicit arce.*
*Hanc tamen invitam blande vestigat, & ultrò*
*Ambit Honor, docuit toties à rure profectus*
*Lictor, & in mediis Consul quæsitus aratris.*

Num. *Gordiani*, cum Inscr. VIRTVTI. AVGVSTI. *Hercules* nudus, spoliis Leonis clavæ, cui incumbit, impositis, & dextra post tergum rejectâ. De quo Herculis gestu vide mox ad Num. XII. *Maximiani Herculei.* X.

Num. *Maximiani Herculei*, cum Inscr. VIRTVTI. AVGG. *Herculis* nudi, clavâ in terram projectâ, cum Leone congressus & pugna, cujus interempti spoliis postea indutus incessit. Albricus de Deorum Imaginib. *Secunda Herculis victoria notabilis fuit, qua ipse pugnasse cum Leone, ipsumque clava mactasse, & interempto pellem abstulisse dicitur, quo deinde spolio incessit semper indutus, in signum Victoriæ perceptæ.* Sic in alio XI.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. VIRTVTI. HERCVLIS. S. C. *Hercules* nudus cernitur clavæ innixus, & dextrâ post tergum XII.

rejecta, eodem plane modo atque in Gordiani Nummo X. expressus; & quemadmodum à Libanio describitur in Ἐκφράσει Herculis, ubi inter alia legere est: πρῶτον μὲν γὰρ αὐτῷ ἡ κεφαλὴ νεύει πρὸς γῆν. καὶ δοκεῖ μοι σκοπεῖν, εἰ πλέονες ἕτεροι· ἔπειτα δεινῇ σωφροσύνῃ τῇ κεφαλῇ· καὶ ἅπαν τὸ σῶμα γυμνὸν προκαλύμματος. ὁ γὰρ ἐν Ἡρακλεῖ μέλειν αἰδώς, σκοπιμώτερος πρὸς ἀρετήν. τῶν χειρῶν ἡ μὲν δεξιὰ τέτακται καὶ συγκέκαμπται κατόπιν εἰς νῶτον. παρεῖται δὲ ἡ λαιὰ κατὰ τείνει πρὸς γῆν· ἀνέχει δὲ αὐτὸν ὑπὸ μάλης· τὸ δὲ ὁμαλὸν ἐπιδρυμώμενον εἰς γῆν, τοῖς αὐτοῖς, ῥᾳστώνῃ χρησάμενον, τὸ ῥόπαλον ἀέχει παυόμενον, ὡς μαχόμενον ἔσωζεν. ἡ δὲ λεοντῆ τῷ ῥοπάλῳ προσίδρυται. &c. *Imprimis etenim ipsi caput nutat in terram: ac mihi spectare videtur, an aliud quid interfecerit. postidea sævo capite connutat, ac totum corpus amictu denudatur: neque enim Herculi ulla curæ verecundia fuit, ad virtutem prospicienti. E manibus, dextra extensa est, ac simul reflexa in dorsum. Sinistra vero remissa est ac tendit in terram. porro sustinet se sub ala: at quod lævе ac politum, in terra fulcitur: iisdem palmis ad lenitatem usus, etiam clavam sustinet, quiescens ut vim pugnacem servaret. Spolium autem Leonis Clavæ adhæret.* &c.

## TABVLA LXV.

I. Num. *Maximiani Herculei*, cum Inscr. VIRTVS AVGG. *Hercules* nudus, abjectis leonis exuviis, *Cervum Menalium* cornibus apprehendit. Hyginus Fab. XXX. Hercules *cervum velocem in Arcadia cum cornibus aureis vivum in conspectum Eurysthei regis adduxit.*

II. Num. *Galerii Maximiani*, cum Inscr. VIRTVS. AVGG. *Maximianus* Imp. dextra hastam tenens, cum *Virtute*, quæ galea-

TAB. LXV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

leata, & Parazonium ſiniſtra, dextras jungendo, quaſi pactum init.

Num. *Caracallæ*, cum Inſcr. VIRT. AVG. *Caracalla* equo veloci inſidens, curſu *captivum* nudum proſtratum cingulis equinis quaſi conculcat, & jaculo petit. III.

Num. *Trajani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINC. S. C. *Trajanus* Imp. ex equo *Dacum* quendam, aut *Armenium* proſtratum, & conculcatum, jaculo quoque petit. IV.

Num. *Philipporum*, patris & filii, cum Inſcr. VIRTVS. AVGG. *Philippi* ambo, Pater & Filius, galeati, & paludati in equis, quaſi poſt victoriam domum redeuntes. V.

Num. *Severi*, cum Inſcr. VIRTVTI. AVG. Imperator *Severus*, habitu militari, dextram protendens, & ſiniſtra haſtam ferens, coronatur à *Virtute*. Hæc enim poſt tergum ſtans, galeata, & Parazonium ſiniſtra tenens, dextra Coronam capiti ejus imponit. VI.

Num. *Gordiani tertii*, cum Inſcr. VIRTVS AVG. *Virtus* militari habitu, cum galea, & lorica, dextra haſtam, & ſiniſtra Clypeum, humi poſitum, ſuſtinens. VII.

Num. *Victorini*, cum Inſcr. VIRTVS AVG. Virtus nuda, niſi quod pallium à tergo dependeat, cum galea in capite, dextra haſtam inverſam, ſiniſtra Clypeum tenens. VIII.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. COS. III. *Virtus* galeata, Amazonis inſtar altera mamma nuda, dextra haſtam inverſam tenens, & ſiniſtra Clypeo incumbens. Sic in alio XI.

Num. *Ejuſdem Imp.* cum Inſcr. VIRTVTI. AVGVSTI. SC. *Virtus* itidem galeata, ut Heroina, cernitur dextra mamma nuda; X.

nuda; ſiniſtra Parazonium, & dextra haſtam cum cuſpide terræ infixam tenens, ac ſiniſtro pede globum calcans.

XI. Num. *Trajani Decii*, cum Inſcr. VIRTVS. AVG. *Virtus*, galeata, armorum ſpoliis inſidens, ſiniſtra haſtam, & dextra ramum Lauri præferens.

XII. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. VIRT. AVG. SC. *Virtus*, galeata, & veſte ſuccincta, ſtans, dextra Parazonium, ſiniſtra haſtam tenens, ac pede dextro galeam calcans.

## TABVLA LXVI.

I. Num. *Gallieni*, cum Inſcr. VIRTVS. AVGG. *Virtus* maſcula militari habitu, dextra haſtam, ſiniſtra ſignum militare tenens.

II. Num. *Gallieni*, cum Inſcr. VIRTVS. AVGG. *Virtus* maſcula, galeata, ſiniſtra haſtam, & dextra *Victoriolam* præferens; ad ſcopum omnium ejus actionum deſignandum.

III. Num. *Gordiani*, cum Inſcr. VIRTVS AVG. *Virtus* militari habitu, ſiniſtra haſtam, dextra Laurum tenens, cum Clypeo ad pedes.

IV. Num. *Magni Maximi* & *Honorii*, cum Inſcr. VIRTVS. ROMANORVM. *Virtus*, Heroinæ inſtar, in cathedra ſedens, cum galea in capite, ſceptrum eburneum ſiniſtra, & dextra Orbem Terrarum geſtans.

V. Num. *Conſtantii*, filii Conſtantini M. cum Inſcr. VIRTVS. CAES. Cernitur heic *Structura* quædam ex lapide quadrato, cum quatuor pinnaculis, & magna porta in medio, quam referre volunt

TAB. LXVI.

1

2

3

4

5

6




7

8

9

10



11

12



lunt. Urbem *Conſtantinopolim* cum *Stella* aut *Sole*, & *Luna*, urbis ipſius inſigni, uti videre eſt in Nummis Byzantii apud Goltzium in Græciæ Num. Tab. XXII. Conſtantinopolim autem Conſtantium in Nummis expreſſiſſe, quod variis ornamentis Urbem iſtam decoraverit. Cujus rei, præter alios, meminit Themiſtius Oratione XIII. in Conſtantium, hiſce verbis: Πωϑάνομαι γὰρ ὡς ἐπ ἀμφίασεν ὁμοῦ ὁ γωνήτωρ τό, τε ἄστυ τῷ κύκλῳ, ἐπ τὸν υἱέα τῇ ἀλουργίδι, ὥστε ἐν δίκῃ τριπλασιάσας τὸν ὄγκον, πολλαπλασιάζει αὐτῆς τὸν ὁμήλικα, ἐ τὸν φθόνον ἐξάγων, ἀλλὰ τῷ καλλει περσμηχανώμενος, &c. *Audio enim uno eodemque tempore patrem illius, & Urbi murorum ambitum, & Filio purpuram circumdediſſe. Vnde & recte poſteaquam triplo amplius Imperium fecit, æqualem ſibi Civitatem amplificat, non productis Pomæriis, ſed ad pulchritudinem aliquid ſemper adjiciens: ſive perennioris aquæ ſcaturigines inveſtigans, ſive balneas de ſe nominatas exſtruens, (quarum amplitudinem cum jam videatis, conſentanea amplitudini pulchritudo ſperatur) ſive eandem ſuperne contecto ſtadio, tanquam pretioſiſſimo cingulo præcingens, ſive Regium forum flammei inſtar auro ac ſegmentis intexens*; & quæ porro ibi ſequuntur.

Num. *Conſtantii Chlori*, cum Inſcr. VIRTVS. MILITVM. VI. *Caſtrum Prætorium*, ante cujus portam adſtat *Ara* accenſa, ſuper quam ſacrificantes *Milites* Fidem ſuam Imperatori obſtringunt.

Num. *Theodoſii*, cum Inſcr. VIRTVS. EXERCIT. VII. Imp. *Theodoſius* laureatus, & paludatus, cum labaro in dextra, & Orbe Terrarum in ſiniſtra manu, ſiniſtro pede captivum in terra proſtratum calcans.

Num. *Licinii Iunioris*, cum Inſcr. VIRTVS EXERCIT. VIII. *Trophæum* ex hoſtium ſpoliis erectum, cum duobus captivis, manibus poſt tergum devinctis, & flexo retrorſum capite, oblique

inſtar indignabundorum, ad Trophæum ſuſpicientibus. Sic quoque in alio

IX. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. VIRTVS. EXERCIT. Cernitur *Labarum*, cui inſcripta VOT. X. *Vota decennalia*, cum duobus barbaris captivis, manibus poſt tergum ligatis. Deſignatur utroque, *Virtute Exercitus* Victoriam partam.

X. *.

XI. Num. *Neronis*, cum Inſcr. AVGVSTVS. GERMANICVS. *Nero* radiato capite, dextra *ramum Lauri*, ſiniſtra *Globum* cum *Victoriola* gerens. Radiatus heic conſpicitur Nero, ut Phœbum repræſentet, unde & Laurum tenet, Phœbo ſacratum. Victoriola forſan Neronis Victorias, quas in Theatro Citharam pulſando & canendo obtinuit, deſignat. Hinc etiam Apollini comparatus, cum populus ei acclamaret, ut jam ſupra notatum, referente Xiphilino ex Dione: Ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος, εἷς ὡς Πύθιος, &c. *Quam pulcher Cæſar, Apollo, Auguſtus, unus veluti Pythius* &c. Vide ſupra ad Num. I. Tab. XXXVIII.

XII. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. COS. II. SC. *Antoninus Pius* radiato itidem capite, *Laurum* manu tenens, & *haſtam* bina cuſpide inſtructam. Radiis circa caput ornatus cernitur Antoninus, quemadmodum Principes & Imperatores ſæpius picti, & ficti, ac quibuſdam etiam in more fuerit radiato capite nonnumquam in publicum procedere. Sic de Gallieno notat Trebellius in ejus Vita: *Radiatus ſæpe proceſſit.*

TA-

TAB. LXVII. 1

2

3

4

5



6

7

8

9

10

11



12



# TABVLA LXVII.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcript. COS. IIII. S.C. *Antoninus Pius* paludatus, cum Orbe, aut Circulo quodam capiti ejus circumſcripto. eodem modo, uti *Sanctos*, quos vocant, hodienum in Eccleſia Romana exornare moris eſt. Quem & Laurentius Pignorius in Expoſitione Menſæ Iſiacæ hinc derivatum vult. Circulum enim hujuſmodi, antiquitus fuiſſe Venerationis indicem & Majeſtatis, quæ humanam excederet. Atque hinc Imperatoribus, quos veteres ſupra faſtigium mortalitatis elatos ſuſpiciebant, Provinciis Orbis Romani, Urbibus primariis, Animalibus etiam Deorum, hujuſmodi Orbem aut Circulum circumpoſitum; cujus rei exempla, quod ad Auguſtos pertinet, exſtant in hoc *Antonini Pii* Numiſmate, & in ſequenti Numiſmate *Conſtantii*. Provinciarum & Urbium hujuſmodi Circulo inſignitarum exempla exſtare in Libro, cui Titulus *Notitia Utriuſque Imperii*, & in *Tabula Itineraria* Peutingeriana, à M. Velſero primum in lucem edita. Animalium denique diis conſecratorum cum hujuſmodi Orbe, exemplum exhibere Nummum *Fauſtinæ* Auguſti, ubi *Pavo* hujuſmodi Circulo exornatus cernitur. Hunc autem morem ab Ægyptiis, qui hujuſmodi Orbem in ſummo capite ſimulachrorum ſuorum collocabant, ad Romanos perveniſſe, & variaſſe habita decoris ratione, quod capiti, cui divinum quid ineſſe putabant, eo ſitu corona aptaretur. Hunc tamen ornatum inſequentium Principum moderatione, & tacito hominum conſenſu DEO & ſanctis ejus, ut alia pleraque, in totum ceſſiſſe, & antiquum Diadematis nomen in hodiernum diem retinuiſſe. Hæc quidem Laur. Pignorii ſententia, ingenuam ſane confeſſionem ſuperſtitionis hac in re Romanæ Eccleſiæ, uti & pluribus aliis, à Gentilibus receptæ, nobis exhibet. Ideoque heic eam notaſſe ſufficiet. I.

II. Num. *Conſtantii*, Conſtantini filii, cum Inſcr. FEL. TEMP. REPARATIO. Imper. *Conſtantius*, cum ejuſmodi Majeſtatis divinæ modò deſcripto *Circulo* circa Caput, equo inſidens, & ſupplicem, nudum, in genua prolapſum, jaculo petens; dum miles adſtans Clypeum Imperatori porrigere videtur.

III. Num. *Fauſtinæ*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas*, ſive potius *Fauſtina* ſub hoc ſchemate, jam inter divas relata, velata, ſellæ inſidens, cum haſta in ſiniſtra, & Globo, cui *Pavo*, cum Circulo circa caput, inſiſtit, in dextera manu.

IV. Num. *Gratiani*, cum Inſcr. GLORIA. NOVI. SAECVLI. Imp. *Gratianus*, militari habitu, dextra *Labarum*, cui Nominis Chriſti Character intextus, & ſiniſtra Clypeum magnum ſuſtinens.

V. *

VI. Num. *Conſtantis*, cum Inſcr. GLORIA. ROMANORVM. *Roma*, Amazonis inſtar, altera mamma nuda, ſpoliis inſidens, dextra Victoriolam Globo inſiſtentem, & ſiniſtra haſtam tenens.

VII. Num. *Vetranionis*, cum Inſcr. GLORIA. ROMANORVM. *Vetranio*, dextra *Victoriolam*, & ſiniſtra *Labarum* tenens. Notanda autem ſemel hæc Inſcriptio GLORIA ROMANORVM, quæ in omnibus fere temporum illorum Nummis occurrit, deſignans, in Imperatore totam Gloriam Romanorum eſſe. Regino in Chronico: *Ad hunc* (Tiberium) *Hilpericus Francorum Rex ſuos legatos dirigens, multa ab eo ornamenta, Aureos etiam ſingularum librarum ſuſcepit, habentes ex una parte effigiem Imperatoris & perſcriptum in Circulo* TIBERIVS. CONSTANTINVS. PERPETVVS. AVGVSTVS, *& ab alia parte habentes quadrigam & adſcenſorem, continentes ſcriptum*, GLORIA ROMANORVM. Eadem leguntur apud Paullum Warnefridum de Geſtis Langobardorum lib. III. cap. XIII. Sic Georg. Cedrenus

Hiſtor.

Hiſtor. Compend. notat Beliſarium poſt Gelimerum in Africa devictum & Conſtantinopolim cum magnis opibus adductum, à Juſtiniano in Nummis hoc titulo affectum, hiſce verbis: καὶ ἐθριάμβευσεν ἐν τῷ ἱππικῷ, ὑπατείαν ποιήσας ἐν τῇ πόλει, ὥστε Ἰουστινιανὸν ἀποδεξάμενον, ἐν μὲν τῷ ἑνὶ μέρει ἑαυτὸν ἐγχαράξαι, ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ Βελισάριον ἔνοπλον, καὶ ἐπιγράψαι, ΒΕΛΙΣΑΡΙΟΣ Η ΔΟΞΑ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ. *Triumphavit in Circo, & Conſulatum geſſit in Vrbe. Adeo autem acceptus fuit Iuſtiniano, ut is percuſſo nummo, in altera parte ſe, in altera parte Beliſarium armatum effinxerit, cum Inſcriptione hac:* BELISARIVS GLORIA ROMANORVM. P. Gillius in Topographia Conſtantinopolit. teſtatur, ſe hujusmodi Nummum Juſtiniani & Beliſarii, in manibus habuiſſe, cum oculis luſtraret Circum iſtum, in quo Beliſarius Triumphum duxit.

VIII. Num. *Magnentii*, cum Inſcr. GLORIA. ROMANORVM. *Magnentius* equo inſidens Captivum proſtratum conterit & jaculo confodit; adjacent ſcutum & telum confractum.

IX. Num. *Gratiani*, cum Inſcr. GLORIA. ROMANORVM. Gratianus paludatus, cum Labaro in ſiniſtra, dextra Barbarum captivum, nudum, manibus poſt terga devinctis, capillis arreptum trahens.

X. Num. *Valentiniani* Junioris, cum Inſcr. GLORIA. ROMANORVM. *Valentinianus* militari habitu, cum Parazonio in manu ſiniſtra, Triremi, ſive Navi inſiſtens, ad cujus Clavum *Victoria* ſedet, Navem gubernans.

XI. *.

XII. Num. *Conſtantis*, cum. Inſcr. GLORIA. EXERCITVS. Duo *milites Romani*, altera manu haſtam, altera quiſque Clypeum

tenentes, cum intermedio *Labaro*, in quo litera M, uti in aliis P * Victoriæ cujusdam ab Exercitu reportatæ haud dubie monumentum.

# TABVLA LXVIII.

I. Num. *M. Vipsanii Agrippæ*, absque Inscr. in quo expressum Virginis elegans caput, cornua constricta & in spiram contorta, cum humeris alatis, *Victoriam* designans.

II. Num. *Galbæ*, cum litt. S C. *Victoria* alata, gradiens, dextra Coronam Lauream, & sinistra ramum palmæ ferens. Latinus Pacatus in Panegyrico: *Rectè profecto germana illa pictorum Poëtarumque commenta, Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium, non cursus est, sed volatus.* Claudianus lib. III. de *Laudib.* Stiliconis:

——— — *quam certa fuêre*
*Gaudia, cum totis exsurgens ardua pennis,*
*Ipsa Duci sacras Victoria panderet ædes,*
*Et palma viridi gaudens, & amicta trophæis*
*Custos imperii Virgo* ———

III. Num. *Trajani*, cum Inscr. TR. POT. COS. II. P. P. S C. *Victoria*, virginis nudæ instar, nisi quod pellucido velamine circa pubem cincta; cum alis in humeris, & sinistra palmam, dextra Coronam Lauream tenens. Ovidius lib. II. Tristium ad Augustum:

*Sic assueta tuis semper Victoria castris,*
*Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.*
*Ausoniumque ducem solitis circumvolet alis,*
*Ponat & in nitida Laurea serta coma.*

Num.

TAB. LXVIII.

1

2

3




4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Neronis*, cum Inſcr. VICTORIA. AVGVSTI. IV. *Victoria* ſeminuda, volans, dextra Clypeum S. P. Q. R. tenens.

Num. *Valeriani*, cum Inſcr. VICTORIA. AVGG. *Victoria* V. ſtans, ſiniſtra Lauri ramum, & dextra Clypeum magnum ſuſtinens.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. VICTORIA. AVGVS. SC. VI. *Victoria* ſtans, & ſiniſtro cubito trunco arboris palmæ innixa; dextra Cornu-copiæ, & ſiniſtra palmæ ramum tenens.

Num. *M. Aurelii*, cum Inſc. VICT. AVG. TR. P. XVIII. VII. IMP. II. COS. IIII. *Victoria* Trophæum ambabus manibus ferens; ante eam humi ſedet *Barbarus* captivus, cum pileo in capite, & lugentis inſtar manu iſtud ſuſtinens.

Num. *Conſtantis*, cum Inſcr. VICTORIA DD. NN. VIII. AVGG. *Victoria* gradiens, dextra Trophæum, & ſiniſtra Lauri ramum ferens.

Num. *Conſtantii*, Conſtantini M. Filii, cum Inſcr. VICTO- IX. RIA. AVGVSTORVM. *Victoria* feſtinanter procedens, ſiniſtra Trophæum cum palma, & dextra Coronam lauream, cui inſcriptum XXV. ferens. Ad pedes habet ſupplicem Barbarum pileatum.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. VIC. AVG. *Victoria* cum X. Corona laurea, & palmæ ramo, Orbi inſiſtens. Sic in quodam

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IMP. CAESAR, *Victoria* iti- XI. dem cernitur Orbi inſiſtens cum alis expanſis, dextra Lauream, & ſiniſtra vexillum militare ſuper humeris tenens. Hunc in modum Victoria ab Appuleio lib. II. Metamorph. deſcribitur, ubi de magnificis Byrrhenæ ædibus: *Atria longe pulcherrima, columnis quadrifa-*

*drifariam per ſingulos angulos ſtantibus, attollebant ſtatuas Palmaris Deæ; facies quaqua pinnis explicitis ſine greſſu pilæ volubilis, inſtabile veſtigium plantis roſcidis devitantes, nec ut maneant inhærent; & jam volare creduntur.*

XII. Num. *Trajani*, cum Inſcr. COS. V. P. P. S. P. Q. R OPTIMO PRINCIPI. *Victoria* ſuper ſcutum oblongum, Dacicum, gradiens, cum palma, & Corona laurea: ob Dacos à Trajano ſubjugatos.

## TABVLA LXIX.

I. Num. *Conſtantii*, Conſtantini M. filii, cum Inſcr. VICTORIA AVG. NN. *Victoria* alata, ſeminuda, ſpoliis armorum inſidens, & Clypeo VOT. X. *Vota decennalia* inſcribens.

II. Num. *Veſpaſiani*, cum litt. S C. *Victoria* alata, ſeminuda, ſtans, & ſiniſtro pede galeam calcans, Clypeum, cui Vota ſua inſcribit, ſuſpendit ad Palmam; ob Judæam quæ Palmis abundabat, ſubactam.

III. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. VICTORIA. *Victoria* ſtans, & Clypeum Aræ impoſitum ſiniſtra ſuſtinens, cui P. R. Vota inſcribit.

IV. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. *Victoria* alata, ut ſemper, & ſeminuda, Clypeum, cui VIC. AVG. inſcripſit, Palmæ arbori impoſitum ſuſtinet.

V. Num. *Titi*, cum Inſcr. EX SC. *Victoria* corona laurea circa caput redimita, Trophæo, ex ſcutis oblongis decuſſatim ſuſpenſis, erecto, & ad cujus pedem ſedet captivus lugens, Clypeum rotundum imponens.

Num.

TAB. LXIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Probi*, cum Inſcr. VICTORIA. GOTHIC. *Victoria* gradiens cum palma, & Corona laurea; ante pedes humi ſedet Captivus *Gothus*, manibus poſt terga devinctis. Fl. Vopiſcus in in Probo : *Tetendit deinde iter per Thracias, atque omnes Geticos populos fama rerum territos, & antiqui nominis potentiâ preſſos, aut in deditionem, aut in amicitiam recepit.* VI.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. COS. VIII. SC. Imperator *Domitianus* ſtans cum haſta in dextra, cujus capiti *Victoria* à tergo Coronam imponit. VII.

Num. *Sept. Severi*, cum Inſcr. VICTORIAE. AVGG. *Victoria*, in curru triumphali, aurigæ inſtar dextra tenens ſcuticam, & ſiniſtra habenas bigarum, à quibus vehitur. VIII.

Num. *Iuſtiniani*, cum Inſcr. VICTORIA. AVG. G. G. A. Victoria *Crucem gemmatam* dextra tenens, à cujus latere adſtat ſtella, ſive potius *Sol.* Vide ſis Boſium De Triumpho Crucis. lib. VI. cap. XII. IX.

Num. *Marciani*, cum Inſcr. VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria* dextra *Coronam lauream*, ſiniſtra *Globum*, cui *Crux* infixa, geſtans. Idem Schema exſtat quoque in Nummis *Iuſtini* Imperatoris, & aliorum. Fuitque globus hujuſmodi cum Cruce inter Inſignia Imperatoria iſtorum temporum, receptus, indeque ad hæc noſtra tempora perpetuo permanſit. Cauſſam ejus reddit Suidas in Juſtiniano, ubi de eo ſcribit : Ἔστησε τὴν ἑαυτοῦ εἰκόνα ἐπὶ κίονος ἐφ' ἵππου. Καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος ἐν αὐτῇ, ὑποπτεύω νοῦν, ὡς διὰ τὸ εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως, τὸ γῆς ἐγκράτης γέγονε, σφαῖρα μὲν γὰρ ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς ἐν αὐτῆς σχήματος. πίστις δὲ ὁ σταυρὸς διὰ τὸν ἐν αὐτῷ σαρκὶ σταυρωθέντα Θεόν. *Imaginem ſuam poſuit ſuper columnam in equo. Ea ſiniſtra manu fert Glo-*

*Globum, cruce in eo infixâ; significante quod per fidem in Crucem, terræ dominus sit factus. Globus enim terra est, ob hanc ejus rotundam formam: fides autem crux, ob Deum qui in carne in ea affixus.*

XI. Num. *Constantis*, cum Inscr. VICTORIAE. DD. NN. AVGG. *Duæ Victoriæ*, Clypeum Corona laurea circumcinctum, cui inscriptum, VOT. X. MVLT. XX. sustinentes.

XII. Num. *Othonis*, cum Inscr. VICTORIA. OTHONIS. *Victoria* gradiens cum palma, & Laurea Corona.

# TABVLA LXX.

I. Num. *Antonini Pii*, cum Inscr. VICTOR. ANTONINI AVG. *Victoria* gradiens similiter, sinistra Palmam, & dextra Lauream ferens.

II. Num. *Constantini M.* cum Inscr. VICTORIA. CONSTANTINI. AVG. *Victoria* spoliis armorum insidens cum adstante *Genio* quodam, qui Clypeum Votivum sustinet, cui Victoria inscribit VOT. XX. De *Votis* autem *Vicennalibus*, à Constantino celebratis, legere est apud Sozomenum lib. I. Hist. Eccles. cap. ult. Τοῦτων ὧδε δοξάντων τῇ συνόδῳ ξυνηνέχθη κατὰ ταυτὸν ἑορτὴν εἶναι εἰκοσαετηρίδα τῆς Κωνσταντίνου βασιλείας. ἔθος δὲ Ρωμαίοις, δημοτελῆ πανήγυριν καθ' ἑκάστην δεκάδα ἐτῶν τῆς τοῦ κρατοῦντος ἀρχῆς. *Cum hæc à Concilio ita decreta essent, forte accidit, ut Vicennalia Constantini eodem tempore celebrarentur. Est enim hic mos Romanis, ut decimo quoque anno unius cujusque Imperatoris publicam agant festivitatem.* De iisdem Auctor Chronici Alexandrini: Κωνσταντῖνος ὁ εὐσεβέστατος Κώνσταντα τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν Καίσαρα ὄντα ἀνηγόρευσεν Αὔγουστον πρὸ ϛ' ἰδῶν Νοεμβρίων,

TAB. LXX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



καὶ εἰκοσαετηρίδα τῆς βασιλείας αὐτὸς ἦξεν, καὶ ἔδωκεν ἐν τῇ ὥρᾳ βικεννάδια παυφαιδρῶς καὶ φιλοτίμως. *Constantinus religiosissimus* (Imperator) *Constantem filium suum Cæsarem V. Idus Novembris Augustum declaravit, & vicesimum Imperii annum egit; eodemque tempore cum summâ hilaritate & magnificentia VICENNALIA celebravit.*

Num. *Titi*, cum Inscr. VICTORIA IVDAICA. *Victoria* alata, cum palma & Laurea, Navis rostro insistens; *Victoriam Iudaicam* designans. In aliis Titi Nummis eadem forma cernitur, cum Inscriptione VICTORIA NAVALIS. Unde appareret, uti recte animadvertit A. Rubenius, Titum Victoriam aliquam navalem obtinuisse contra Judæos; de qua tamen apud Auctores altum silentium. Josephus quidem lib. III. De Bello Judaico circa finem, mentionem facit prælii cujusdam in Lacu Genasar contra eos commissi; verum vix tanti momenti istud videtur, ut ejus memoria in Nummis conservari meruerit. Idem Josephus lib. VII. ubi agit de Triumpho Vespasiani & Titi, inter alia multas etiam naves ibi portatas fuisse ait: πολλαὶ δὲ καὶ νῆες εἵποντο, sunt verba Josephi; sic ut omninò Titus Victoriæ Navalis contra Judæos obtentæ gloriam captasse videatur; & fortasse non alia designatur, quam pugna illa in lacu Genasar. III.

Num. *Ant. Caracallæ*, cum Inscr. VICTORIA. PARTHICA. MAXIMA. *Victoria* gradiens dextra Coronam lauream, & sinistra Palmam, solito more, tenens. De hac Victoria Spartianus in ejus Vita: *Dehinc per Caduscios fines & Babylonios ingressus, tumultuariè cum Parthorum Satrapis manum contulit, feris etiam bestiis in hostes immissis. Datisque ad Senatum, quasi post Victoriam literis*, PARTHICVS *appellatus est.* IV.

Num. *Sept. Severi*, cum Inscr. VICTORIA. BRIT. *Victoria* V.

*ria* gradiens, ſiniſtra Trophæum ſuper humeros ferens, & dextrà captivum puerum trahens. Ad Inſcriptionis intelligentiam faciunt iſta Spartiani in Severo : *Britanniam, quod maximum ejus Imperii decus, muro per tranſverſam inſulam ducto, utrumque ad finem Oceani munivit : unde etiam* BRITANNICI *nomen accepit.*

VI. Num. *Maxentii*, cum Inſcr. VICTORIA. AETERNA. AVGG. *Victoria* alata, ſeminuda, Clypeum Votivum ſuper columna collocatum tenens; in quo inſcriptum, VOT. X. Deſignatur fortè Victoria, quam contra Fl. Valerium Severum Maxentius obtinuit; qua eum propulſavit, & in fugam Ravennam usque compulit; unde dolo Maximiani Herculei, qui ſocer Maxentii, & partium ejus fautor, Severus extractus, dum Romam contendit, in via ab inſidiis Maxentii necatus. Vid. Zoſimus lib. II. Hiſtor.

VII. Num. *Conſtantis*, cum Inſcr. OB. VICTORIAM. TRIVMPHALEM. Duæ *Victoriæ* Clypeum Votivum, laurea corona circumvolutum, ſuſtinentes, in quo inſcriptum VOT. X. MVLT. XV.

VIII. Num. *L. Veri*, cum Inſcr. VICT. AVG. TR. POT. VI. COS. II. *Victoria* advolans cum *pileo* in capite, & Diadema gemmatum manibus ferens, ad caput L. Veri exornandum. *Pileata* heic cernitur Victoria præter morem, quia Victoria Veri contra Parthos, qui pileati incedebant, heic deſignatur. Jul. Capitolinus in ejus Vita : *Antiochiam poſtquam venit, ipſe quidem ſe luxuriæ dedit, duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, & Avidius Caſſius, & Marcius Verus per quadriennium : ita ut Babyloniam & Mediam pervenirent, & Armeniam vendicarent, partumque eſt ipſi nomen Armenici*, PARTHICI, *Medici*, &c.

IX. Num. *Titi*, cum Inſcr. VIC. AVG. S. C. *Victoria ſine alis*,

*alis*, ad Æternitatem Victoriarum Titi designandam, Globo insistens, dextra Coronam lauream, & sinistra palmam ferens; Sine alis Victoria heic fingitur, ut indicetur eam certam, stabilemque futuram, nec velocibus pennis avolaturam. Hinc Pompeius in Anthologia Veter. Epigram. lib. IV. cap. XXI. in simulacrum Victoriæ, cujus alæ fulmine combustæ erant, Romæ existens:

Ρώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος ὔποτ' ὀλεῖται·
Νίκη γὰρ σε φυγεῖν ἄπτερος ἢ δυνάται.

*Roma omnium Regina, tuum decus nunquam peribit.*
*Victoria enim te effugere sive alis non potest.*

Sic sacellum Νίκης ἀπτέρου Athenis in Arce fuisse memorat Pausanias, in Atticis: Τῶν δὲ προπυλαίων ἐν δεξιᾷ, Νίκης ἐστὶν ἀπτέρου ναός. *Ad Vestibuli dextram, Victoriæ alis carentis sacellum est.* Ad hujus autem exemplar aliud Victoriæ sine alis signum factum fuisse, refert idem Pausanias in Eliacis, sive lib. V. Παρὰ δὲ τοῦτο Ἀθηνᾶν πεποίηται Νίκη. Ταύτην Μαντινεῖς ἀνέθεσαν, τὸν πόλεμον ὅτῳ ἐκ δηλοῦσιν ἐν τῷ ἐπιγράμματι· Κάλαμις δὲ οὐκ ἔχουσαν πτερὰ ποιῆσαι λέγεται, ἀποκεκρυμμένου τὸ Ἀθήνησι τοῦ ἀπτέρου καλουμένης ξόανον. *Adsistit Minervæ Victoria, quam Mantinenses incertum quo bello confecto dedicarunt, id enim non indicat inscriptio. Calamis fecisse dicitur: alas vero non addidit, exemplar secutus signi ejus, quod Athenis est, & Involucre nuncupatur.*

Num. *Tiberii*, cum Inscr. TR. POT. XVI. *Victoria* alata, X. seminuda, *Globo stellato*, sive *Sphæræ cælesti* insidens, & *velum* manibus tenens, quasi circulum ex eo effingere vellet; Victoriarum Tiberii Æternitatem forte designans. ita quidam; sed potius

videtur Coronæ esse laureæ signum, quam Victoria in Orbe stellato in honorem Tiberii nectit; Victoriarum ejus famam ad sidera usque pervolasse denotans.

XI. Num. *Vitellii*, cum literis S C. *Victoria alata* in sella sedens, sinistra palmam, & dextra *pateram* præferens.

XII. Num. *Constantini Iunioris*, cum Inscr. VICTORIA. AVGG. *Imperatores* duo habitu Augustali in Solio Imperatorio sedentes, & manibus Orbem Terrarum, ad Ejus Imperium designandum, tenentes; à tergo Solii adest *Victoria*, aut forsan *Angelus Tutelaris*, sive *Custos*, alis expansis Imperatores quasi obumbrans, & protegens. Idem Schema sæpius in Nummis posteriorum Impp. occurrit.

## TABVLA LXXI.

I. Num. *Claudii* II. cum Inscr. VICTORIA. GOTHIC. *Trophæum* ex spoliis Gothicis erectum, cui infra adsident duo captivi, nudi, manibus post terga devinctis. De hoc bello à Claudio confecto, Barbarisque innumeris in Romanum solum irrumpentibus, prostratis atque deletis, videndus Trebellius Pollio in Ejus Vita, ubi inter alia scribit: *Ille bellum Gothicum brevi tempore implevit.* Et mox de hostium numero, *Trecenta viginti millia armatorum fuerunt. Adde servos, adde familias, adde carraginem, & epota flumina, consumptasque sylvas.* Ipse Claudius Imp. in Epistola ad S. P. Q. R. *Patres Conscripti, militantes audite quod verum est. Trecenta viginti millia barbarorum in Romanum solum armati venerunt: hæc si vicero, vos vicem reddite meritis.* &c. Subjicitque porro Trebellius: *Hos igitur Claudius, ingenita illa virtute superavit; hos brevi tempore attrivit; de his vix aliquos ad patrium solum redire permisit.* Vide reliqua.

Num.

TAB. LXXI.

1

2

3

4




5

6

7

8

9

10

11

12



Num. *Constantini Iunioris*, cum Inscr. VICTORIA. AVGGG. IL Imperator *Constantinus*, dextra *Labarum*, sinistra *Globum* cum *Victoriola* tenens, Barbarum quendam captivum, humi prostratum pede calcat. Cujusmodi schema in multis istorum temporum Impp. Nummis occurrit. ac Imperatores inter alia etiam hujusmodi schema Imaginibus suis appingi curasse, testatur Gregorius Nazianzenus Invectiva I. in Julianum, hisce verbis: Ταύταις ταῖς εἰκόσιν ἄλλοι μὲν ἄλλο τι τῶν βασιλέων προσπαραγράφειν χαίρουσιν· οἱ μὲν, τῶν πόλεων τὰς λαμπροτέρας δωροφορούσας· οἱ δὲ, Νίκας ὑπὲρ κεφαλῆς στεφανούσας· &c. οἱ δὲ, βαρβάρων ἡττημένων, καὶ ὑπὸ τοῖς ποσὶν ἐρριμμένων πολυειδῆ σχήματα. *Imaginibus suis Imperatores alii aliud quid appingi gaudent: quidam clarissimas quasque Vrbes dona offerentes; alii Victorias, caput eorum corona cingentes; &c. alii Barbarorum domitorum, atque ad pedes jacentium varias multiplicesque figuras.* Faciunt huc illa Corippi *lib.* II.

*Purpureo suræ resonant fulgente cothurno,*
*Cruraque puniceis induxit regia vinclis,*
*Parthica Campano dederant quæ tergora fuco,*
*Qui solet edomitos Victor calcare tyrannos*
*Romanus Princeps, & barbara colla domare.*

Num. *Valentiniani* III. cum Inscr. VICTORIA. AVGGG. III. Imperator dextra hastam, in cujus fastigio Crux est, loco Labari, & sinistra *Victoriolam* tenens, nec non dextro pede Caput ingentis, & tortuosi *Draconis* calcans; designans Virtute Crucis Christi, Diabolum, qui sub serpentis specie genus humanum sibi subjecerat, prostratum atque superatum esse. Videtur Valentinianus respicere ad verba ista Psalm. XC. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Quæ verba & Heraclius Imp. in Nummo expressit, cujus Ectypum infra Tab. CXV. in Classe Miscellaneorum exhibet.

Num.

IV. Num. *Focæ*, cum Inſcr. VICTORIA. AVGG. Duæ mulieres velatæ, & Crucibus in fronte, aut capite ornatæ, baculumque ad Crucis formam dextrâ tenentes. In medio ſtat Crux excelſa ſuper baſim poſita, ea fere forma, & ejuſmodi angulis efficta, ac Crux illa, Hieroſolymitana vulgo dicta, repræſentari ſoleat. *Victoriam Augg.* in Cruce, ſive potius in Eo, qui Cruci pro humano genere affixus fuit, ſitam deſignat inſcriptio.

V. Num. *Titi*, cum Inſcr. VICTORIA. NAVALIS. *Victoria alata* pectore tenus nuda, cum *Laurea* & *Palma* in manibus, roſtro Navis inſiſtens. Vide Notata ad Num. III. Tab. LXX.

VI. Num. *Getæ*, cum Inſcr. NOBILITAS. *Matrona* culta, dextra *haſtam*, & *Imagunculam* ferens, *Nobilitatem* repræſentans, quippe quam ex majorum imaginibus æſtimare Romani Veteres ſolebant. Vid. Polybius lib. VI. item Plinius lib. XXXV. cap. II. Noti ſunt verſus Iurenalis Satyr. VIII.

*Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice longo*
*Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus*
*Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,*
*Et Curios jam dimidios, humeroſque minorem*
*Corvinum, & Galbam auriculis naſoque, carentem?* &c.

VII. Num. *Commodi*, cum Inſcr. NOBILITAS. AVG. P.M. *Anubis*, Ægyptiorum deus, canino capite, dextra *Siſtrum*, ſiniſtra *ſceptrum* ferens. De Anubi dictum ſupra ad Num. III. Tab. XLIII. Quid autem Inſcriptio iſta, NOBILITAS AVG. P. M. commune habeat cum *Anubi*, vix divinare licet; niſi forſan Commodo ab adulatoribus aulicis laudi detur, quod Anubin portaverit. Qua de re Lampridius in ejus Vita: *Sacra Iſidis coluit*;

*coluit*, *ut & caput raderet*, *& Anubin portaret.* Et mox: *Cum Anubin portaret*, *capita Isiacorum graviter obtundebat ore simulacri.* Idque in hoc Nummo in Commodo, prædicetur, quasi *Nobilitas* ejus ex hujusmodi officio religioso magis inclaruerit.

Num. *Claudii*, cum Inscr. PACI. AVGVSTÆ. Virgo alata, VIII.
Victoriæ instar, dextra *velamen* quoddam ante oculos attollens, & sinistra tenens *Caduceum*, quo caput *serpentis*, cujus caudam pedibus calcat, tangit, *Pacem Augustam* repræsentans. Optime autem Ant. Augustinus Dialogo II. Antiquit. hunc Claudii Nummum explicat, dum scribit, Virginem heic Caduceum, Pacis symbolum, ad terram dimittere, ubi serpens est, qui veneni sibilo bellum designat, & tametsi caput erigat, caduceo tamen vim ejus comprimi. Pacem etiam alteram manum oculis objicere, velumque obtendere, serpentem ne videat; ut belli odium significetur. Sic in quodam

Num. *Vespasiani*, cum Inscr. PACI. AVGVSTI. simi- IX.
liter expressa est *Pax* alata, serpentem conculcans pedibus, & Caduceo caput adsibilans comprimens, dum altera manu velum ante oculos obtendit.

Num. *Augusti*, sine Inscript. Sed in quo cernitur caput ele- X.
gans, comptum, & vitta ornatum, cum *Cornu-copiæ*, & ramo *Oleæ*, *Pacem* designans; qua omnium rerum Abundantia procuratur.

Num. *Titi*, cum Inscr. PAX. AVG. S.C. *Pax* stans an- XI.
te Aram, cum *patera* in dextra, & sinistra *Caduceum* cum *Oleæ* ramo tenens.

Num. *Augusti*, cum Inscr. PACI. PERP. *Templum*, in XII.
quo *Ara Pacis*; de qua Ovidius lib. I. Fastorum:

*Ipſum nos carmen deduxit Pacis ad Aram.*
*Hæc erit à menſis fine ſecunda dies.*
*Frondibus Actiacis comptos redimita capillos*
*Pax ades: & toto mitis in Orbe mane.*

# TABVLA LXXII.

I. Num. *Neronis*, cum Inſcr. ARA. PACIS. S.C. Cujus Imago heic exhibetur. Sic in

II. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. AR. PAC. S C. itidem cernitur *Ara Pacis.* Veſpaſianum *Pacis* Templum magnificum, à Claudio inchoatum, exſtruxiſſe, ſcribit Suetonius in ejus Vita: *Fecit & nova opera, Templum Pacis Foro proximum, Divique Claudii in Cœlio monte, cœptum quidem ab Agrippina, ſed à Nerone prope funditus deſtructum.* &c. De eodem templo Joſephus lib. VII. De Bello Judaico, cap. XXIV. Μετὰ δὲ τὰς θριάμβους, καὶ τὴν βεβαιοτάτην τῶν Ρωμαίων ἡγεμονίας κατάστασιν, Οὐεσπασιανὸς ἔγνω τέμενος εἰρήνης καθιδρύσαι· ταχὺ δὲ καὶ μάλα, καὶ πάσης ἀνθρωπίνης κρείττον ἐπινοίας ἐτετελείωτο. τῇ γὰρ ἐκ τῶν πλούτων χορηγίᾳ δαιμονίῳ χρησάμενος, &c. *Poſt triumphos vero & Romani Imperii firmiſſimum ſtatum, Veſpaſianus Paci Templum ædificare decrevit. Itaque mira celeritate, & quæ hominum cogitationem ſuperaret, effectum eſt. Magna enim divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturæ & figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud fanum collecta ac diſpoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio per totum Orbem, qui ante nos fuerunt, vagabantur, quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, videre cupientes.* Hoc templum poſtea ſub Commodo incendio conſumptum auctor eſt Herodianus lib. I.

Num.

TAB LXXII.

1

2




3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



Num. *Othonis*, cum Inſcr. PAX. ORBIS. TERRARVM. III.
*Pax* ſiniſtrâ *Caduceum*, & dextra *Oleæ* ramum tenens.

Num. *Sept. Severi*, cum Inſcr. FVNDATOR. PACIS. IV.
Imp. *Severus* togatus, ac velato capite, quaſi ſacrificaturus, dextra *Oleæ* ramum, ut *Pacis Fundator* præferens. Referenda huc illa Spartiani in Severo: *Poſt murum apud vallum miſſum in Britannia, cum ad proximam manſionem rediret, non ſolum Victor, ſed etiam in æternum PACE FVNDATA, volvens animo.* &c. Ipſe Severus jam moribundus apud eundem Spartianum: *Rempublicam ubique turbatam inveni, Pacatam etiam Britannis relinquo.* Hinc eſt, quod in Veteribus Inſcriptionibus Severus quoque vocetur PACATOR ORBIS.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IMP. X. Legati duo cum *ramis* V.
*Oleæ* in manibus, ad Auguſtum, pro tribunali ſellæ curuli inſidentem, accedentes, & Pacem ab eo petentes. Pacem enim petentium mos erat Oleæ ramos geſtare, ut Pacis & amicitiæ ſymbolum. Polybius lib. III. de Gallis ad Hannibalem venientibus: Οἱ δὲ τῶν ὁδὸν οἰκοῦντες, συμφρονήσαντες ἅμα δόλῳ, σωλήνων αὐτῷ, θαλλοὺς ἔχοντες καὶ στεφάνους· τοῦτο γὰρ τὸ χρεὼν παρὰ τοῖς Βαρβάροις ἐστὶ σύμβολα φιλίας, καθάπερ τὸ κηρύκειον τοῖς Ἕλλησιν. *Viæ accolæ conſpiratione facta, cum virentis olivæ ramis & coronis fiunt illi obviam. fere enim apud Barbaros hoc Pacis & amicitiæ ſignum eſt, ut apud Græcos Caduceum.* Hinc de Ænea ad Evandrum accedente, Virgilius ait:

*Paciferæque manu ramum prætendit Olivæ.*

Sic de Legatis Æneæ ad Regem Latinum:

*Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni*
*Centum Oratores, auguſta ad mœnia Regis*

*Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,*
*Donaque ferre Viro, pacemque exposcere Teucris,*

Nec non de Legatis Latini ad Æneam:

*Iamque Oratores aderant ex urbe Latina,*
*Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.*

Unde Tertullianus de Baptismo cap. VIII. *Columba cum Olea reversa, quod signum apud Nationes Paci prætenditur.* Ad rem ipsam, quæ heic designatur, quod attinet, Legatos hosce, A. Rubenius, ex braccis, quibuscum heic expressi, vult esse Parthos; quia Parthi scilicet eas gerebant. Auctores simpliciter Indos & Scythas vocant, qui per Legatos pacem ab Augusto petierunt. Eusebius in Chronico ad annum MDCCCCXCI. *Indi per Legatos ab Augusto amicitiam postularunt.* Suetonius in Augusto: *Qua virtutis, moderationisque fama Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam, populique Rom. ultro per legatos petendam.* Eutropius lib. *Scythæ & Indi, quibus antea Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & Legatos ad eum miserunt.* Dio Cassius lib. LIII. De Augusto in Samum reverso, ac non pauca negotia ibi conficiente, inter alia etiam hujus rei mentionem facit, cum scribit: Πάμπολλαι γὰρ δὴ πρεσβεῖαι πρὸς αὐτὸν ἀφίκοντο. καὶ οἱ Ἰνδοὶ προκηρυκευσάμενοι πρότερον φιλίαν, τότε ἐπείσαντο, δῶρα πέμψαντες. *Frequentes enim eò ad ipsum Legati commearunt; ac Indi pacem, quam antea per Oratores petierant, tum interposito fœdere sanxerunt, missis donis.*

VI. Num. *Vespasiani*, cum Inscr. PAX. AVG. *Pax* stans ante aram accensam, sinistra tenens *Oleam*, & dextra *Facem*, qua arma humi jacentia incendit. à tergo stat *Columna*, quam rectè A. Rubenius Bellonæ columnam esse putat, ex qua hasta emittebatur, cum bellum indiceretur. Festus: *Bellona dicebatur Dea bellorum,*

*ante*

*ante cujus templum erat Columella, quæ bellica vocabatur, ſupra quam haſtam jaciebant, cum bellum indicebatur.* Ovidius lib. VI. Faſtor.

*Proſpicit à tergo ſummum brevis area circum,*
*Eſt ubi non parvæ parva Columna notæ.*
*Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti*
*In regem & gentes, cum placet arma capi.*

Num. *Trajani*, cum Inſcr. COS. V. P. P. S. P. Q. R VII. OPTIMO. PRINC. & infra, PAX. Quæ heic ſimiliter *face* arma incendit, ſiniſtra autem *Cornucopiæ* tenet; ad omnium rerum abundantiam, quæ Pacis tempore eſſe ſolet, indicandam. Sic in

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. COS. IIII. PAX. AVG. VIII. Cernitur itidem *Pax* cum Cornucopiæ, & face arma incendens. Uti & in

Num. M. *Aurelii*, cum Inſcr. IMP. VIII. COS. III. P. P. IX. PAX AETERNA. Eodem ſchemate *Pax* expreſſa, cum *Cornucopiæ*, & *Face* arma comburens. Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis ad Marcum & Lucium: Καὶ ἡ σύμπασα οἰκουμένη τῇ ὑμετέρᾳ σωφροσύνῃ βαθείας εἰρήνης ἀπολαύουσιν. *Et univerſus hic terrarum orbis, veſtræ prudentiæ beneficio, altiſſimâ Pace perfruitur.* Vide & Ariſtidem Orat. in Regem, circa finem; nimis enim prolixus eſt locus, quam ut huc tranſcribi poſſit.

Num. *Titi*, cum Inſcr. PACI. PERPET. *Pax* ſiniſtro cu- X. bito *Columnæ* innixa, ad ſtabilitatem indicandam, cum *Olea* in ſiniſtra, & *Caduceo* in dextra manu. Sic in alio

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. PAX. AVGVST. *Pax* cerni- XI.

tur in ſella ſedens, ſiniſtra haſtam puram, & dextra Oleæ ramum tenens. Nec non in alio

XII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. PAX. AVG. SC. Videre eſt *Pacem* in Cathedra ſedentem, ſiniſtra *Cornu-copiæ*, & dextra *Caduceum* tenentem; ad deſignandum per *Pacem Auguſti*, quam firmam Sella & Cathedra innuunt, omnium rerum affluentiam.

## TABVLA LXXIII.

I. Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcr. PAX. AETERNA. AVG. *Pax* dextra *Oleam*, ſiniſtra haſtam puram tenens. Videtur hic Nummus cuſus, antequam Alexander ad Bellum Perſicum proficiſceretur, tum enim per quindecim fere annos Pax per Orbem Romanum erat.

II. Num. *Gallieni*, cum Inſcr. PAX. AETERNA. *Pax* feſtinanter progrediens, cum *Olea* in dextra, & *haſta* in ſiniſtra manu. Celeriter heic incedere videtur fingi, ad deſignandum, Pacem iſtis temporibus haud ita firmam, aut ſtabilem fuiſſe; ſed quamvis in æternum facta videretur, pro nationum levitate facile ruptam iri.

III. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. PAX. Cernitur heic Symbolum *Pacis*, duæ ſcilicet *Dextræ* junctæ, cum *Caduceo*, & duobus *cornibus Amaltheæ*. quod ex ſtabili Pace rerum Abundantia oriatur.

IV. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. COS. IIII. Pacis itidem Symbolum, *Dextræ* ſc. *junctæ* cum *Caduceo*, & *duabus ſpicis*, loco cornuum Amaltheæ.

V. Num. *Trajani*, cum Inſcr. ABVNDANTIA. Matrona *brachiis* pene *nudis*, dextra *ſceptrum* tenens, & *duobus Copiæ cornibus*

TAB. LXXIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



*bus* decuſſatim poſitis inſidens; omnium rerum *Abundantiam* deſignans ſub Trajani Imperio.

Num. *Elagabali*, cum Inſcr. ABVNDANTIA. AVG. VI. *Matrona* dextro pede *Globo* inſiſtens, & ambabus manibus Cornu copiæ inverſum tenens, ex quo omnis generis nummos, fluminis inſtar, profundit. Quo ſchemate Heliogabalus *Abundantiam ſuam* indicare vult. Quam prodigus autem & profuſus omnibus in rebus fuerit, neminem fugit, qui Vitam ejus apud Lampridium legerit, ubi inter innumeras alias profuſiones ipſius immenſas, quoque notat: *Naves onuſtas merſit in portu, magnanimitatis hoc eſſe dicens.*

Num. *Trajani Decii*, cum Inſcr. ABVNDANTIA. AVG. VII. *Abundantia* è Cornucopiæ *aureos* itidem effundens.

Num. *Quintilli*, cum Inſcr. UBERITAS AVG. *Matrona*, VIII. ſimili ſchemate, uti in Nummo Heliogabali, dextro pede *Globo* inſiſtens, & ex Cornucopiæ *Aureos* effundens; *Vbertatem* Aug. deſignans.

Num. *Gallieni*, cum Inſcr. UBERTAS. AVG. *Ubertas* IX. ſiniſtra *Cornucopiæ* geſtans, & dextra aliud *Cornu* inverſum, ſed ex quo nihil effluit, tenens.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. COS. IIII. *Cornucopiæ* in quo X. diſcernere licet ſpicas, uvas, alioſque fructus, ac præterea apicem in medio, quæ acies Vomeris, ſeu aratri eſt; cujuſmodi Vomer in omnibus fere Cornu-copiæ figuris in Nummis occurrit; ſed non ſemper æque bene à ſcalptoribus expreſſum eſt. Scribit Anton. Auguſtinus Dialog. II. Antiquitatum, ſuo tempore inventum fuiſſe Romæ, ingens æreum Cornu-copiæ, idque à ſe viſum, tractatumque, in quo vomer aperte ſpectabatur; & poſtea, Antiquarios diligenter iſtud in Nummis obſervaſſe.

Num.

XI. Num. *Hadriani*, cum Inscr. LIBERALITAS. AVG. COS. III. P.P. Matrona è Cornucopiæ *Aureos* effundens, *Liberalitatem* Hadriani designat. Spartianus in ejus Vita: *Ad comprimendam de se famam, congiarium duplex præsens populo dedit*; ternis jam per singulos Aureis *se absente divisis*. Et paullò pòst. *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum LIBERALITATIS adjecit. Senatoribus, qui non vitio suo decoxerant, patrimonium, pro liberorum modo Senatoriæ professionis explevit; ita ut plerisque in diem vitæ suæ dimensum sine dilatione restituerit. Ad Honores explendos, non solum amicis, sed etiam passim aliquantis, multa largitus est. Feminas nonnullas ad sustentandam vitam sumptibus juvit.*

XII. Num. *Antonini Pii*, LIBeralitas III. Imp. *Antoninus* super Tabulatum elevatum in Sella Curuli sedens, & ante eum *Matrona* è Cornu copiæ *Aureos* effundens, in sinum hominis per gradus appositos adscendentis. Schema *Congiarii* ab Antonino populo dati. Jul. Capitolinus: *Congiarium militibus ac populo de proprio dedit, & ea quæ pater promiserat.* Et paullò post: *Congiarium populo dedit; militibus donativum addidit.* Antonini tamen Prudentiam & Moderationem in spectaculis exhibendis, & congiariis largiendis laudat Marcus Aurelius Imp. lib. 1. τῶν εἰς ἑαυτὸν, § 16. ubi inter plurima alia, quæ à Patre acceperit, etiam recenset, Καὶ τὸ ἔμφρον & μεμετρημένον ἔν τε θεωρίων ἀπτελέσαι, καὶ ἔργων κατασκευαῖς, καὶ διανομαῖς, καὶ τοῖς τοιούτοις. *Et prudentiam & Moderationem in spectaculis exhibendis, fabricis exstruendis, congiariis dandis, aliisque istiusmodi rebus.*

TA-

# TAB LXXIIII.

1

2




3

4

5




6

7

8

9

10




11

12

# TABVLA LXXIV.

Num. *Philipporum*, *Patris* & *Filii*, cum Inſcr. LIBERALI- I.
TAS. AVGG. III. Imperatores *Philippi* ambo, uterque cum ſceptro eburneo, cui *Aquila* impoſita, in ſellis Curulibus ſedentes, ob Conſulatum, quem tunc ambo gerebant; in quo Conſulatu *Liberalitas* iſta, cujus Inſcriptio meminit, à Philippo præſtita. Jul. Capitolinus in Gordiano III. *Omnia hæc* (quæ Gordianus tertius coegerat) *Philippus exhibuit Sæcularibus Ludis, & Muneribus, atque Circenſibus, cum milleſimum ab Urbe condita annum in Conſulatu ſuo, & filii ſui celebravit.*

Num. *Commodi* cum Inſcr. TR. P. VIII. IMP. III. COS. II.
III. P. P. & infra LIBERAL. V. Sedet in Curuli heic Imp. *Commodus* in Tribunali erecto, ſeu ſuggeſto altiore, quo gradibus adſcenditur; ante eum in eodem ſuggeſtu adſtat Matrona ſiniſtra Cornucopiæ, dextra *Teſſeram* tenens, & quaſi diſtribuens, illamque homo per gradus illos adſcendens recipit. Sic enim Teſſeræ frumentariæ, vel Nummariæ in Tribunalibus, aut ſuggeſtis ad hoc ſpeciatim erectis, per gradus adſcendentibus ſingulis diſtribui ſolebant; quibus inſcriptum, quantum cuique largiendum. De hac Commodi *Liberalitate* Æl. Lampridius: *Congiarium dedit populo, ſingulis denarios ſeptingentos vicenos quinos; circa alios omnes parciſſimus fuit, quod luxuriæ ſumptibus ærarium minuerat.*

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. MVNIFICENTIA. AVG. P. III.
M. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. Cernitur heic *Elephas reticulatus*, ſive lorica indutus, ad *Munificentiam* Commodi in ludis exhibendis indicandam. Sic in Nummis Antonini Pii, & Sept. Severi, itidem videre eſt Elephantem re-

ticulatum expressum, cum Inscr. MVNIFICENTIA AVG. De Antonino Pio scribit J. Capitolinus : *Ad indulgentias pronissimus fuit. Edita munera, in quibus Elephantos, & corocottas, & strepsicerotas, crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto Orbe terrarum cum tigridibus exhibuit, centum etiam leones una missione edidit.* De Severi Munificentia in Ludis Xiphilinus ex Dione Cassio : lib. LXXV. Ἐγένοντο δὲ καὶ θέαι τινικαῦτα παντοδαπαὶ, ἐπί τε τῇ ἀνακομιδῇ τοῦ Σεβήρου, καὶ ἐπὶ τῇ δεκετηρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ ταῖς νίκαις. ἐν ταύταις ταῖς θέαις καὶ σύες τοῦ Πλαυτιανοῦ ἑξήκοντα ἄγριοι ἐπάλαισαν ἀλλήλοις ὑπὸ παραγγέλματος. ἐσφάγησαν δὲ ἄλλά τε πολλὰ θηρία, καὶ κοροκότας. *Tum edita sunt varia spectacula propter reditum Severi, & decennium principatus ejus, ac Victorias. in quibus spectaculis apri sexaginta Plautiani ex præcepto inter se colluctati sunt; cæsæque sunt aliæ permultæ bestiæ atque inprimis Elephas, & Crocota.* Idem de Spectaculis Commodi inter alia lib. LXXII. scribit: Ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ ταῦτ' ἐγένετο. ἐν δὲ ταῖς ἄλλαις τοτὲ μὲν βοτᾷ, κάτω ἐς τὸ τοῦ κύκλου ἔδαφος καταβαίνων ἄνωθεν, ὅσα ἐπλησίαζε, τὰ δὲ καὶ προσαγόμενα, ἢ καὶ ἐν δικτύοις αὐτῷ προσφερόμενα, κατέκοπτε, καὶ τίγριν ἔσφαξεν, ἵππον τε ποτάμιον καὶ ἐλέφαντα. *His igitur rebus primo die confectis, reliquis diebus descendit de superiore loco in solum theatri, altilesque bestias, quæcunque propius accederent, aut ad eum adductæ, vel in retibus ablatæ essent, occidit; tigrimque, & equum fluviatilem, & Elephantum interfecit.* Videantur porro Lampridius & Herodianus.

IV. Num. *Nervæ*, cum Inscr. CONGIAR. P. R. S. C. Schema *Congiarii* à Nerva cum Imperium adiret, Populo dati. Sedet heic quoque Nerva in Tabulato elevato, in sella Curuli, & ante eum alia figura sedens tesseras distribuit adscendentibus per gradus;

dus; adſtant præterea duæ figuræ in ſuggeſtu, quarum altera ſiniſtrâ haſtam, dextrâ *Congium*; altera verò dextrâ *Teſſeram* tenet. Hujus Congiarii à Nerva dati, nuſquam nobis Memoria, præterquam in hoc Nummo, conſervata eſt.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. CONG. II. DAT. POP. V. S C. *Nero* ſellæ Curuli in Tribunali erecto inſidens, in quo præterea duæ figuræ adſtant; Infra verò ante Tribunal adſtat figura *Teſſeras* diſtribuens, quas alia figura ſinu togæ excipit. De *Congiario* Neronis Tacitus Annal. lib. XIII. *Plebei congiarium quadringeni nummi viritim dati, & ſeſtertium quadringenties ærario illatum eſt, ad retinendam populi fidem.* Huc etiam faciunt, quæ habet Suetonius in Vita, Cap. XI. ubi de Ludis pro æternitate Imperii à Nerone celebratis agens, inter alia notat: *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per dies ſingula quotidie millia. Avium cujuſque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ, veſtis, aurum, argentum, gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, jumenta, atque etiam manſuetæ feræ: noviſſimè naves, inſulæ, agri.* Nec non Xiphilinus ex Dionis lib. LXI. Πάντα μὲν γὰρ τὰ πολυτελέστατα ἃ ἄνθρωποι ἐσθίουσι, πάντα δ' ἡμῖν τὰ ἄλλα τὰ τιμιώτατα, ἵππους, ἀνδραπόδια, ζεύγη, χρυσίον, ἀργύριον, ἐσθῆτα ποικίλην ἐδίδου διὰ συμβόλων. σφαίρια γὰρ μικρὰ γεγραμμένα ὡς ἕκαστα αὐτῶν τι ἔχοντα, εἰς τὸν ὄμιλον ἐρρίπτει, καὶ ἐδίδοτο ὅ, τι τις δι' ἐκείνων ἥρπασεν. *Etenim magnificentiſſima quæque & lautiſſima, quibus homines veſcuntur, cæteraque omnia pretioſiſſima, equos, mancipia, vehicula, aurum, argentum, veſtem diverſi generis per teſſeras quaſdam dabat. Iaciebat enim ad plebem parvos globos, quorum ſinguli aliquid eorum inſcriptum continebant, & ut quiſque teſſeram collegerat, ita ei dabatur.*

Num. *Titi*, cum Inſcr. CONGIAR. TER. P.R. IMP. VI. DAT. SC. Imp. *Titus* ſimiliter in Tabulato ſedens, & per

tesseras, adscendentibus per gradus, *Congiarium* plebi distribuens. De Spectaculis, & Congiariis à Tito Imp. in dedicatione Amphitheatri datis Dio Cassius lib. LXVI. Τοῦτα μὲν ἐς ὄψιν ἤκοντα ἐφ' ἑκατὸν ἡμέρας ἐγένετο· παρέσχε δέ τινα καὶ ἐς ὠφέλειαν φέροντα αὐτοῖς· σφαίρια γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἔρριπτε, σύμβολον ἔχοντα, τὰ μὲν ἐδωδίμου τινός, τὰ δὲ ἐσθῆτος, τὰ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλο χρυσοῦ, ἵππων, ὑποζυγίων, βοσκημάτων, ἀνδραπόδων· ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς ὁταμίας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν, καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον. *Fuere per centum dies spectacula ejus generis. Sed & plebi utile fuit, quod Titus parvos Globos ligneos de superiore loco jaceret in theatrum, qui tesseram continebant alicujus esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque, & jumentorum, & pecudum, ac mancipiorum. Quos globos qui rapuisset, attulissetque ad dispensatores Titi, quod inscriptum erat, consequebatur.* Hæc iisdem fere verbis leguntur apud Zonaram Annalium Tomo II. in Tito.

VII. Num. *Antonini Pii*, cum Inscr. LIBERALITAS. AVG. *Matrona*, dextra *Tabellam*, ut volunt, quadratam, cum notis, punctisvé inscriptis; siniſtra *Cornu-copiæ* tenens, *Liberalitatem* Imperatoris designans. Ant. Augustinus Dialog. II. Antiquit. hanc figuram accipit, pro lignea *Liberalitatis* statua, quam eo die spectandam, proponebant. Tabellam *quadratam* notis aut punctis distinctam, quidam pro Tessera accipiunt. Dio tamen tesseras, ut modo vidimus, σφαίρια, *globos*, appellat; non quod corpuscula fuerint undique globosa, sed plana & lata, nummorum instar, rotunda circumferentia terminata, quibus inscriptum erat, quantum, & quid unicuique largiendum. Cujusmodi rotundæ tesseræ, ex ebore factæ, ac numerorum notis insignitæ, hodièque in Antiquariorum Cimeliarchiis videre est; utplurimum autem tesseræ istæ ligneæ erant, aliquando quadratæ; aliquando longiores, quam

quam latiores. Quod verò Tabellam quadratam heic referre videtur, forsan est Mensuræ genus, qua frumentum admetiebatur.

Num. *Anton. Caracallæ*, cum Inscr. LIB. AVGG. Sedet VIII. heic in Tabulato erecto *Severus* Imp. cum filiis suis *Geta*, & *Caracalla*, Congiarium populo distribuens; ad Tabulatum, sive suggestum appositi sunt gradus, per quos adscendens tesseram recipit. Spartianus in Severo: *Profectus deinde ad bellum Parthicum est; edito gladiatorio munere & Congiario populo dato.* Herodianus lib. III. Histor. de Severo: Θυσίας τε καὶ ἑορτὰς, θέας τε καὶ πανηγύρεις τῷ δήμῳ παρέσχε. νομάς τε μεγαλόφρονας ἐπιδιδὺς, καὶ θέας τελέσας ἐπινικίους. *Sacrificia quidem festosque dies, & spectacula, ac celebritates populo indulsit, magnoque dato Congiario, & ludos pro victoria celebravit.* Cæterum ex hujusmodi gradibus, quos heic & in aliis Nummis erectos ad Tribunal, aut suggestum videmus, unde Largitiones istæ fiunt, omnino manifestum est, ut ab aliis, H. Valesio ad Ammianum, Jac. Gothofredo ad Cod. Theodos. ac post hos, ab Illustri E. Spanhemio Dissert. IX. de Præst. & Usu Numism. jam notatum, lapsum esse τὸν πάνυ Salmasium, ad Historiam Augustam, dum in Amphitheatri gradibus, omnes illas argenti & tesserarum largitiones, & postea etiam panum divisiones factas existimat; ac de iis interpretatur Inscriptionem antiquam, QVAE DIVISÆ SVNT POPVLO PER GRADVS, & Locutiones satis frequentes in Codice Theodosiano, *de Gradibus*, in *Gradibus*, & *Gradibus Panem distribuere.* Ex hisce enim, aliisque similibus Nummis satis constare potest, Locutiones istas *per Gradus*, aut *Panum Gradilium*, non alio respicere, quam ad Gradus erectos ante Tribunal, à quibus Tesseræ nummariæ, aut frumentariæ, ac postea id genus Panes quoque dividebantur. Optime vero idem Spanhemius ibidem contra Jac. Gothofredum ad Cod.

Theodoſ. Tom. V. pag. 240. animadvertit, haud proinde tamen hujuſmodi Nummos explicandos de *Panum* illorum *Gradilium* diſpenſatione, ſeu *Annonis Civicis*. Cum illæ *Annonæ* ſeu *Panes Civiles* quotidie diſtribui ſolerent, Nummi vero iſti, ſimileſque ad extraordinarias Imperatorum Largitiones pertineant; quas nempe in publicis feſtivitatibus Imperatores Populo aut militibus erogabant.

IX. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. PLEBEI. VRBANÆ. FRVMENTO. CONSTITVTO. Cernitur heic *Modius* cum *Spicis*, ad deſignandam forte extraordinariam quandam *Annonæ* Largitionem Urbi à Nerva factam; cujus rei tamen nullus alius, quam hic Nummus Index; vel potius Inſcriptio indicare videtur, certam & ſtabilem frumenti diviſionem; qualis menſtrua Principum Liberalitate Romæ conſtituta erat, cujus fidem, obſervante τῷ πάνυ E. Spanhemio, inter alios facit Philo Legatione ad Cajum, de Auguſto: οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν ταῖς μηνιαίοις τῆς πατρίδος διανομαῖς, ἀργύριον ἢ σῖτον ἐν μέρει παντὸς τοῦ δήμου λαμβάνοντος, οὐδέ ποτε τοὺς Ἰουδαίους ἠλάττωσε τῆς χάριτος. &c. *Domi quoque quoties menſtruas pecuniæ frumentique diſtributiones populus acciperet, Iudæorum rationem haberi voluit* &c.

X. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. IMP. XIX. *Modius frumentarius*, cum *Spicis*, &, ut videtur, *Panibus* ordine aggeſtis. Veſpaſiani rei frumentariæ curam indicans.

XI. Num. HADRIANI, cum Inſcr. ANNONA. AVG. *Modius* itidem cum *Spicis*, Hadriani diligentiam in Annona procuranda deſignans. Spartianus in ejus Vita: *Fuerunt ejus temporibus fames, peſtilentia & terræ motus, quæ omnia, quantum potuit, procuravit.* &c.

Num.

TAB. LXXV.

1

2

3

4

5

6

7



8

9

10

11

12

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. AVGVSTVS. Faſciculus *Spi-* XII.
*carum*, haud dubie ad frumenti diviſionem ab Auguſto factam, ejuſque ſtudium in Annona procuranda pertinet. Suetonius in ejus Vita, cap. XL. *Populi recenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſſa frequentius à negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm menſium teſſeras dare deſtinavit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus, ut ſui cujuſque menſis acciperet.* Et cap. ſeq. *Frumentum quoque in Annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio, viritim admenſus eſt.* Ipſe Auguſtus in Breviario Imperii Ancyræ reperto: CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. EMENSVS. SVM. Et Mox: CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAETVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEPIT. DEDI.

# TABVLA LXXV.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. ANNONA AVGVSTI. I.
S C. *Matrona* culta, dextra *Icunculam* quandam cum haſta in altera manu, ſiniſtrâ verò *Cornu-copiæ* tenens; ante eam adſtat *Modius* cum *Spicis*; à tergo alterum adeſt *Cornu-copiæ*, & præterea quid, quod alii *Navem*, alii verò *aratri ſtivam* eſſe volunt. Si Navis ſit, tunc referre videtur Annonæ procurationem iſtam à Veſpaſiano inſtitutam, de qua ſcribit Tacitus Hiſt. Lib. IV. cap. LII. *Tum Veſpaſianus celerrimas navium frumento onuſtas ſævo adhuc mari committit: quippe tanto diſcrimine Vrbs nutabat, ut decem non amplius dierum frumentum in horreis fuerit, cum à Veſpaſiano naves ſubvenere.*

Num.

II. Num. *Treboniani Galli*, cum Inſcr. ANNONA AVGG. *Matrona* dextra *Navis gubernaculum* globo impoſitum tenens, *Annonam Augg.* deſignans; aut quod frumentum navibus advectum fuerit, aut quod Annonæ Procuratio & Abundantia Imperium ſtabiliat, & conſervet.

III. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. ANNONA AVGVST. Sedet heic *Annona* tranquillo & ſecuro habitu, ſiniſtro ſcilicet cubito ſellæ innixa, & dextra *ſpicas* cum *papavere*, quod Cereri ſacrum ſupra ad Tab. LI. Num. IV. dictum, tenens; adſtat & *Modius* cum ſpicis.

IV. Num. *Titi Veſp.* cum Inſcr. ANNONA AVG. S. C. Sedet heic itidem *Annona*, ſiniſtro cubito cathedræ innixa, ad tranquillum & ſecurum ejus ſtatum indicandum, dextra *Menſuram frumentariam* tenens.

V. Num. *Trajani*, cum Inſcr. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. & infra: ALIM. ITAL. Imp. *Trajanus* togatus, *pueris* quibuſdam *ſpicas* porrigens. Pertinet enim hic Nummus ad *Alimentarios pueros* à Trajano per Italiam inſtitutos. Sic in alio

VI. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. & infra: ALIM. ITAL. Cernitur *Matrona* ſiniſtra, qua *Cornu-copiæ* tenet, veſtis laciniam expanſam, protectionis quaſi ſymbolum, ſuſtinens, & dextra *puero* adſtanti ſpicas præbens. Rem ipſam tangit Xiphilinus ex Dione: Εἰς ὃ τὴν Ῥώμην εἰσελθὼν, πολλὰ ἐποίησε πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν, καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν· ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπεμελήθη, ὡς ἐς ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τότε διεγγελῶν. *Poſtquam Romam venit, multa*

*fecit*

*fecit ad emendandum corrigendumque ſtatum Reipublicæ, atque in gratiam bonorum; ac Reipublicæ curam imprimis geſſit. Nam Civitatibus Italiæ multa largitus eſt ad educationem liberorum, in quas magna beneficia contulit.* Plinius in Panegyrico : cap. XXVII. *Quocirca nihil magis in tua tota Liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de tuo, ALIMENTA de tuo*; & antea cap. XXVI. *Vt jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur; Creſcerent de tuo, qui creſcerent tibi, ALIMENTISQVE tuis ad ſtipendia tua pervenirent; tantumque omnes uni tibi, quantum parentibus ſuis quiſque, deberent.* Et paullò pòſt : *Hæc prima parvulorum civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus ALIMENTA, hoc maximum præſtitiſti, ne rogarent.* Meminit & Spartianus in Hadriano, qui Trajani exemplum ſecutus : *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus ALIMENTA detulerat, incrementum liberalitatis adjecit.* Hinc Inſcriptio antiqua apud Gruterum pag. M. LXXXIIII. n. 7.

IMP. NERVÆ. TRAIAN. AVG.
GERM. P. MAX. TRIB.
POTEST. COS. IIII. P.P.
NOMINE. PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX S.C. P.

VII. *.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. INDVLGENTIA. AVG. VIII. COS. IIII. S.C. *Matrona* in Cathedra ſedens, ſiniſtrâ haſtam tenens, dextrâ protenſâ. *Indulgentiam Antonini Pii* deſignans. Jul. Capitolinus de Eo : *Ad Indulgentias proniſſimus fuit.*

IX. Num. *Poſtumi*, cum Inſcr. INDVLG. PIA. POSTVMI. AVG. Imp. *Poſtumus* togatus, & laureatus, in ſella Curuli ſedens, hominem in genua prolapſum, & *Indulgentiam* ejus implorantem, dextra protenſa ſurgere jubet. Sive per *Indulgentiam*, heic tributorum remiſſionem à Poſtumo Gallis præſtitam, intelligere debeamus, uti in Nummo Severi, cujus ſupra Tab. XLVIII. facta mentio INDVLGENTIA. AVG. IN. CARTH. ſive Nummus deſignet ſingularem Criminum remiſſionem, & gratiam à Poſtumo factam.

X. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. RELIG. AVG. IMP. II. COS. III. S C. *Mercurius* cum galero alato in capite, ſiniſtra *Caduceum*, & dextra *pateram* tenens; *Religionem* M. Aurelii deſignans, uti Inſcriptio docet. Verum, cur Mercurius heic pro Religione poſitus? An propterea, ut quidam volunt, quod Mercurius ſacrificia & Deorum cultus inſtituerit? Sic enim Diodorus Siculus lib. I. de Mercurio : ὑπὸ γὰρ τούτου πρῶτον μὲν &c. τήν τε εὕρεσιν τῶν γραμμάτων γνῶναι, καὶ τὰς περὶ τὰς τῶν θεῶν τιμὰς καὶ θυσίας διαταχθῆναι. *Hic enim primus* &c. *Literas invenit*, *Deorum cultus*, *& ſacrificia ordinavit.* An vero, quod M. Aurelius Mercurium ſumma veneratione præ aliis Diis proſecutus ſit? An denique, quod *Mercurius*, tanquam *Medicurrius*, mortalium Vota, preceſque non tantum ad ſuperos, ſed etiam ad inferos deos perferat; quomodo Imperator indicare voluerit, ſecundum interioris Philoſophiæ placita, cultum religioſum nullum eſſe alium, quam qui in animo conſiſtit; quando ſcilicet Vota preceſque mente conceptæ, devota ac pia meditatione Diis offeruntur, quarum internuncius Mercurius eſt. Sic in alio

XI. Num. *Ejuſdem* Imp. cum Inſcr. IMP. VI. COS. III. S C. & infra, RELIG. AVG. Cernitur *Templum*, in cujus medio adſtat Deus, cui dicatum eſt. Hunc etiam volunt eſſe *Mercurium*, propter

TAB. LXXVI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

propter rationes modo indicatas, aut similes, nisi quis meliores in medium adducere queat.

Num. *Decii, filii*, cum Inscr. PIETAS. AVGG. *Mercurius* itidem cum galero soluto in capite, cætera nudus, nisi quod Ephebica chlamide sinistrum habeat tectum humerum; sinistra *Caduceum* & dextra *Marsupium* ferens. De Marsupio Mercurii quædam in præcedentibus notata, quibus adde sis Suidam in Ἑρμῆν, ubi inter alia scribit: λέγουσι δὲ αὐτὸν καὶ τοῦ κέρδους αἴτιον, καὶ τῶν ἐμποριῶν ἔφορον. ὅθεν τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἱστῶσι βαστάζον μάρσυπον. *Ipsum etiam quæstus auctorem & mercaturæ inspectorem dicunt. Quamobrem ipsius statuam statuunt gestantem marsupium.* Hinc quoque Gregorius Nazianzenus Orat. I. contra Julianum Imp. Edition. Savilianæ pag. 77. πῶς οὖν ὁ Κερδῶος αὐτοῖς σταθήσεται, καὶ τὸ Σακέλλιον προβληθήσεται, καὶ ἡ κλεπτικὴ δύναμις τοῦ Θεοῦ τιμηθήσεται; &c. XII.

# TABVLA LXXVI.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. PIETAS AVG. *Matrona* modesto cultu, stans ante *Aram* manibus expansis, *Pietatem* Hadriani Imp. indicans. I.

Num. *Valeriani Salonini*, cum Inscr. PIETAS AVG. Cernuntur heic varia Sacerdotalia instrumenta. *Lituus* scilicet, *Secespita*, *Vrceolus*, *Simpulum* sive *Simpuvium*, & *Aspergillum*; quorum omnium quæ fuerit forma ex hoc Nummo apparet; Usum autem in Sacris quem habuerint notabimus ad Tabulam XC. Heic *Pietatem* Valeriani Salonini designant in adeundo Imperio. Moris quippe erat hujusmodi Sacrorum Instrumenta in Nummis signa- II.

re auſpiciis novi Imperatoris, aut Cæſaris; ut ſcilicet viderentur Imperium à rerum divinarum cura auſpicari. Sic in

III. Num. *Ant. Caracallæ*, cum Inſcr. DESTITATO IMPERAT*ori*. Expreſſæ ſunt hujuſmodi Sacrorum Inſtrumenta, *Lituus*, *Apex*, *Ara cornuta*, & *Simpuvium*, *Deſtinato Imperatori* dedicata.

IV. Num. *Druſi*, cum Inſcr. PIETAS. *Caput muliebre* vittatum, & velatum, quia Sacrificantes olim velati, uti ſatis notum ex Virgilio, Macrobio, Servio, Plutarcho, aliisque.

V. Num. *A. Hirtii* cum Inſcr. PIETAS. *Caput muliebre*, elegans, comatum, cum inauribus, & monili circa collum. *Pietatis* effigiem referens. Sic in

VI. Num. *Iul. Cæſaris* ſine Inſcriptione quidem, ſed in quo *Pietatis* effigies expreſſa per Caput Muliebre cum vitta, & *Ciconia*, quæ *Pietaticultrix* vocatur à Petronio, ob admirandam ſcilicet Pietatem, qua Parentes ſuos in ſenectute vehere & alere creditur. qua de re præter alios S. Epiphanius in Phyſiologo cap. XXV. τὸ γὰρ ὄρνεον τοῦτο τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα ἀπὸ εὐσεβείας θαυμασίας γηροβόσκει. *Hæc enim avis patrem & matrem admiranda pietate in ſenectute alit.* Ambroſius in Hexam. lib. V. cap. XVI. *Aves non erubeſcunt reverendi ſenis membra portare, eſt enim vectura pietatis. quod eo uſque frequenti teſtificatione percrebuit, ut congruæ remunerationis invenerit mercedem. Nam Romanorum uſu PIA AVIS vocatur; & quod vix uni Imperatori Conſulto Senatus delatum dicitur, hoc iſtæ aves in commune meruerunt.*

VII. Num. *Luc. Antonii*, Marci Triumviri fratris, cum Inſcript. PIETAS. COS. Imago *Pietatis*, dextra *Navis gubernaculum*, & ſiniſtra *Cornu-copiæ* tenens; ante pedes adſtat *Ciconia* Pietatis Symbolum,

bolum, ut modo dictum. Qua de re Philo Judæus lib. de Decalogo ita quoque ſcribit : Τῶν πελαργῶν οἱ μὲν γηραιοὶ καταμένουσιν ἐν ταῖς νεοττιαῖς, ἀδυνατοῦντες ἵπτασθαι· οἱ δὲ τούτων παῖδες, ὀλίγου δέω φάναι, γῆν καὶ θάλατταν ἐπιπετόμενοι, πανταχόθεν ἐκπορίζουσι τοῖς γονεῦσι τὰ ἐπιτήδεια· καὶ οἱ μὲν ἀξίως τῆς ἡλικίας ἠρεμοῦντες, ἐν ἀφθονίᾳ διατελοῦσι τῇ πάσῃ τρυφῶντες· οἱ δὲ τὰς εἰς τὸν πορισμὸν κακοπαθείας ἐπελαφριζόμενοι, τῷ εὐσεβεῖν καὶ τῷ προσδοκᾷν ἐν γήρᾳ τὰ αὐτὰ πείσεσθαι ὑπὸ τῶν ἐγγόνων ἀναγκαῖον ὄφλημα ἀντεκτίνουσιν ἐν καιρῷ. &c. *Ciconiæ ſenes impotes volandi, nido ſe continent : ex his prognatæ terra marique volitant, & cibos parentibus adferunt. Sic illi, ut earum ætate dignum eſt, quiete fruuntur & copia : juniores vero laborem comportandi ſolantur Pietate, & ſpe recipiendæ in ſenectute gratiæ, debitum perſolventes interim quod tempus poſtulat.* &c.

Num. Ejuſdem *Luc. Antonii* cum Inſcr. PIETAS. COS. VIII. *Pietas* itidem ſub matronæ ſpecie, tenens dextra *Arulam* accenſam, ſiniſtra verò *Cornucopiæ*, cui duæ *Ciconiæ* inſident. De Ciconiarum Pietate in parentes Baſilius Magnus in Hexaem Homil. VIII. inter alia hæc habet : Ἡ δὲ περὶ τοὺς γηράσαντας τῶν πελαργῶν πρόνοια ἐξήρκει τοὺς παῖδας ἡμῶν εἰ προσέχειν ἐβούλοντο, φιλοπάτορας καταστῆσαι. *Pietas autem & obſequium ciconiarum erga ſuos ſenio confectos parentes, ſatis profecto liberos noſtros benevolos atque obſervantiſsimos efficere poteſt, modo mentem adhibere velint.* Mox ſubjicit : Ἐκεῖνοι τὸν πατέρα ὑπὸ τοῦ γήρως πτεροῤῥυήσαντα περιστάντες ἐν κύκλῳ τοῖς οἰκείοις πτεροῖς διαθάλπουσι, καὶ τὰς τροφὰς ἀφθόνως παρασκευάζοντες, τὴν δυνατὴν καὶ ἐν τῇ πτήσει παρέχονται βοήθειαν, ἠρέμα τῷ πτερῷ κουφίζοντες ἑκατέρωθεν. καὶ οὕτω τοῦτο παρὰ πᾶσι διαβεβόηται ὥς τε ἤδη τινὲς

τὴν τῶν εὐεργετημάτων ἀντίδοσιν ἀντιπελάργωσιν ὀνομάζουσι. *Illæ genitorem per senium defluxu pennarum degravescentem, suismet pennis circumdatum fovent, & abundè victum lauteque subministrantes, subsidium etiam ei quoad fieri potest, in ipso volatu præstant, sensim utrinque suis eum sublevantes alis. Idque adeo divulgatum est, adeoque notum, ut quidam harum ipsarum alitum nomine vicariam gratiæ redditionem appellent* ἀντιπελάργωσιν.

IX. Num. *I. Cæsaris*, cum Inscr. CAESAR. *Æneas*, patrem *Anchisen*, & *Palladium* ex incendio Trojæ ferens. Ovidius lib. IV. Fastorum:

*Hinc satus Æneas, PIETAS spectata per ignes*
*Sacra, Patremque humeris, altera sacra, tulit.*

Idem lib. XIII. Metamorph.

—— *Sacra, & sacra altera, Patrem*
*Fert humeris, venerabile onus, Cythereius heros.*

A Julio Cæsare autem Æneas, ut Pietatis in Parentem Symbolum, in Nummis expressus, utpote qui gentis Juliæ originem ab eo deducere voluerit.

X. Num. *Sexti Pompeii*, cum Inscr. PRÆF. CLAS. ET ORÆ MARIT. EX. SC. In hoc Nummo quoque à Sexto Pompeio, Magni filio, qui *Pius* vocari voluit, *Pietatis* Symbolum expressum est, fratrum nimirum Catanensium, *Amphinomi* & *Anapii*, qui cum incendio montis Ætnæ, Catana, Urbs Siciliæ, igneo rivo oppressa esset, per medias flammas parentes suos humeris exportarunt. Qua de re præter alios Solinus cap. XI. *Inter Catanam*, inquit, *& Syracusas certamen est de illustrium fratrum memoria: quorum nomina sibi diversæ partes adaptant. Si Catanenseis audiamus, Anapius fuit & Amphinomus; si quod malunt Syra-*

*Syracuſæ, Emantium putabimus & Critonem. Catanenſis tamen regio cauſam dedit facto. in quam cum ſe incendia Ætnæ protuliſſent, juvenes duo ſublatos parentes evexerunt inter flammas illæſi ignibus. Horum memoria ita poſteritas munerata eſt, ut ſepulchri locus nominaretur CAMPVS PIORVM.* Elegantiſſime hanc hiſtoriam deſcribit Corn. Severus in Ætna, ubi inter alia hæc habet:

*Amphinomus, fraterque pari ſub munere fortes,*
*Cum jam vicinis ſtreperent incendia tectis,*
*Adſpiciunt pigrumque patrem, matremque ſenemque,*
*Eheu defeſſos poſuiſſe in limine membra.*
*Parcite avara manus diteis attollere prædas;*
*Illis divitiæ ſolæ materque paterque,*
*Hanc rapiunt prædam: mediumque exire per ignem,*
*Ipſo dante fidem properant.* &c.

Vid. Val. Maximus lib. V. cap. IV. Strabo lib. VI. Pauſanias in Phocicis, Silius Italicus lib. XIV. De *Præfectura* porro *Claſſis & Oræ Maritimæ*, cujus meminit inſcriptio, Sexto Pompeio à Senatu delata videndi Velleius Paterculus lib. II. item Appianus Alexandrinus Bellor. Civil. lib. IV. & Dion Caſſius lib. XLVI. Intermedia figura cum Tridente in dextra manu, altero pede navi impoſito, Neptunum repræſentat, cujus filius, Sextus dici voluit, uti notatum ad Num. VIII. Tab. XXXVI.

Num. *Gentis Herenniæ*, cum Inſcr. M. HERENNI. *Pietatis* itidem Symbolum, Æneas Anchiſem humeris ferens, ut quidem Fulvius putat; ſed qui Nummum diligentius inſpexerit, figuram illam humeris ſublatam ex mammâ detectâ, & facie, facile agnoſcit mulierem eſſe; ideoque potius ad alterum fratrum Catanenſium, de quibus præcedenti Nummo, hoc exemplum referendum videtur. XI.

Num.

XII. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. P. TR. P. COS. III. S.C. *Æneas Anchiſem* cum *Penatibus* humeris ferens, & parvus *Iulus* ad manum ſequens. Æneas apud Virgilium lib. II.

*Ergo age, chare pater, cervici imponere noſtræ:*
*Ipſe ſubibo humeris, nec me labor iſte gravabit.*
*Quo res cunque cadent, unum & commune periclum,*
*Una ſalus ambobus erit: mihi parvus Iulus*
*Sit comes.* &c.

Et mox:

*Tu genitor cape ſacra manu, Patrioſque Penates:*
*Me, bello è tanto digreſſum, & cæde recenti*
*Attrectare nefas, donec me flumine vivo*
*Abluero.*
*Hæc fatus, latos humeros, ſubjectaque colla*
*Veſte ſuper, fulvique inſternor pelle leonis,*
*Succedoque oneri, dextræ ſe parvus Iulus*
*Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus æquis.*

Melior huic Nummo præ hiſce Virgilii verbis, Commentarius dari nequit, adeo graphice ſingula expreſſa.

# TABVLA LXXVII.

I. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. PIETATI. AVG. COS. IIII. *Pietas* Orbem terrarum dextra tenens propter Imperium, & ſiniſtro brachio *infantem nudum* ferens, adſtantibus duobus aliis veſtibus indutis. Indicatur Pietas Antonini ob inſtitutos Pueros, Puellasque Alimentarios. Horum meminit Inſcriptio Antiqua apud Gruterum pag. MXXII. n. 6.

T. AE-

TAB. LXXVII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG
PII. PONT. MAX
TRIB. POT. XIII
IMP. II. COS. IIII. PP
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI

Et alia ibidem n. 7.

DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMENTARI

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. PIETAS. AVGG. SC. II. *Pietas* velata ſedens, & dextra haſtam puram tenens, ſiniſtra protenſa ſuper caput trium puerorum nudorum adſtantium. Pertinet Nummus ad *Pietatem Auguſtorum M. Aurelii* ſcilicet & *L. Veri*, quâ Alimenta pueris puelliſque conſtituerunt. J. Capitolinus in Marco: *Ob hanc Conjunctionem pueros & puellas novorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præceperunt.* Paullò poſt etiam idem Capitolinus de Marco ſcribit: *De Alimentis publicis multa prudenter invenit.*

Num. *Domitiæ*, uxoris Domitiani Imp. cum Inſcr. PIETAS. III. AVGVST. *Domitia*, Pietatis habitu, velata ſedens, cum haſta pura in ſiniſtra manu, & dextra impoſitâ humeris Filii adſtantis. Videtur deſignari *Pietas*, quam Domitia in Cæſare filio educando & tutando adhibuit.

Num. *Matidiæ*, neptis Trajani Imp. ex ſorore Marciana, cum IV.

Inſcr. PIETAS. AVGVST. *Pietas*, vel potius *Matidia* ipſa ſub ejus habitu, ſtans, & duabus puellis hinc inde adſtantibus manus imponens. Indicatur Pietas, qua binas filias *Sabinam* & *Matidiam* Juniorem, (de quibus vide quæ habet M. Velſerus in Notis ad Monumenta Auguſt. Vindelic. p. 229.) educavit.

V. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. PIETATI. AVGVSTI. Imp. *Galba*, laureatus & togatus, in Curuli ſedens, ſiniſtra Orbem terrarum ad Imperium deſignandum tenet, & dextram protenſam capiti Juvenis adſtantis, forte *Piſonis* à ſe in filium adoptati, imponit; adeo ut heic ſignificetur Galbæ in adoptando Pietas. Sunt etiam qui putent, indicari pueros Alimentarios à Galba inſtitutos. Qua de re tamen altum ſilentium apud Auctores.

VI. Num. *Commodi*, cum Inſcr. PIETATI SENATVS, & infra: COS. V. P. P. *Senatus*, qui pingebatur, ut Vir grandævus, veſte purpurea, & corona ornatus, ut ſupra ex Xiphilino audivimus, cum Imperatore Commodo dextras jungit, in ſignum Fidei: Nummus forte cuſus, in memoriam ejus, quando à Senatu *Pii* cognomen Commodo datum. Æl. Lampridius in Vita: *Inter hæc Commodus, Senatu ſemet vidente, cum adulterum matris Conſulem deſignaſſet, appellatus eſt PIVS.* &c.

VII. Num. *Caji Caligulæ*, cum Inſcr. C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. III. P. P. & infra: PIETAS. Sedet heic *Pietas* Deæ inſtar, velato capite, dextera pateram tenens; à tergo adſtat figura pueri aut puellæ ſeminuda. Deſignat Pietatem Caji in dedicando Templo D. Auguſti, quod in altera hujus Nummi parte cernitur, & Cajus in eo ſacrificans. De cujus Templi dedicatione Dio lib. LIX. Ἐκ δὲ τούτου τὸ ἡρῷον τὸ τοῦ Αὐγούστου ὡσίωσε, τὴν ἐπινίκιον στολὴν ἐνδύς· καὶ οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες, ὅτοι γε καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαν, &c.

&c. *Deinde* (Cajus) *habitu triumphali Templum Augusti dedicavit, nobilissimis pueris patrimis, quorum uterque parens superstes esset cum talibus etiam virginibus hymnum canentibus.* &c.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. P.M. TR. P. COS. III. PIETAS. *Pietatis* imago velato capite, dextram extendit manum, quasi Vota susciperet. Pietatem Hadriani ut singularem laudat Pausanias in Atticis hisce verbis: καὶ ἀπὸ τῶν δε φυλὰς ἔχουσιν, Ἀττάλου τοῦ Μυσοῦ, καὶ Πτολεμαίου τοῦ Αἰγυπτίου, καὶ κατ' ἐμὲ ἤδη βασιλέως Ἁδριανοῦ τοῦ τε ἐς τὸ θεῖον τιμῆς ἐπιπλεῖστον ἐλθόντος, καὶ τῶν ἀρχομένων ἐς εὐδαιμονίαν τὰ μέγιστα ἑκάστοις παρασχομένου. *Sunt etiam illic statuæ Attali Mysi, & Ptolemæi Ægyptii, &, penes quem ætate mea Imperium fuit, Hadriani, qui & Deos omnium religiosissime coluit, & populorum quotquot ipsi parebant, felicitati maxime consuluit.* VIII.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. PIETAS AVG. *Pietas* velato capite sedens, Deæ instar, dextera pateram, & sinistra *hastam puram* tenens. IX.

Num. *Ælii Cæsaris*, cum Inscr. TR. POT. COS. II. PIETAS. *Pietas* velata, stans ante Aram accensam, dextra protensa, quasi Vota faciens, & sinistra patera libans super Aram. X.

Num. *Valeriani*, cum Inscr. PIETAS AVGG. Cernuntur heic Imperatores *Valerianus* & *Gallienus*, ambo capite velato, ad eandem Aram accensam sacrificantes, quo modo *Pietatem* suam erga deos designare volunt. XI.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. PONT. MAX. TR. POT. COS. III. PIET. AVG. SC. *Pietas* velata, cum hasta pura in manu sinistra, stans ante Aram sine foco, & dextram elevatam cum patera tenens. XII.

# TABVLA LXXVIII.

I. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. TR. POT. COS. II. & infra: PIETAS. *Pietas* ſtans ante *Aram* accenſam; dextra *Victimam* ad Aram quaſi trahit, & ſiniſtra manu *Caniſtrum* floribus repletum tenet, Deo conſecrandum ex ritu. De hujuſmodi Caniſtro Euripides Iphigeniâ in Aulide:

> Κανᾶ δ' ἐναρχέσθω τις· αἰθέσθω δὲ πῦρ
> πεφχύται καθαρσίοισι. —— ——
>
> *A caniſtro auſpicetur aliquis, ardeatque ignis*
> *Placentis hiſtralibus.*

De Antonini porro Pietate Pauſanias in Arcadicis, ſive lib. VIII. Τοῦτον Εὐσεβῆ τὸν βασιλέα ἐκάλεσαν οἱ Ρωμαῖοι, διότι ἐς τὸ θεῖον πιμῇ μάλιστα ἐφαίνετο χρώμενος. *Hunc Romani Pium appellaverunt, quod ſummum in honorando numine divino ſtudium præ ſe ferebat.*

II. Num. *Lucillæ Auguſtæ*, Imp. L. Aurelii Veri uxoris, cum Inſcr. PIETAS. *Pietas* velato capite, ſive potius ipſa *Lucilla*, Pietatis habitu, ante aram accenſam ſedens, ſiniſtrâ *Acerram* tenet & dextrâ protenſâ Vota concipit.

III. Num. *Fauſtinæ* Majoris, cum Inſcr. PIETAS. AVG. *Fauſtina* Pietatis habitu, velata, ſtans ante aram accenſam, ſiniſtrâ *acerram* tenens, & dextræ manus compreſſa duobus digitulis thura in ignem ſuper aram injiciens. In hoc enim nummo mos iſte Veterum expreſſus, quo ſummis digitis thura Diis offerre ſolebant. quem tangit D. Hieronymus Epiſt. I. *Non eſt tantum in ea ſervitus, ſi quis duobus digitulis thura in buſtum aræ jaciat.* &c.

Num.

# TAB. LXXVIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *M. Aurelii*, cum Inscr. PIETAS. AVGVST. *Pietas* velata, cum Acerra in sinistra manu, & dextrâ protensâ Vota concipiens. De Pietate M. Aurelii Imp. Aristides Oratione in Regem: Ἀλλ' οὕτως ἐμέλησαν αὐτοῦ τοῖς θεοῖς ὅπως ὁσίως καὶ εὐσεβῶς ἐπιστήσεται τοῖς πράγμασιν, ὥστε ἃ μὲν τῆς μανίας καὶ ἀπονοίας ἔργα ἦν, ἑτέροις ἀνέθηκεν· ἃ δὲ τῆς δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας, καὶ τῆς ἄλλης εὐσεβείας τούτῳ διεφύλαξε. *Tantam enim Dii curam adhibuerunt, quo pie & innocenter ad regnum accederet, ut ea, quæ furoris erant & amentiæ, aliis attribuerint, quæ Iustitiæ, Humanitatis & Pietatis, ipsi reservarint.* Et paullò post: Ὁ δὲ, οὕτως ἐξηγεῖται καὶ διέπει τὸ τῆς ἀρχῆς, ὅνπερ χρὴ τρόπον· τὴν εὐσέβειαν μὲν καὶ δικαιοσύνην, ἔτι δὲ σωφροσύνην καὶ ἐγκράτειαν καὶ φρόνησιν, καὶ τὴν ἄλλην κόσμου γε ἀρετήν. ἤρξατο μὲν γὰρ ἀπὸ εὐσεβείας ὥσπερ προσήκει. &c. *Ipse verò recte regnum administrat Pietatem, Iustitiam, Temperantiam, Modestiam, Prudentiam, & alias omnes virtutes colens. Nam à Pietate, ut oportebat exortus est.* &c. IV.

Num. *Faustinæ* Majoris, cum Inscript. PIETAS. AVG. S C. *Ara*, super quam focus accensus, designans *Pietatem* Antonini Pii, quam in mortua uxore consecranda ostendit. V.

Num. *Triumvirorum*, cum Inscript. SALVS. GENERIS. HVMANI. Cernuntur heic Triumviri, *M. Antonius*, qui ex Lituo, ut Augur, cognoscitur, medius inter *Cæsarem* Octavianum, & *M. Lepidum*, stantes ante Tripodem Apollinis & fœdus de Imperio Rom. quod heic per *Orbem* Terrarum, quem super Tripodem sustinent, indicatur, inter se dividendo ineuntes; ad pedes eorum sedet *Concordia*, sinistra *Caduceum*, & dextra *Cornu-copiæ* tenens. Designare volentes, quasi per Concordiam Triumvirorum, omnium rerum *Abundantia*, ac *Pax*, denique *Salus generis Humani* procu- VI.

rata fuerit. cum tamen Hiſtoriarum iſtorum temporum monumenta teſtentur agros nunquam majoribus vaſtationibus obnoxios, Italiam proſcriptionibus civium ex hauſtam, & ſanguinis civilis cruore ipſos fluvios tinctos, denique Orbem terrarum ex horum conjuratione concuſſam, & penitus quaſſatam fuiſſe. Sic in alio

VII. Num. *Eorundem* III. Virorum, cum ſimili Inſcr. SALVS. GENERIS. HVMANI. cernuntur *Tres dextræ* invicem junctæ & complicatæ, complectentes *Caduceum* & *Faſcem*: adeſt *Securis Victimaria*, & *Orbis*, ſive *Sphæra*. Deſignatur hoc ſchemate, ex Triumvirorum Concordia, Orbi Terrarum Felicitatem & Pacem, quam *Caduceus* indicat, nec non Iuſtitiæ Vigorem, quem *Faſcis* deſignat, denique Religionis Curam, quam *Securis* ſignificat, partam; atque adeo *Salutem generis Humani* eſſe. Quod quomodo inde factum, modo audivimus.

VIII. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. SALVS GENERIS HVMANI. *Corona querna* cum glandibus, qualis ob *Cives ſervatos* dari ſolebat, unde *Civica* dicta. Hanc *Auguſtus* meliori titulo poſt Pacem Imperio redditam in Nummis retulit. Faciunt huc illa Plinii lib. XVI. cap. IV. *Dedit hanc* (de Roſtrata loquitur) *Auguſtus coronam Agrippæ; ſed CIVICAM à genere humano accepit ipſe.* Et lib. XXII. cap. VI. *Ipſum Auguſtum cum M. Cicerone Filio conſulem, idibus Septembris, Senatus Obſidionali donavit, adeo CIVICA non ſatis videbatur.* Philo Judæus in Legatione ad Cajum de Auguſto: Οὗτός ἐστι Καῖσαρ, ὁ τὰς καταῤῥαξάντας πανταχόθι χειμῶνας διώσας, ὁ τὰς κοινὰς νόσους ἑλλήνων καὶ βαρβάρων ἰασάμενος, αἳ κατέδησαν μὲν ἀπὸ τῶν μεσημβρινῶν καὶ ἑῴων, ἔδραμον δ' καὶ μέχρι δύσεως καὶ ἄρκτου, τὰ μεθόρια χωρία καὶ πελάγη καταπλήσασαι τῶν ἀβλήτων. &c. *Hic eſt Cæſar ille, qui depulſis procellis undequaque ruentibus ſerenitatem Orbi reſtituit, qui calamitatibus publicis tum Græcarum, tum Barbararum gen-*

*gentium attulit remedia, quæ exortæ ab Oriente ac Meridie percurrerunt usque ad Occidentem & Septentrionem intermediis terris repletis omni malorum genere. Hic est ille, qui solus provincias quotquot sunt exemit vinculis. Hic est ille, qui & aperta bella sustulit & occulta latrocinia. Hic est ille, qui mare vacuatum navibus piraticis, reddidit plenum onerariis. Hic Civitates universas libertate donavit, res perturbatas reduxit ad certum ordinem, gentes feras & abhorrentes à cæterarum commercio, formavit ad mansuetudinem societatis hominum. Hic Græciæ longe promovit pomœria, tractus vero Barbarorum oportunissimos mutavit in Græciam. Hic Pacis custos, Iuris æquus moderator, Gratiarum profusus largitor, omnium bonarum rerum quamdiu vixit, communicator.* &c.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. SALVS. GENERIS. HVMANI. *Victoria alata*, quæ sinistrâ Palmam, & dextra Coronam lauream tenet, Orbi insistens. Sic in alio IX.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. SALVS. GENERIS. HVMANI, cernitur *Victoria* advolans, quæ Columnæ aptat *Coronam Civicam* cum *Clypeo Votivo.* utraque designans in Victoriis Augusti, *Salutem generis Humani* sitam fuisse. X.

Num. *Hadriani*, cum Inscr. ANTINOOC. Caput *Antinoi*, quem, ut notum, Hadrianus in deliciis habuit; unde & in alio XI.

Num. *Ejusdem Hadriani*, cernitur idem *Antinous* equo insidens, & dextra *Caduceum* tenens, ut Mercurium referat; quippe quem mortuum consecravit. Spartianus in Hadriano: *Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit; quem muliebriter flevit, de quo varia fama est; aliis eum devotum pro Hadriano asserentibus; aliis quod & forma ejus ostentat, & nimia voluptas Hadriani. & Græci quidem, volente Hadriano, eum consecraverunt, oracula per eum dari asserentes: quæ Hadrianus ipse composuisse jactatur.* Quod XII.

autem

autem Antinous heic Mercurium referat, id ideo factum, ut optime obſervat & variis exemplis probat in Comment. ad Numiſm. Imperator. Rom. Doctiſſ. A. Rubenius, quia Mortuos, quos divinis Honoribus afficere volebant, Veteres ſæpe habitu & nomine majoris alicujus Dei ornabant. Sic Reges *Iovis* habitu honorati, Reginæ *Iunonis*, aut *Cereris*, Puellæ *Veneris*, Pueri *Cupidinis*, Juvenes *Liberi*, aut *Mercurii* inſignibus; uti Antinous heic, & in aliis Nummis.

# TABVLA LXXIX.

I. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. SALVS. GENERIS. HVMANI. Fæmina ad aram accenſam accedens, & dextro pede *Orbem* premens, dum ſiniſtra *Clavum* Navis, hoc eſt Reipub. teneat, & dextrâ *pateram*, qua ſuper aram libat. Deſignatur hoc ſchemate, Pietate, & Imperio Galbæ, Salutem humano generi partam, & ſtabilitam.

II. Num. *Magnentii* & *Decentii*, cum Inſcr. SALVS. D. D. N. N. AVG. ET. CAES. In hoc Nummo *Magnentii* & *Decentii* fratrum Chriſtianorum, cernere eſt ſolitum ſignum nominis Chriſti, expreſſi per primas literas Græcas X & P. invicem connexas, additiſque ad latera utrinque literis A *Alpha*, & Ω *Omega*, deſignans uti Inſcriptio docet, in hoc ſigno *Salutem* D D. NN. *Auguſti* & *Cæſaris* eſſe ſitam; quia Magnentius ſe ut Auguſtum & Imperatorem geſſit, fratrem vero *Decentium*, *Cæſarem* & Comitem Imperii dixerat.

III. Num. *Æliæ Flaccillæ*, uxoris Theodoſii magni, cum Inſcr. SALVS. REIPVBLICAE. *Victoria alata* ſedens, & *Clypeo* magno ſuper *Palmam* collato, inſcribens Literas X & P implexas; ac ſi

TAB. LXXIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



ac si indicare vellet, *Victoriam* suam huic *Nomini* se debere; aut *Victoriam* suam sitam esse in hoc *Nomine*.

Num. *Faustæ*, Uxoris Constantini M. cum Inscr. SALVS. REI. PVBLICAE. Salus vel potius ipsa *Fausta* deæ instar velata, stans, & duos infantulos nudos in Ulnis ferens; designans Fœcunditate suâ Salutem Reipublicæ procurari. Peperit enim Constantino tres filios, qui Parenti in Imperio successerunt. Literas S. M. N quidam legunt SACRA MONETA NOVA, vel, NICOMEDIENSIS. IV.

V. *.

Num. *M. Lepidi*, III viri, cum Inscr. SALVS. PROVINCIARVM. AFRICAE. S. C. Ipse *Lepidus* equo insidens, & dextram sublevatam protendens, in Pacificationis signum. Cum enim Africa per Cæsaris Octaviani, & M. Antonii divisiones in bellum cruentum eruptura videretur, adventu Lepidi, à Cæsare eò missi, qui partes Antonii ibi sequebantur metu percussi, ejus Imperio se submisêre, & hoc modo Africa in tranquillo statu retenta; sic ut M. Lepidus tunc per adventum suum *Africæ Provinciarum Salus* exstiterit. Qua de re Dio Cassius lib. XLVIII. Καὶ τούτῳ τὸν Λέπιδον ἀγανακτοῦντα τῇ τῆς ἀρχῆς τῆς ἐπιβαλλούσης αὐτῷ στερήσει ἰδὼν, ἐς τὴν Ἀφρικὴν ἔπεμψεν, ἵν' ὡς παρ' ἑαυτοῦ μόνου αὐτὴν, ἀλλ' οὐ καὶ παρὰ τοῦ Ἀντωνίου λαβὼν, οἰκειότερόν οἱ προσφέρῃ. Cæsar *Lepidum moleste ferentem se sua Imperii parte spoliari, in Africam misit, ut sibi eum eo amiciorem haberet, quod à se solo, ac non ab Antonio, eam provinciam accepisset.* Ac postquam interjecisset, qui Cæsaris, qui Antonii partes in Africa secuti, ac quomodo Sestius, qui ab Antonii partibus stabat, porro Africæ utramque provinciam sibi subjecerit, eisque usque ad Lepidi adventum præfuerit, tandem concludit: ἐκείνῳ γὰρ, ὡς καὶ τῷ Ἀν- VI.

τωνίῳ συνδοκοῦν, ἢ καὶ ὅτι ταῖς δυνάμεσι πολὺ αὐτοῦ ἠλαττοῦτο, οὐδὲν ἀντέπραξεν, ἀλλ' ὡς καὶ ἑαυτῷ χάριν τὴν ἀνάγκην τιθέμενος ἡσύχαζε. καὶ οὕτως ὁ Λέπιδος ἀμφότερα τὰ ἔθνη κατέσχε. *Huic* (Lepido) *ſive quod ex ſententia Antonii advenire eum putaret, ſive quod longe majores is copias haberet, non repugnavit Seſtius: ſed id quod neceſſario faciebat, gratificari ſe Lepido ſimulans, quievit. Et ſic Lepidus utramque provinciam in ſuam poteſtatem accepit.*

VII. Num. *Poſtumi*, cum Inſcr. SALVS. PROVINCIARVM. *Rhenus* Fluvius, ſub Senis ſeminudi ſpecie, dextra ſcaphæ impoſita, & ſiniſtra Arundinem tenens. Ideo autem SALVS PROVINCIARVM inſcribi videtur, quia Galliarum Provinciæ per Rhenum à Germania ſecluſæ, adeoque Poſtumus Barbaros, qui Gallias invaſerant, ultra Rhenum denuo excedere coëgerit. Sic Trebellius Pollio in Gallieno: *Poſtumus Gallias ab omnibus circumfluentibus Barbaris validiſſime vindicavit.* Et in XXX Tyran. *Siquidem nimius amor erga Poſtumum omnium erat in Gallica gente populorum, quod ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet Imperium.* Oroſius lib. VII. cap. XXII. *Poſtumus in Gallia invaſit tyrannidem multo quidem Reipub. commodo; nam per decem annos ingenti virtute ac moderatione uſus, & dominantes hoſtes expulit, & perditas Provincias in priſtinam faciem renovavit.*

VIII. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. SALVS. PVBLICA. *Mulier* in cathedra ſedens, & dextra *ſpicas* tenens, *Salutem Publicam* in Annonæ Procuratione, ejuſque Abundantia conſiſtere deſignans.

IX. *.

X. Num. *M. Lepidi*, cum Inſcr. EX. SC. *Tripos*, ex quo Serpens ſinuoſus ſeſe exſerit, cum *Lituo* & *Simpulo*, quibus Sacerdotia Lepidi deſignantur. Ex Tripode autem, ut notum, Apollinis

linis Oracula edita, imo per Serpentem, qui ſub Tripode vocem edebat, ut teſtatur Lucianus de Aſtrologia: Καὶ γὰρ τὰ μαντήϊα αὐτέοισι, οὐκ ἔξω ἀστρολογίας ἦν, ἀλλὰ παρὰ μὲν Δελφοῖς, παρθένος ἔχει τὴν προφητείην, σύμβολον τῆς παρθένου τῆς οὐρανίης. καὶ δράκων ὑπὸ τῷ τρίποδι φθέγγεται, ὅτι καὶ ἐν τοῖσι ἄστροισι δράκων φαίνεται. *Etenim nec ipſa oracula ab arte Aſtrologica erant aliena. Verum apud Delphos virgo prædicendi munere fungitur, & Cœleſtem virginem denotat. Ac Draco ſub Tripode vocem edit, quoniam & inter ſtellas Draco conſpicitur.* Hinc Apollini Tripodes cum ſerpentibus conſecrati, & dedicati. Herodotus in Calliope, ſive lib. IX. Συμφορήσαντες δὲ τὰ χρήματα, καὶ δεκάτην ἐξελόντες τῷ ἐν Δελφοῖσι θεῷ, ἀπ' ἧς ὁ τρίπους ὁ χρύσεος ἀνετέθη, ὁ ἐπὶ τοῦ τρικαρήνου ὄφεος τοῦ χαλκέου ἐπεστεὼς ἄγχιστα τοῦ βωμοῦ. *Collata autem pecunia decimam ſelegerunt, ex qua tunc Deo, qui Delphis eſt, Tripos aureus ibi repoſitus eſt, inſiſtens ſuper tricipiti ex ære colubro, proxime aram.* &c. Pauſanias in Phocicis, ſive lib. X. Ἐν κοινῷ δὲ ἔθεσαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Πλαταίασιν οἱ Ἕλληνες χρυσοῦν τρίποδα δράκοντι ἐπικείμενον χαλκῷ. *Commune fuit Græcorum de Platæenſi prælio donum, aureus Tripos, ſuſtinente æneo Dracone.*

Num. *Poſtumi*, cum Inſcr. SALVS AVG. *Æſculapius* barbatus, pro more, pectore, & dextro humero nudus, cum baculo & Serpente. de quo Statius Papinius: XI.

—— —— *Maximus ægris*
*Auxiliator adeſt, & feſtinantia ſiſtens*
*Fata, Salutifero mitis Deus incubat Angui.*

Hyginus Poëtic. Aſtronom. lib. II. *Æſculapius hac de cauſâ anguem tenere dicitur, quod cum Glaucum cogeretur ſanare, concluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret cogitaret, di-*

*citur anguis ad bacillum ejus adrepsisse; quem Æsculapius mente commotus interfecit bacillo, fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eodem venisse, ore ferens herbam, & in caput ejus imposuisse: quo facto, loco fugisse. quare Æsculapium usum eadem herba, & Glaucum revixisse. Itaque anguis & in Æsculapii tutela, & in astris dicitur collocatus.* Physicam ex interiori Gentilium Theologia petitam ejus rei rationem adducit Macrobius lib. I. Saturnal. cap. XX. *Simulacris Æsculapii & Salutis Draco subjungitur, quod hi ad Solis naturam Lunæque referuntur. Et est Æsculapius Vis salubris de substantia Solis subveniens animis corporibusque mortalium: Salus autem naturæ lunaris effectus est, quo corpora animantium juvantur salutifero firmata temperamento. ideo ergo eorum junguntur figuræ Draconum; quia præstant ut humana corpora velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant virorem, ut virescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exuta.* &c.

XII. Num. *M. Aurelii.* cum Inscr. TR. POT. XI. COS. II. *Æsculapius*, sed *imberbis*, pectore itidem & dextro humero nudus, & dextra baculum, cui Serpens tortuosus circumvolutus, tenens. Imberbis heic Æsculapius effictus, cujusmodi ejus simulachrum in templo quodam apud Sicyonios fuisse scribit Pausanias in Corinthiacis: Ἐσελθοῦσι δὲ ὁ θεός ἐστιν οὐκ ἔχων γένεια, χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος Καλάμιδος δὲ ἔργον. *Ingressus ipsum videas Æsculapium imberbem, ex auro & ebore à Calamide factum.*

# TABVLA LXXX.

I. Num. *Neronis*, sine Inscript. in quo cernitur *Serpens*, sive *Draco* tortuosus & sinuosus, sub Umbra Arboris, cujus rami versus *Aram* accensam inclinati, Caput attollere, & vergere ad ignem super Arâ, quasi Flammam lambere vellet. *Serpentem*, & *Draconem*

TAB. LXXX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



*conem* Felicitatis, Victoriæ, Salutis Symbolum frequenter esse Veterum Nummi, quorum hac Tabula quidam exhibentur, abunde testantur; quod præsertim ad illos referendum, quos ἀγαθὸς δαίμονας, seu pro bonis Geniis habitos, Servio notante, bene observat Cl. E. Spanhemius; qualis iste apud Virgilium lib. V. Æneid.

*Dixerat hæc: adytis cum lubricus anguis ab imis*
*Septem ingens gyros, septena volumina traxit,*
*Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:*
*Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro*
*Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus*
*Mille trahit varios adverso sole colores.*
*Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo*
*Tandem inter pateras & levia pocula serpens,*
*Libavitque dapes; rursusque innoxius imo*
*Successit tumulo, & depasta altaria liquit.*
*Hoc magis inceptos genitori instaurat honores.*
*Incertus geniumne loci, famulumne parentis*
*Esse putet.* ——

Num. *M. Aurelii*, cum Inscr. TR. P. XX. IMP. III. COS. III. *Serpens* sinuosus super Aram, adstantibus hinc *Victoria* alata, dextrâ *Urceolum* tenente, & sinistra *Canistrum* floribus plenum; inde *Amazone* quadam, sive *Virtutem*, sive *Romam* designet, galeatâ sub foliaceis arboris cujusdam umbris, dextra porrectâ accipiente. Sacrificium haud dubie Æsculapio, qui heic per Serpentem designatur, factum repræsentat hoc Schema. Sic in alio II.

Num. *Ejusdem* Imp. sine Inscript. Cernitur *Fœmina* seminuda III.

ſtans ſub umbra foliaceæ arboris, cum *Vrceolo* anſato in dextra manu, & ſiniſtra offerens pateram, aut aliud quid, *figuræ* cuidam *muliebri*, ſtanti ſuper tabulato erecto, cum haſta pura in dextra, & hujus inferiori corporis parti *ſerpens* per *ſpiras* circumvolutus eſt. Et hoc Ænigma ad Æſculapium referendum videtur; & Votum eſſe pro *Salute* Principis.

IV. Num. *Commodi*, cum Inſcr. P. M. TR. P. X. IMP. VI. COS. III. P. P. SALVS. *Salus* Dea, ut quidam volunt, ſedens in cathedra, cui ſiniſtro brachio imcumbit, & dextra porrecta *pateram* tenens, ex qua eſcam præbet *Serpenti* ſinuoſo ſub frondoſa arbore aſſurgenti juxta columnam, cui inſiſtit figura quædam haſtata.

V. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. SALVS. AVG. *Salus* Dea ſtans ante Aram, circa quam Serpens ſinuoſus adſurgit, cui ex patera eſcam præbet. Sic in

VI. Num. *Maximini*, cum Inſcr. SALVS. AVGVSTI. *Salus* Dea ſedens in ſella ante aram, & *Serpenti* ſupra eam adſurgenti ex ſcutella eſcam præbens.

VII. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. SALVTI. AVGSTORVM. TR. P. XVII. *Salus* Dea, ſtans itidem ante Aram, ſiniſtra ſceptrum tenens, & dextrâ Serpenti ex patellâ eſcam porrigens. Alii hos, & ſimiles Nummos interpretantur de Lanuvina Virgine, quæ quotannis Serpenti cibum præberet è patella, quâ de re Propertius agit lib. IV. Elegia VIII. & cujus verba ſupra ad Tab. XLVII. Num. XI. à nobis adducta ſunt, ubi de *Iunone Soſpita* dictum, quæ, ut alibi Salus, religioſe Lanuvii colebatur. ut ex M. Tullio lib. I. de Nat. Deorum, & in Orat. pro Milone, & Murena, Tito Livio lib. VIII. IX. & XXII. conſtat. Quicquid ſit, *Serpens* in hiſce, & ſimilibus Nummis, ubi de *Salute Augg.* mentio, haud dubie ad Æſculapium, ut Deum ſalutiferum,

tiferum, quique etiam ſub Serpentis formâ ut ex Epidaurio Romam delatus, ita ſub ea ſpecie ibi cultus fuit, referri debet.

Num. *Heliogabali*, cum Inſcr. SALVS. ANTONINI. AVG. Matrona, ſive *Salus* Dea, ſtans, dextra Serpentem, & ſiniſtra pateram tenens, ex qua Serpenti cibum præbet. VIII.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. PRINCEPS. IVVENTVTIS; Matrona ſtans ad Columnam, cui ſiniſtra, qua pateram tenet, innixa, dextra vero Serpentem, ad cibum ex patera capiendum, admovet. IX.

Num. *Antonini*, cum Inſcr. COS. IIII. *Salus* Dea, ſtans ante aram, ſiniſtra *Navis gubernaculum*, quod *Globo* inſiſtit, tenens, & dextra ex patera porrigens cibum *Serpenti* ſinuoſo gyro ſupra aram adſurgenti; Deſignans Salutem & incolumitatem Imperatoris, ob ejus Imperium, etiam Orbis terrarum ſalutem eſſe. X.

Num. *Gentis Aciliæ*, cum Inſcr. SALVTIS. Caput *Deæ Salutis*, comatum, & *Laurea* circundatum. In averſa parte hujus XI.

Num. habetur Inſcriptio MV. ACILIVS. III VIR. VALETV. & cernitur *Matrona* ſtans, ſiniſtro cubito *Columnæ* innixa, ac dextra *Serpentem* tenens. Inſcriptio indicat *Valetudinis* ſimulacrum eſſe. Nempe, uti in altera parte *Salutis*, ita in hac *Valetudinis* ſimulacrum, ab *Acilio IIIviro* expreſſum eſt. Non autem, ut quidam ſomniavit, quod Acilius *Triumvir Valetudinis* fuerit. quaſi Romæ, uti aliarum rerum, ita etiam *Triumviri Valetudinis*, hoc eſt, ut iſte interpretatur, qui Præfecturam Medicamentorum haberent, conſtituti fuerint; quod ſomninm eſt. XII.

TA-

# TABVLA LXXXI.

I. Num. *Neronis*, cum Inſcr. SALVS. *Salus* Dea in Cathedra ſedens, & dextra *Pateram* tenens, abſque *Serpente*; quaſi deſignare vellet, nihil venenati Saluti tribuendum.

II. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. SALVS AVG. *Salus* Dea ante Aram ſtans, dextra *Pateram*, & ſiniſtra *Sceptrum* ferens. non addito itidem ſerpente; Sic in alio

III. Num. *Ejuſdem* Imp. cum Inſcr. P.M. TR. P. COS. II. & infra : SALVS AVG. Eadem Dea *Salus* ante *aram* in Cathedra ſedet, cum *Patera* in dextra Manu, ſiniſtro brachio ſellæ incumbens, ſine Serpente. Videtur Hadrianus Neronem ea in re ſecutus. Obiter notandum, *Salutis*, & ejus *Ædis* in Quirinali mentionem facere Livium lib. IX. & P. Victorem in Reg. VI.

IV. Num. *Aureliani*, cum Inſcr. CONCORDIA. MILITVM. Imp. *Aurelianus* togatus, cum *Matrona* adſtante, quæ *Militum Concordiam* deſignat, dextras jungens. indicans ſe Militum concordia ad Imperium perveniſſe. Flav. Vopiſcus de Aureliano : *Conſenſu omnium Legionum factus eſt Imperator.*

V. Num. *Floriani*, cum Inſcr. CONCORDIA. MILITVM. *Florianus* Imp. ſtans, dextra porrecta *pateram*, & *haſtam puram* ſiniſtra tenens; ac *Victoria* alata, cum *Palma* in ſiniſtra, & *Coronâ Laureâ*, quam Floriani capiti imponere conatur, in dextra manu. Deſignans *Militum Concordia* non minus, quam Virtute, Imperatorem Victorioſum evadere.

VI. Num. *Maximiani*, cum Inſcr. CONCORDIA. MILITVM. Imp. *Maximianus* ſtans togatus, à *Iove*, vel *Hercule* cum haſta in ſiniſtra

1

2

3

4

5

6

7

8

9




10




11

12

CONCORDIA

ſiniſtra manu, *Orbem* Terrarum, cui Victoriola inſiſtit, quæ *Coronam* Maximiano imponere vult, dextrâ accipit. Significans ſe *Concordia militum*, cum *Iove*, aut *Hercule*, Imperium Orbis Terrarum obtinere.

Num. *Gordiani*, cum Inſcr. CONCORDIA. MILIT. VII. *Concordia* Dea in Cathedra ſedens, cum *Cornucopiæ* in ſiniſtra, & dextra *pateram* tenens. Quaſi *Militum Concordia* Ubertas & rerum Abundantia procuraretur.

Num. *Severinæ*, Uxoris Aureliani, cum Inſcr. CONCOR- VIII. DIAE. MILITVM. *Concordia Militum*, inſtar matronæ cultæ ſtans, & utraque manu *Signum Militare* tenens.

Num. *Ant. Caracallæ*, cum Inſcr. CONCORDIA MI- IX. LITVM. Quæ heic per quattuor Signa Militaria repræſentatur.

Num. *M. Antonii*, IIIviri, cum Inſcr. CONCORDIA. X. PRÆTORIANORVM. Matrona ſtans, cum *Cornucopiæ* in ſiniſtra, & *Caduceo* in dextra manu; quemadmodum *Felicitas* repræſentari ſolet; deſignans in *Concordia Prætorianorum*, Reipub. *Felicitatem* cum Pace & omnium rerum abundantia ſitam.

Num. *Galbæ*, cum Inſcr. CONCORDIA. PROVIN- XI. CIARVM. *Concordia* ſedens cum patera in dextra manu; Per *Provinciarum Concordiam*, Hiſpaniæ & Galliæ, ſive Galbæ & Vindicis, qui eodem tempore ille in Hiſpania, hic in Gallia armis contra Neronem inſurgebant, deſignatur.

Num. *Gordiani*, cum Inſcr. CONCORDIA. EXER- XII. CITVVM. Quæ heic eodem modo, ut ſupra *Concordia Militum*, per Matronam ſtantem cum duobus ſignis militaribus repræſentatur.

# TABVLA LXXXII.

I. Num. *Antonii* III viri, cum Inſcr. CONCORDIA. EXERCITVVM. Duæ *dextræ junctæ*, ſignum militare, ſive *Aquilam Legionarem* complexæ, & infra *Navis roſtrum*; quibus Concordia terreſtrium & navalium copiarum deſignatur.

II. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. CONCORDIA. EXERCITVVM. Quæ heic per *duas dextras junctas*, conſuetum Concordiæ Symbolum, indicatur.

III. Num. *Valeriani Salonini*, cum Inſcr. CONCORDIA. AVGG. *Tres dextræ junctæ*, quibus A. Rubenius deſignari putat Concordiam Valeriani, Gallieni Auguſtorum, & Valeriani Junioris, qui ſimul imperarunt. Unde etiam Nummi Valeriani Auguſti, cum Inſcriptione ΑΥΤ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC ΓΑΛΛΙΕΝΟC. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ac in Cōdice Juſtinianæo multæ reperiantur Leges latæ ab Impp. Valeriano & Gallieno A. A. & Valeriano Cæſare; quas recenſitas vide ſis apud Joan. Wolfangum Freimonium in Symphoniâ juris Chronologica pag. 731 & ſeqq. Conjungit horum quoque nomina Galerius Maximus Proconſul in ſententia, quam contra S. Cyprianum pronunciavit, uti in ejus Paſſione ex Vet. Cod. MS. legere eſt, ubi inter alia hæc verba habentur: *Inimicum te Diis Romanis & ſacris legibus conſtituiſti, nec te pii & ſacratiſſimi Principes Valerianus, & Gallienus, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ad ſectam cærimoniarum revocare potuerunt*, &c.

IV. Num. *Valentiniani*, cum Inſcr. CONCORDIA. AVGGG. Sedet *Nova Roma*, ſive *Conſtantinopolis* galeata, dextra haſtam puram, & ſiniſtra *Orbem* Terrarum tenens, ac proram navigii pedibus

TAB. LXXXII.

1

2




3

4

5

6

7

8

9

10

11

12





bus premens. Per tres *Augustos*, quorum *Concordiam* Inscriptio indicat, proculdubio intelligendi Gratianus, Valentinianus, & Theodosius, qui per quinque fere annos Imperio unà, satis consentientibus animis, præfuerunt. Vide supra Tab. XXIX. Num. X.

Num. *M. Aurelii* & *L. Veri*, cum Inscr. CONCORDIÆ. AVGVSTOR. TR. P. XV. COS. III. *M. Aurelius* & *L. Verus* ambo togati, dextras jungentes, ut Symbolum Concordiæ inter binos istos fratres, qui primi sub Augustorum nomine simul Imperio Rom. præfuerunt. Hinc Aristides Oration. Cyzicenâ de Marco: Ὦ θαυμαστὸ ἓ μηδὲν δεομένου βασιλεύειν εἰ μὴ σὺν τῷ ἀδελφῷ. *O mirabilem virum, qui nihil nisi cum fratre velit regere.* Et mox: καὶ οὐδέν γε μᾶλλον τε τ μοναρχίας ἀγαθὸν διέφθαρ. ἀλλ' ἔστι μοναρχία θαυμαστὴ δυοῖν σώμασι καὶ δυεῖν ψυχαῖν μιᾶς γνώμης ἐνιδρυμένης. ὥσπερ πινὸ ἁρμονίας διὰ παζῶν τῶν χορδῶν διατάσης. *Neque tamen periit idcirco Monarchia, sed mirabilis quidam principatus exstitit, in duobus corporibus & animis una collocata sententia, instar harmoniæ cujusdam per omnes fides discurrentis.* Idem Aristides Orat. de Concordia ad Civitates Asiæ, de Concordia horum fratrum inter se: ὑπάρχει δ' ὑμῖν καὶ τῶν ἀνθρωπείων θαῤῥεῖν παράδειγμα, ἐν ὀφθαλμοῖς τὸ μέγιστον, οἱ πάντα ἄριστοι βασιλεῖς· οἷς πολλῶν καὶ μεγάλων ὑπαρχόντων, κάλλιστον εἶναι δοκεῖ τὸ θεῖον ἀλλήλοις ὁμόνοια καὶ σπουδή. *Quinetiam humanum vobis præsto ante oculos est exemplum maximum, Reges maximi: in quibus præter alia multa magnaque, mutua Concordia & studium res pulcherrimæ videntur.* V.

Num. *Sallustiæ Barbiæ Orbianæ*, uxoris Trajani Decii, & matris Q. Herennii Etrusci, de qua altum apud Historicos silentium, cum Inscr. CONCORDIA. AVGVSTORVM. SC. VI.

Imp. *Trajanus Decius*, & Uxor ejus *Sallustia Barbia Orbiana* dextras jungentes, ut Concordiæ conjugalis Symbolum.

VII. Num. *Faustinæ* junioris, cum Inscr. CONCORDIA. Cernitur heic *Avis* quædam, Concordiæ conjugalis typum repræsentans, quam Pierius & Politianus *Cornicem* esse existimant; Melius A. Rubenius in Comment. ad Numism. Impp. Rom. qui pro *Turture*, cujus nota in comparem fides; aut pro *Columba* accipit; alterutrius enim imaginem, non verò *Cornicis* refert. Verba autem, quæ A. Rubenius ex Cypriano, sed haud nominato ejus libro, unde desumpta, de Columbis huc facientia adducit, quod scilicet id genus avium solet *unius domus consortia nosse; cum generant, simul filios edere; cum commeant, volatibus invicem cohærere; communi conversatione vitam suam degere, oris osculo Concordiam Pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere.* Hæc verba, inquam, habentur in libro S. Cæc. Cypriani de Unitate Ecclesiæ Catholicæ, pag. 210. Edit. Rigalt. Lutet. Paris. Ann. cIↃ IↃ XLVIII.

VIII. Num. *Domitiæ Augustæ*, uxoris Domitiani, cum literis. S C. Cernitur heic *Cornix* in ramo arboris Oleæ, conjugalis fidei Symbolum, uti haurire est ex hisce Æliani lib. III. de Animalib. cap. IX. verbis: Κορῶναι ἀλλήλαις εἰσὶ πιστόταται. καὶ ὅταν εἰς κοινωνίαν συνέλθωσι, πάνυ σφόδρα ἀγαπῶσι σφᾶς καὶ οὐκ ἂν ἴδον τις μιγνύμενα ταῦτα τὰ ζῶα ἀνέδην καὶ ὡς ἔτυχε. λέγουσι δὲ οἱ περὶ τούτων ἀκριβοῦντες, ὅτι κἂν ἀποθάνοι τὸ ἕτερον, τὸ λοιπὸν χηρεύει· ἀκούω δὲ τοὺς πάλαι καὶ ἐν τὸν ὑμέναιον τὴν κορώνην καλεῖν, σύνθημα ὁμονοίας τοῦτο τοῖς συνιοῦσιν ἐπὶ παιδοποιΐᾳ διδόντες. *Amanter mutuam in se fidem servant Cornices, cum semel societatem inter se coierunt. Easdem non temere, nec imprudenter misceri videas. Quod si alterutra moriatur, alteram, quæ ei superest, usque ad extremum vitæ diem viduam permanere, harum rerum absolute periti dicunt. In nuptiis olim veteres, audio, post hymenæum Cornicem invocare solitos*

TAB. LXXXIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*tos fuiſſe, hocque Concordiæ ſignum dare iis, qui liberum quærendorum gratia conveniſſent.*

Num. *Ejuſdem Domitiæ*, cum Inſcr. CONCORDIA. AVGVST. Heic *Pavo*, ut Concordiæ conjugalis typus, expreſſus, utpote avis Junoni, quæ conjugiis præeſſe fingitur, conſecrata. IX.

Num. *Fauſtinæ* Majoris, cum Inſcr. CONCORDIÆ. *Antoninus Pius* togatus, cum *Fauſtina* uxore, ſtolatâ, & ſceptrum ſiniſtrâ tenente, dextras jungit in ſignum Conjugalis Concordiæ. X.

Num. *Ejusdem*, cum Inſcr. CONCORDIÆ. Cernuntur heic *quatuor figuræ* dextras jungentes, *Antoninus* nempe *Pius*, qui togatus cum altero pede ſuper baſim adſtat, & *Concordiæ* ſignum in ſiniſtra manu tenet, dextram porrigens *Fauſtinæ Majori*, quæ velata, & cum ſceptro in ſiniſtra manu, utroque pede baſi inſiſtit. Infra hos medii ſtantes *M. Aurelius* & *Fauſtina Minor* dextras ſupra *aram* intermediam incenſam jungunt. XI.

Num. *Ælii Cæſaris*, cum Inſcr. TRIB. POT. COS. II. & infra CONCORD. Imago *Concordiæ* Deæ ſedentis in Cathedra, dextra *pateram* tenentis, & ſiniſtro brachio *Cornucopiæ* ſuffulta. XII.

# TABVLA LXXXIII.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. CONCORDIA. AVGVSTA. *Concordia* Dea ſedens, dextra *pateram*, & ſiniſtra *Cornucopiæ* tenens. I.

Num. ***. cum Inſcr. CONCORDIA. *Concordia* Dea, ſtans ante *Aram* incenſam, cum duplici *Cornucopiæ* in ſiniſtra, & *patera* in dextra manu ſuper aram libans. II.

III. Num. *Domitiani*, cum Inſcr. CONCORDIA. AVG. *Concordia* in Cathedra ſedens, ſiniſtra *Cornu copiæ*, dextrâ ramulum *Oleæ*, Pacis Symbolum protendens.

IV. Num. *Criſpi* Cæſaris, Conſtantini M. Filii, cum Inſcr. CONCORDIA. AVGG. NN. *Concordia* ſedens cum *Cornu copiæ* in ſiniſtra, & *Caduceo* in dextra manu. Literas S. M. N. M. ſunt qui interpretantur *Sacra Moneta Nicomedienſis*.

V. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. PARTH. F. DIVI. NER. NEP. P. M. TR. P. COS. et infra, CONCORD. *Concordia* ſedens, dextra pateram tenens, & ſiniſtro cubito Statuæ *Spei* innixa, juxta quam adſtat Cornu copiæ, in quod Concordia digitum ſiniſtræ manus intendit. Deſignatur Abundantia rerum, quam S. P. Q. R ex Concordia Hadriani & Sabinæ ſperabant; ideoque Concordia à Spe ſuſtentatur; quod ſpem haberent Diſſidium, quod ſæpius Hadriano cum Sabina erat, Concordiæ tandem inter eos locum ceſſurum, unde Salus Reipub.

VI. Num. *Fauſtinæ* Junioris, cum Inſcr. CONCORDIA. *Concordia* ſedens, ſiniſtro brachio binis Cornibus copiæ, quæ *Sphæræ*, ſive *Orbi* inſiſtunt, innixa, & dextra herbam, aut florem, quemadmodum *Spes* in Nummis repræſentari ſoleat, tenens.

VII. Num. *Lucillæ Auguſtæ*, uxoris Veri, cum Inſcr. CONCORDIA. *Concordia* ſtans, & *Columnæ* innixa, ſiniſtrâ bina Copiæcornua, dextra verò pateram tenet, ut rerum Abundantia, quæ ex Concordiâ ſtabili provenire ſolet, deſignetur.

VIII. Num. *Neronis*, cum Inſcr. CONCORD. AVG. SC. *Concordia* ſedens cum ſceptro, & Ramo Oleæ; deſignans ex Concordia Pacem & Potentiam naſci. Sic in alio

IX. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. CONCORDIA. P. R. *Concordia*

*cordia* ſedet, dextrâ pateram, & ſiniſtra duo Copiæ-cornua tenens, ad omnium rerum Abundantiam ex Concordia provenientem denotandam. Idem Concordiæ Schema, quod in binis hiſce *Neronis* occurrit, cum gemina Inſcriptione, reperitur quoque in *Vitellii* Nummis.

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. CONCORDIA. TR. POT. III. COS. II. *Concordia* ſtans, & utraque manu laciniam veſtis expandens, ſub qua cernuntur duæ parvæ figuræ, *M. Aurelium* & *Fauſtinam* deſignantes; ſive, quod Concordia pro tutiſſimo refugio, aut aſylo habeatur, ſive quod huc faciant, quæ habet Petrus Chryſologus Serm. LIV. *Frequenter fieri videmus, ubi regum vel fratrum tabulæ depinguntur, ut inter utroſque unanimitatis declarentur inſignia: Artifex pictor fæmineo habitu poſt tergum utriuſque Concordiam ſtatuit, quæ brachiis utrumque complectens indicet, quod hi, qui videntur corporibus ſeparati, ſententiis & voluntate conveniunt.* Sane in quodam X.

Num. *Aquiliæ Severæ Auguſtæ*, quam Veſtalem Heliogabalus uxorem ſibi duxit, ſed paullò poſt repudiavit, teſte Xiphilino & Herodiano, cum Inſcr. CONCORDIA. AETERNA. *Concordia* utique ita expreſſa cernitur, uti à Petro Chryſologo deſcribitur, ſtans nempe, & brachiis *Heliogabalum* ac *Aquiliam Severam*, dum dextras jungunt, complectens. XI.

Num. *Gentis Viniciæ*, cum Inſcr. CONCORDIA. Caput *Concordiæ* elegans, comatum, & lauro coronatum, planè uti ab Ovidio lib. VI. Faſtorum deſcribitur: XII.

*Venit Apollinea longas Concordia lauro*
*Nexa comas*, &c.

TA-

# TABVLA LXXXIV.

I. Num. *P. Lepidi*, cum Inſcr. PAVLLVS. LEPIDVS. CONCORDIA. Caput *Concordiæ* velatum. Putat Fulvius hunc Nummum cuſum à Paullo Lepido fratre Triumviri; in eoque ad fraternam Concordiam indicandam Deæ ſignum velato capite adjectum. Pro adoptionis enim Symbolo Concordiam & Pietatem in antiquis denariis poſitas ſæpe videri. Paullus autem Lepidus adoptatus à patre M. Lepidi triumviri fuit, & ex Æmilio Paullo, Paullus Æmilius Lepidus appellatus eſt.

II. *.

III. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. VOTA. PVBLICA. *M. Aurelius* togatus cum *Fauſtina Minore* dextras jungendo, matrimonium contrahit, auſpice *Concordia*, quæ utrumque brachiis complectitur. Inſcriptio deſignat *Vota*, quæ pro fælici ſucceſſu matrimonii ſuſcipiebantur. D. Auguſtinus lib. XI. de Geneſi ad lit. cap. XLI. *Niſi forſan ſponſa erat à Patre tradenda, & exſpectanda erat Votorum ſolemnitas, & convivii celebritas.* Marcus ſiniſtrâ volumen papyraceum, tenet more ſolito, uti ubique fere Imperatores, quando togati, in Nummis exprimuntur; nec opus iſtud hoc loco ad Tabulas Nuptiales referre. Fauſtina, ut nova nupta, *Flammeo* caput velata, indicem ſiniſtræ manus ori admotum in ſilentii, & maritalis obſequii ſignum, ſuſtinet.

IV. Num. *Plautillæ Auguſtæ*, uxoris Caracallæ, cum Inſcr. PROPAGO. IMPERI. Imp. *Caracalla* togatus, & *Plautilla Auguſta*, quæ ſuperna corporis parte nuda cernitur, dextras jungunt, & matrimonium ineunt *liberum quærendorum cauſâ*; id enim Inſcriptio indicat, quæ fauſto omine *Propaginem Imperii* Connubium hocce appellat.

Num.

TAB. LXXXIV.

1

2



3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Lucillæ Aug.* uxoris L. Veri, cum Inſcr. FECVNDI- V.
TAS. *Lucilla* ſub *Fecunditatis* habitu, ſedens cum *tribus liberis*, uno nudo, quem in gremio tenet, & duobus veſtitis adſtantibus. Lucillæ *Fecunditatem* in liberis progignendis deſignat.

Num. *Her. Etruſcillæ Aug.* Decii filiæ, cum Inſcr. FECVN- VI.
DITAS AVG. *Fecunditas* ſtolata ſtans, cum Cornu-copiæ in manu ſiniſtra, adſtante puerulo nudo & manus ad eam tendente.

Num. *Clodii Albini*, cum Inſcr. SAECVLO. FECVN- VII.
DO. COS. II. S C. *Genius Sæculi* turrito capite, & veſtis lacinia circa pubem tectus, cætera nudus ſtans, dextra *Caduceum* alis & ſpicis inſtructum, ſiniſtra aliud inſtrumentum tenens, quod A. Rubenius *Raſtellum* eſſe putat, quo ſpicæ configuntur.

Num. *Fauſtinæ Minoris*, cum Inſcr. FECVNDITAS. *Fau-* VIII.
*ſtina* ſtans, dextra haſtam, & manu ſiniſtra *infantulum nudum* ferens; ejus *Fecunditatem* indicans. Referendum puto ad primam prolem, quam Fauſtina peperit. Sic in alio

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. FECVND. AVGVSTAE. S C. IX.
Eadem cernitur *quatuor liberis* ſtipata, duobus *gemellis* nudis, quos ulnis geſtat, duobuſque veſtitis, altero puero, altera puella, adſtantibus. Inſcr. indicat Nummum *Fecunditati Auguſtæ* à *Senatu* dicatum.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. PVDICITIA. S C. *Pudicitia*, X.
ſive potius *Fauſtina* ſub ejus habitu, in Cathedra ſedens, & faciei *velum* obducens, cum duobus liberis, altero parvulo in gremio, altero adſtante. Nam *Pudicitia* in liberis caſtè procreatis gloriari poteſt, ſecundum illa Horatii:

*Nullis polluitur caſta domus ſtupris,*
*Mos & lex maculoſum edomuit nefas,*
*Laudantur ſimili prole puerperæ.*

Quamvis Senatus in hoc Nummo Fauſtinæ omnino aduletur, dum eam ſub *Pudicitiæ* habitu repræſentet. Nota enim iſta Jul. Capitolini in M. Aurelii vita: *Multi autem ferunt Commodum omnino ex adulterio natum: ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Caietam conditiones ſibi & nauticas & gladiatorias elegiſſe: de qua cum diceretur Antonino Marco, ut repudiaret, ſi non occideret, dixiſſe fertur: Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem quid erat, niſi Imperium, quod ille ab ſocero, volente Hadriano adoptatus, acceperat.* &c. Sed ut Senatus ſcenæ inſerviret, temporum iſtorum ratio Aulica, uti ubivis fere in hiſce & ſimilibus facere ſolet, requirebat. Sic in alio

XI. Num. Ejuſdem *Fauſtinæ*, cum Inſcr. PVDICITIA. Itidem haud dubie *Fauſtina* ipſa ſub *Pudicitiæ* forma, velum faciei obducens, in Cathedra ſedens expreſſa eſt. Sedens autem Pudicitia, & modeſto cultu faciem velo obumbrans, effingitur, quod caſtæ matronæ officium eſt, domi ſe continere, nec vicatim per circulos, aut angulos curſitare & oberrare; ne videatur conditiones quærere, ut Fauſtinam feciſſe ex Capitolino modo audivimus.

XII. Num. *Marciæ Otacillæ Severæ Aug.* uxoris Philippi, cum Inſcr. PVDICITIA AVG. S C. *Pudicitia* in Cathedrâ ſolito more ſedens, & dextra faciem velo obumbrans, ſiniſtrâ verò ſceptrum, ſive haſtam puram, Auctoritatis Symbolum, tenens.

## TABVLA LXXXV.

I. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. P. M. TR. P. COS. III. PVDIC. *Pudicitia* Peplo velata modeſtè incedens. Videtur hoc ſchema repræſentare Cultum Matronarum Romanarum, quando in publicum procedebant.

II. Num. *Fauſtinæ* Min. cum Inſcr. PVDICITIA. AVG. S C. *Fauſtina* iterum ſub *Pudicitiæ* habitu, Peplum per lacinias hinc inde

TAB. LXXXV.

1

2

3

4

5

6

7

8




9

10

11

12

inde apprehenſum ambabus manibus poſt tergum expanſum tenens, ac ſi eo ſe velare vellet.

Num. *Lucillæ Aug.* uxoris L. Veri, cum Inſcr. PVDICITIA. III.
*Pudicitia* ſtans, & velum dextrâ ante oculos obtendens.

IV. V. *. *.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. FIDEI. PVBLICAE. *Fœ-* VI.
*mina* ſtantis habitu, dextra *lancem*, ſive *caniſtrum* frugibus & floribus plenum, ac ſiniſtra *duas ſpicas* geſtans; deſignans forte, quod per *Fidem* omnia floreant, & fecunda reddantur; aut potius indicium eorum, quæ ex S C. FIDEI PVBLICAE in Sacrificio quodam ablata fuerint.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. FIDES. PVBLICA. SC. VII.
*Fides* ſtans, Deæ inſtar, cum paterâ in dextra manu, & ſiniſtrâ Cornu-copiæ tenens.

Num. *Titi*, cum Inſcr. FIDES. PVPLICA; quæ heic VIII.
repræſentatur per *duas dextras junctas*, Caduceum, & duas ſpicas complectentes. Quibus Felicitas Imperii deſignatur, quæ ex tam egregia *Fide publica* cum P. R. tum militum erga Imperatorem naſcitur.

Num. *Pupieni & Balbini*, cum Inſcr. FIDES MVTVAIX.
AVGG. *Duæ Dextræ junctæ*, Fidei notiſſimum Symbolum. Unde Statius Papin. lib. 1. Thebaid.

*Iam pariter coëant animorum in pignora Dextræ.*

Et Virgilius lib. IV Æneid.

*En Dextra, Fidesque* ——— —

Uti & Lib. VIII Æn.

*Accipe, daque Fidem* —— ——

Id eſt, jungamus dexteras. Sic Sophocles in Ajace Flagellif.

Ἐις χεῖρας Τεύκρου δεξιὰν φιλοφρόνως
Θεὶς, εἶπε &c.

*In manu Teucri dextrâ amice*
*Impoſita, dixit.* &c.

Plinius lib. XI. cap. XLV. *Ineſt & aliis partibus quædam religio. Sicut dextra oſculis averſa appetitur, in fide porrigitur.*

X. Num. *Macrini*, cum Inſcr. FIDES MILITVM. *Fœmina* ſtans, ambabus manibus duo ſigna militaria tenens; *Fidem Militum* deſignans, eodem modo atque ſupra Tab. LXXXI. Num. VIII. *Concordia Militum* expreſſa eſt.

XI. *.

XII. Num. *Gordiani*, cum Inſcr. FIDES. MILITVM. *Fides* dextra manu ſignum militare, ſiniſtrâ ſceptrum ferens.

# TABVLA LXXXVI.

I. Num. *Domitiani*, cum Inſcr. FIDES. EXERCITVVM. S C. Cernitur heic *Imp. Domitianus*, laureatus & togatus, ſtans, cui *milites*, ſuper *Aram* incenſam intermediam, *Fidem* ſuam datis dextris obſtringunt. Huc faciunt illa D. Eucherii ex Epiſtolâ ad Sylvium de Martyrio Thebæorum militum, ubi de Maximiano ita ſcribit: *Exercitum convenire juſſit, ut datis utriuſque dextris per Aras dæmonibus conſecratas jurarent communi Marte contra Bagau-*

TAB. LXXXVI.

1

2

3

4

5




6

7

8

9

10

11

12

*Bagaudarum turbas ſe pugnaturos, & non niſi Victores prœliis exceſſuros.*

Num. *Commodi*, cum Inſcr. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P.P. SC. & infra FID. EXERCIT. Imp. *Commodus*, habitu militari, & paludatus, in Tribunali, ſive ſuggeſto erecto ſtans, ſiniſtra ſceptrum tenens, dextra elevata, *Milites* cum ſignis militaribus adſtantes alloquitur, eoſque ad *Fidem* Imperatori præſtandam ex hortatur. II.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. FIDES EXERC. SC. *Milites* cum ſignis militaribus, præeuntem *Ducem* cum haſta, cui vexillum militare adnexum, ſtrenue ſequuntur. Quo ſchemate *Fides Exercitus* erga Imperatorem denotatur. III.

Num. *Elagabali*, cum Inſcr. FIDES. EXERCITVS. *Fœmina* in Cathedra ſedens inter duo ſigna militaria, quorum alterum ſiniſtra apprehenſum ſuſtinet, & dextra manu *Avem* quandam ferens; turturem forſan, aut columbam, vel etiam cornicem; Symbolum, ut ſupra dictum, Concordiæ & Fidei. IV.

Num. *Philippi*, cum Inſcr. FIDES. EXERCITVS. Quæ heic per *quatuor Signa militaria* repræſentatur; eodem modo atque ſupra Tab. LXXXI. Num. IX. Caracalla, per quatuor ſigna militaria *Concordiam Militum* deſignavit. V.

Num. *Clodii Albini*, cum Inſcr. FIDES LEGIONVM. *Fides* ſtans, & utraque manu ſignum militare tenens. VI.

VII. *.

Num. *M. Bruti*, cum Inſcr. LIBERTAS. Caput fœmineum, elegans, comâ quidem in ſpiram collectâ, præter cirros quoſdam per cervicem diffluentes, inauribus, & monili circa VIII.

collum ornatum, *Libertatis* imaginem referens. Cujus M. Brutus, ad exemplum L. Bruti, qui Tarquinios ejecerat, ſtrenuus in Republica aſſertor & vindex videri voluit, conjuratione in Jul. Cæſarem initâ, ejuſque rei memoriam in Nummis variis expreſſit.

IX. Num. *C. Caſſii*, cum Inſcr. C. CASSI. IMP. LEIBERTAS. Caput *Libertatis* velatum, etiam in Nummis à C. Caſſio relatæ, in memoriam facti, quo Prætor cum M. Bruto & aliis conjuratis Cæſarem occidit, ut Reipub. Libertatem aſſereret. Scribitur autem heic LEIBERTAS, more antiquo, quo, ut breve I ab longo diſtinguerent, EI pro I ponebant. Vid. Lipſius De Recta Pronuntiatione Ling. Lat. cap. VIII.

X. Num. *M. Bruti*, cum Inſcr. EID. MAR. *Duo Pugiones*, cum *Pileo* intermedio, & addito titulo, EID. MART. in memoriam ejus diei, quo Jul. Cæſar à M. Bruto & aliis conjuratis in curia Pompeji, ubi tum Senatus convenerat, interfectus eſt; id enim Idibus Martiis factum, ex Suetonio & aliis conſtat. Pugiones indicant teli genus, quo cædes peracta; Unde Cicero Philip. II. *Cæſare ſtatim interfecto cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit* &c. Pileum autem Libertatis Symbolum eſſe, neminem fugit. Appianus lib. II. Bell. Civil. de hac Cæſaris nece: Καὶ πίλον τὶς ἐπὶ δόρατος ἔφερεν, σύμβολον ἐλευθερώσεως. *Pileum alius haſtæ fixum ferebat, Symbolum Libertatis.* Meminit hujus aut ſimilis Nummi à M. Bruto percuſſi Dion Caſſius lib. XLVII. ubi ſcribit: Βροῦτος μὲν ταῦτά τε ἔπραξε, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἃ ἐκόπτετο, εἰκόνα τε αὐτοῦ καὶ πίλιον, ξιφίδιά τε δύο ἐνετύπου· δηλῶν ἔκ τε τούτου καὶ διὰ τῶν γραμμάτων, ὅτι τῷ πατρίδα μὲν ἔσωσε Καισὰρ ἐλευθερωκὼς εἴη. *Hæc Brutus egit, qui etiam Numiſmate quod faciebat, Imaginem ſuam cum*

*cum Pileo ac duobus Pugionibus incidit, eo ipſo & inſcriptione declarans, patriam à ſe & Caſſio eſſe in libertatem vindicatam.*

Num. *Caji Caligulæ*, cum Inſcr. C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. Cernitur heic *Pileus* inter literas S & C. conſuetam Senatuſconſulti notam, Libertatis Symbolum; an quod Caligula ſub Imperio ſuo Rempublicam liberam eſſe, ſi cum Tiberii temporibus comparetur, deſignare voluerit. Sane Libertatis quædam Umbræ fuiſſe videntur, quæ à Suetonio in ejus cap. XVI. narrantur hiſce verbis: *Titi Labieni, Cordi Cremutii, Caſſii Severi ſcripta, ſenatuſconſultis abolita, requiri, & eſſe in manibus, lectitarique permiſit: quando maxime ſua intereſſet, ut facta quæque poſteris tradantur. Rationes Imperii ab Auguſto proponi ſolitas, ſed à Tiberio intermiſſas, publicavit. Magiſtratibus Liberam Iurisdictionem, & ſine ſui appellatione conceſſit.* XI.

Num. *Claudii*, cum Inſcr. LIBERTAS. AVGVSTA. *Figura fœminea* decoro cultu, cum coronâ laurea in capite, ſiniſtram manum apertam protendens, & dextrâ *Pileum*, faſciæ, quæ ejus ambit corpus, alligatum, tenens. Deſignaturque hoc ſchemate LIBERTAS AVGVSTA à Claudio; quaſi innuens *Libertatem Reipub.* quæ per Pileum indicatur, jam ab Imperio Cæſarum, per fœminam ſignificato, pendere; adeoque haud aliam, quam *Libertatem Auguſtam* Reipublicæ exſpectandam. Notat Suetonius quomodo poſt cædem Caligulæ, Senatus cogitaverit de aſſerenda Reipub. Libertate, hiſce verbis: *Neque conjurati cuiquam imperium deſtinaverunt. Et Senatus in aſſerenda Libertate adeo conſenſit, ut COSS. primò non in curiam, quia Iulia vocabatur, ſed in Capitolium convocarent. Quidam vero ſententiæ loco, abolendam Cæſarum memoriam, ac diruenda templa cenſuerunt.* Apud eundem in Claudio cap. X. hæc leguntur: *Receptus* (Claudius) *intra vallum, inter excubias militum pernoctavit, aliquanto minore ſpe, quam fiducia. Nam Conſules cum Senatu, & cohortibus urbanis Forum, Capitoliumque occuparunt, aſſerturi communem* XII.

*nem Libertatem* &c. Hujuſmodi deliberationibus, ut impoſterum obviam iret veroſimile omnino eſt, Claudium hoc Nummo oſtendere, S. P. Q. R. voluiſſe, ut inſcriptio docet, *Libertatem Auguſtam* eſſe, quæ jam vigeret, hoc eſt ejuſmodi Libertatem, quæ Imperio Cæſarum temperata & moderata eſſet, ideoque pileum nunc Imperio alligatum & connexum. Quod exemplum etiam poſteriores Imperatores ſecutos, varii eorumdem Nummi, quorum aliqui Tabula ſequenti exhibentur, manifeſtum faciunt; qui ſplendidam iſtam, nec minus tamen duram ſervitutem, qua Reſp. Rom. premebatur ſub Cæſaribus, dulci, ſed inani Libertatis nomine ſæpius adumbrarunt. Cujuſmodi inane Libertatis ſchema, & umbram ejus quandam apud nonnullos populos, ubi Aurea Libertas olim late viguit, ſed quam, ut videtur, diutius ferre non potuerunt, noſtris temporibus quoque obſervare eſt.

## TABVLA LXXXVII.

I. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. LIBERTAS. RESTITVTA. Imp. *Galba* togatus, *Libertatem* in genua prolapſam, porrecta dextra ſublevat, & Romæ armatæ cum galea in capite, & Clypeo in manu ſiniſtra, reſtituit. Videri vult Galba quaſi ſub ejus Imperio *Libertas* P. R. Neronis Tyrannide oppreſſa & conculcata, reſtituta fuerit. Ipſe Galba in Oratione ad Piſonem apud Tacitum Hiſtor. lib. I. *Loco Libertatis erit, quod eligi cœpimus.* Qualis autem iſta Libertas, ex iis, quæ in fine iſtius Orationis habentur, manifeſtum, cum dicat: *Imperaturus es hominibus, qui nec totam ſervitutem pati poſſunt, nec totam Libertatem.* Talis ſcilicet, quam Claudius, aliique *Libertatem Auguſtam* vocant, quæ nempe ex Impp. voluntate penderet; adeoque ſervitutis jugo proxima, imo commixta.

II. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. LIBERTAS. P. R. RESTITVT. EX SC. circa quam cernitur *Corona querna* cum glandibus;

1

2




3

4

5

6

7

8

9

10

11



12



dibus ; quam ut notum eſt , Civicam fuiſſe , ac donari ſolitam OB CIVES SERVATOS. Sic Veſpaſianum Cives à tyrannide Vitellii conſervaſſe, ac *Libertatem* ab ipſo oppreſſam , P. R. reſtituiſſe Nummus indicare vult.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. LIBERTAS. RESTITVTA III. S C. Imp. *Hadrianus* in ſuggeſtu Sellæ Curuli inſidens, dextram porrigit infantulo nudo, quem mulier adſtans ſiniſtro brachio geſtat ; dum dextram capiti alterius pueri adſtantis impoſitam habeat. *Libertatem* hoc actu huic mulieri ab Hadriano reſtitui inſcriptio indicat. Quam vero perſonam mulier iſta repræſentet, haud ita clarum. Poſſet enim eſſe vel *Regio aliqua*, cui, cum à Trajano in Provinciam redacta eſſet, Hadrianus Libertatem reſtituerit. uti iſtud non uni feciſſe Hadrianum Hiſtoricorum monumenta teſtantur. Sic præter alios, Eutropius lib. VIII. de Hadriano : *Statim Provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat, id eſt, Aſſyriam, Meſopotamiam & Armeniam. Revocavit exercitus ac finem Imperii eſſe voluit Euphratem.* Quamvis Spartianus notet, hoc ab Hadriano factum, exemplo Catonis, *qui Macedonas Liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.* Vel etiam poſſet eſſe *Filia Coſdrois* Regis Parthorum , quam à Trajano captam, Hadrianus patri remiſit. Spartianus in Hadriano : *Toparchas & Reges ad amicitiam invitavit; invitato etiam Coſdroë rege Parthorum, remiſſaque illi filia, quam Trajanus ceperat.* &c.

Num. *Galbæ*, cum Inſcr. LIBERTAS. PVBLICA. S C. IV. *Fœmina* ſtolata, ſiniſtra *haſtam*, & dextra *Pileum* tenens, *Libertatem Publicam*, qualis ſub Galba fuerit, deſignans.

Num. *Vitellii*, cum Inſcr. LIBERTAS. RESTITVTA. V. S C. *Libertas* ſtans , & dextra *Pileum* , Libertatis inſigne , faſciæ alligatum tenens. Merito heic exclames , *Quid facient domini, auſint cum talia fures?* Etiam Vitellius *Libertatem* à ſe *reſtitu-*

*tam* videri voluit? qui conteſtabili voce confirmare auſus eſt: *Optime olere occiſum hoſtem, & melius Civem*, teſte Suetonio in Ejus Vita.

VI. Num. *Galbæ*, cum Inſcr. LIBERTAS. PVBLICA. SC. *Libertas* ſtans cum Pileo in dextra, & ſiniſtra *Virgam* tenens, quam *Vindictam* appellabant; qua ſcilicet ſervi in manumiſſione tangebantur, in ſignum Libertatis donatæ. Unde Perſius:

*Vindictâ poſtquam meus à Prætore receſſi:*

VII. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. P.M. TR. P. COS. III. & infra LIB. PVB. *Libertas* in cathedra ſedens, ſiniſtra haſtam puram, & dextra loco Pilei, ramum *Palmæ*, *Lauri*, aut *Oleæ* tenens, ad gaudium ejus ſignificandum.

VIII. Num. *Magnentii*, cum Inſcr. VICTORIA. AVG. LIB. ROMANOR. *Trophæum* erectum, quod hinc *Victoria* alata, adſtans, inde *Libertas* cum *Virga*, ſive *Vindicta*, dextris admotis ſuſtinent. Videtur *Magnentius* indicare, quaſi Victoriæ ſuæ, qua Romam occupaverat, non alius eſſet finis, quam ut ſeruitutis vinculis abruptis, Romanos in priſtinam vindicaret Libertatem.

IX. Num. *Treboniani Galli*, cum Inſcr. LIBERTAS. AVGG. *Libertas* dextra *Pileum*, & ſiniſtrâ *Vindictam* tenens, columnæ innixa; quaſi firmam & ſtabilem futuram indicans.

X. Num. *Conſtantini M.* cum Inſcr. LIBERTAS. PVBLICA. Cernitur heic *Victoria alata* ſtans in *Triremi*, & utraque manu elevatâ, ſingulis *Coronam lauream* ferens. Sive liberam navigationem Victoriâ adſertam deſignet; ſive Victoriam aliquam terra marique partam indicet, quâ Regio quædam, aut ipſum Imperium Rom. excuſſo ſervitutis jugo, ad Libertatem pervenerit.

XI. XII. * *.

CLAS-

TAB. LXXXVIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12



# CLASSIS V.

## *Eorum, quæ ad Expeditiones & Rem Bellicam pertinent.*

## TABVLA LXXXVIII.

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. PROFECTIO. AVG. SC. I.
Imperator *M. Aurelius*, paludatus, & haſtam dextra ferens, in equo, cum Tribuno præeunte, tribuſque militibus ſubſequentibus; quo ſchemate indicatur *Profectio* ejus ad bellum aliquod aggrediendum. Proculdubio autem bellum Marcomannicum, ad quod, unà cum fratre L. Vero profectus eſt, heic deſignatur. De qua Profectione ita J. Capitolinus in M. Aurelio: *Profecti itaque ſunt paludati ambo Imperatores, Victovalis & Marcomannis cuncta turbantibus: aliis etiam gentibus, quæ pulſæ à ſuperioribus barbaris fugerant, niſi reciperentur, bellum inferentibus. Nec parum profuit iſta Profectione, cum Aquileiam uſque veniſſent; nam plerique reges & cum populis ſuis ſe retraxerunt, & tumultus auctores interemerunt.* &c.

Num. *L. Veri*, cum Inſcr. PROFECTIO. AVG. TR. II.
P. II. COS. II. Imp. *L. Verus* itidem paludatus, equo inſidens, cum haſta in dextra manu, ad bellum Parthicum proficiſcitur. cujus meminit J. Capitolinus in ejus Vita: *Hæc quidem poſt Parthicum bellum, ad quod eum miſiſſe dicitur Marcus, ne vel in Vrbe ante omnium oculos peccaret; vel, ut parſimoniam peregrinatione addiſceret; vel, ut ſe Imperatorem eſſe cognoſceret.* Et paullò poſt: *Profectum eum ad Parthicum bellum, Marcus Capuam proſequutus eſt.* &c.

III. Num. *Titi*, ſine Inſcriptione quidem, ſed in quo cernere eſt, Imp. *Titum*, paludatum, cum ſceptro in manu ſiniſtra, equo inſidentem, quaſi ad bellum proficiſcentem, cui Roma galea & clypeo armata, dextrâ imagunculam quandam, forte Victoriolam offert. Haſce enim, uti & Palmas, boni ominis cauſſâ, Imperatoribus ad bellum proficiſcentibus offerre moris erat.

IV. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. COS. III. & infra : EXPEDITIO. AVG. Imp. *Hadrianus* paludatus, & ſiniſtra ſceptrum tenens, in equo generoſo ad *Expeditionem* bellicam proficiſcitur. Cæterum ad majorem horum Nummorum lucem, haud abs re erit, unum vel alterum locum ex Livio adducere, unde conſtare poterit, quâ ſolemnitate jam ab antiquis temporibus iſta ad bellum Profectio ab Imperatoribus Rom. fieret. Ea autem de re ita Livius lib. XXXI. *P. Sulpicius COS. ſecundum vota in Capitolio nuncupata, paludatus cum lictoribus profectus ab Vrbe Brunduſium venit.* Et uberius lib. XLII. *Per hos forte dies P. Licinius COS. votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab Vrbe profectus eſt. Semper quidem ea res cum magna dignitate & majeſtate geritur : præcipue convertit oculos animoſque, cum ad magnum nobilemque aut virtute, aut fortuna hoſtem, euntem Conſulem proſequuntur. Contrahit enim non officii modo cura, ſed etiam ſtudium ſpectaculi, ut videant Ducem ſuum, cujus Imperio conſilioque ſummam Reip. tuendam permiſerunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli caſus, quam incertus fortunæ eventus, communiſque Mars belli ſit ; adverſa, ſecunda, quæ inſcitia & temeritate Ducum clades ſæpe acciderint, quæ contra bona Prudentia & Virtus attulerint, quem ſcire mortalium, utrius mentis, utrius fortunæ Conſulem ad bellum mittant : triumphantemne mox cum exercitu Victore ſcandentem Capitolium ad eoſdem Deos, à quibus proficiſcatur, viſuri ; an hoſtibus eam præbituri lætitiam ſint.* Hæc Livii verba ſatis declarant, quæ ſolemnia in ejuſmodi Profectione obſervata.

V. VI. VII. VIII. * * * *.

Num.

Num. *Gordiani Tertii*, cum Inſcr. TRAIECTVS. AVG. IX. Cernere heic eſt *Milites* ſuper *Pontem* ſcaphis inſtratum, præeunte *Victoriolâ* alatâ, cum laurea & palma, boni ominis ergo, flumen trajicere. Putem Trajectum Euphratis deſignari, quem Fluvium Gordianus, cum ductu Miſithei ſoceri contra Perſas bellum gereret, victorioſo ſuo exercitu ſuperavit. De Pompeio, qui poſtea Magni cognomen meruit, notat Florus lib. III. cap. V. quod *ponte navibus facto, omnium ante ſe primus tranſiverit Euphratem.* &c. De hoc pontium genere Vegetius de Re Militari lib. III. cap. VII. *Repertum eſt*, inquit, *ut monoxylos, hoc eſt, paullo latiores ſcaphulas, ex ſingulis trabibus excavatas, pro genere ligni & ſubtilitate leviſſima, carpentis ſecum portet exercitus, tabulatis pariter & clavis ferreis præparatis. Ita abſque mora conſtructus pons, & funibus, qui propterea habendi ſunt, vinctus, lapidei arcus ſoliditatem præſtat in tempore.* &c.

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. IMP. VI. COS. III. S.C. X. & infra VIRTVS AVG. Expreſſus heic itidem *Trajectus* militum ſuper pontem ſcaphis impoſitum, & propugnaculis ad latera munitum, nec non ad utramque fluminis ripam gradibus adjectis fixum. Referendus Nummus ad tranſitum Danubii à M. Aurelio cum exercitu factum, contra Marcomannos; cujus meminit J. Capitolinus in ejus Vita: *Marcomannos autem in ipſo Tranſitu Danubii delevit, & prædam provincialibus reddidit.* Quæ autem fuerit Romanis ſtruendorum pontium in navibus ratio, elegantiſſime deſcribitur ab Arriano lib. V. de Expedit. Alexandr. hiſce verbis: Αἱ νῆες αὐτοῖς κατὰ πόρον ἀφίενται ἀπὸ ξυνθήματος, οὐκ ἐπ' ὄκνου, ἀλλὰ καθάπερ αἱ πεύμναν κεκόμμεναι. &c. Sed quia locus nimis prolixus eſt, Latine reliqua tantum adſcribam: Sic itaque Arrianus: *Naves iis dimittuntur, lapſus fluminis dato ſigno: non quidem rectâ, ſed tanquam puppibus inhibitæ. Atque*

*has quidem ſubducit, ut par eſt, curſus fluminis : remigiorum vero impulſus retinet, donec ad ſtatum locum pervenerint. Atque ibi crates vimineas, in pyramidis formam plexas, ſelectis ad id ſaxis oppletas, à prora cujuſque navis dimittunt, ad inhibendum fluminis curſum; ſimul autem una navium ita firmata fuerit : & alia juxtà illam, tanto ſpatio ab eâ ſeparata, quantum ad firmitatem inſternendorum requiri videtur, pariter prora obverſa in fluminis curſum ſtatuitur; & in utriſque tigna ſtatim in directum injiciuntur, tabulæque tranſverſæ quibus tigna jungantur ac colligentur. Ita deinceps per cæteras naves opus procedit, quantæ ad jungendum ponte flumen ſufficiant. Ad utrumque vero pontis caput gradus in terram depacti adjiciuntur, quò tutior equis jumentiſque ſit ingreſſus, & ſimul ut veluti vinculum ſint totius pontis. Brevi autem tempore totum opus perficitur, & cum magno tumultu, nec tamen ordo & decorum abeſt. Adhortationes etiam per ſingulas naves, & objurgationes eorum, qui ſegnius munus obeunt, nihil impediunt aut tollunt, vel mandatorum auditionem, vel operandi celeritatem. Atque hæc ſunt quæ Romanis uſitata.* Huc uſque Arrianus.

Num. *Gordiani* III. cum Inſcr. TRAJECTVS. AVG.

XI. Nummus hic etiam ad bellum Perſicum pertinet, ut Num. IX. & tranfertur heic Exercitus *Triremi* per Euphratem. De bello iſto Gordiani ita J. Capitolinus : *Gordianus aperto Iano gemino (quod ſignum erat indicti belli) profectus eſt contra Perſas cum exercitu ingenti, & tanto auro, ut vel auxiliis, vel militibus facile Perſas vincere poſſet. Fecit iter in Mœſiam, atque in ipſo procinctu, quicquid hoſtium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque ſubmovit. Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Perſis jam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnavit & vicit, Sapore Perſarum rege ſubmoto. & poſt Artaxanſem & Antiochiam, recepit & Carras & Niſibin ; quæ omnia ſub Perſarum imperio erant. Rex ſane Perſarum tantum Gordianum Principem timuit, ut cum inſtructus eſſet & ſuis copiis & noſtris, tamen civitatibus ipſe præſidia ſponte deduceret,*

*eaſque*

TAB. LXXXIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*eaſque integras ſuis civibus redderet, ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed hæc omnia per Miſitheum ſocerum Gordiani, eundemque Præfectum, geſta ſunt. Effectum denique eſt, ut Perſæ, qui jam in Italiâ timebantur, in regnum ſuum, pugnante Gordiano, redirent, totumque Orientem Romana Reſpublica detineret.* &c.

# TABVLA LXXXIX.

Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcr. ADLOCVTIO AVGVSTI. SC. Imp. *Alexander* paludatus in Tribunali ſtans, milites cum ſignis adſtantes alloquitur. Nummus forte cuſus in memoriam iſtius *Adlocutionis*, quam Alexandrum Antiochiæ ad legionem ob ſocios in vincula conjectos, tumultuantem habuiſſe, & quam, cum fremere non ceſſaret, integram exauctoraſſe refert Æl. Lampridius in ejus Vita: *Tum ille Tribunal adſcendit, vinctiſque omnibus ad Tribunal adductis, circumſtantibus etiam militibus, & quidem armatis, ita cœpit: Commilitones, ſi iſta vobis, quæ à veſtris facta ſunt, diſplicent, diſciplina majorum Rempublicam tenet; quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum & Imperium amittemus.* &c. Quibus tandem Lampridius ſubjungit: *Cum nihilominus poſt iſta fremerent, exclamavit: Quirites diſcedite, atque arma deponite. Mirando exemplo, depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, omnes non ad caſtra, ſed ad diverſoria varia receſſerunt.* &c. I.

Num. *Galbæ*, cum Inſcr. ADLOCVT. Imp. *Galba, paludatus*, in Tribunali adloquens milites armatos, cum Aquila, aliiſque ſignis militaribus, haſtis & *clypeis fulmine inſignitis*, de quibus mox ad Num. V. Sic in alio II.

Num. *Ejuſdem*, ſine Inſcr. quidem cernitur *Galba paludatus* & *galeatus*, ex ſuggeſtu milites armatos adloquens, quibus manu III.

Juve-

Juvenem quendam videtur oſtendere. A. Rubenius putat deſignari primam Orationem Galbæ ad milites, de qua ita Suetonius cap. X. *Igitur cum quaſi manumiſſione vacaturus conſcendiſſet tribunal; propoſitis ante ſe damnatorum occiſorumque à Nerone quam plurimis imaginibus, & adſtanti nobili puero, quem exſulantem ex proximo Baleari inſula ob id ipſum acciverat, deploravit temporum ſtatum.* &c. Cæterum hunc morem alloquendi exercitum valde frequentem Imperatoribus fuiſſe, tum ex Nummis antiquis, quæ ſuperſunt, tum paſſim ex Hiſtoriarum Monumentis conſtat; vel cum ipſimet primum ad Imperium pervenirent, ut heic Galba; vel cum aliquem in ſpem ſucceſſionis adoptarent; ut Galba itidem fecit *Piſonem* adoptando, apud milites; vel etiam cum alium ad Imperii conſortium adſumerent; vel cum milites ad fortiter agendum ante prælium exhortarentur, aliiſque ſimilibus ex cauſſis exorientibus, quarum exempla apud Hiſtoricos occurrunt; Unum, vel alterum adduxiſſe ſufficiat. Sic apud Ammianum Marcellinum lib. XV. de Conſtantio Imp. cum Julianum poſt multas deliberationes, imperii conſortem facere placuiſſet, legimus: *Cum veniſſet accitus* (Julianus) *prædicto die, advocato omni quod aderat commilitio, tribunali ad altiorem ſuggeſtum erecto, quod aquilæ circumdederunt & ſigna, Auguſtus* (Conſtantius) *inſcendens, eumque manu retinens dextera, hæc placido ſermone peroravit.* &c. Apud eundem lib. XXIII. de Juliano, poſtquam Euphrate navali ponte tranſmiſſo, cum exercitu in Perſidem perveniſſet, milites contra Perſas exhortante, hæc habentur: *Peracto igitur, ut ante dictum eſt, ponte, cunctiſque tranſgreſſis, Imperator antiquiſſimum omnium ratus militem alloqui ſui rectoriſque fiducia properantem intrepide. Signo itaque per lituos dato, cum centuriæ omnes, & cohortes, & manipuli convenirent, ipſe aggere glebali adſiſtens, coronaque celſarum circumdatus poteſtatum, talia ore ſereno diſſeruit, favorabilis ſtudio concordi cunctorum.* &c. *Aggerem glebalem* appellat Ammianus Tribunal, quia ex glebis & ceſpitibus exſtructum & ſuggeſtum, unde & *Sug-*

*geſtus*

*geſtus* dictus, erat. Hinc apud Tacitum lib. I. Annal. *Simul congerunt ceſpites, exſtruunt tribunal, quo magis conſpicua ſedes foret.* Et mox: *Aggerebatur nihilominus ceſpes jamque pectori uſque accreverat.* Plinius in Panegyrico Trajano dicto: *Decora facies conſulis: multa poſt ſæcula tribunal viridi ceſpite exſtructum, nec faſcium tantum, ſed pilorum, ſignorumque honore circumdatum.* Vopiſcus in Probo: *Vndiquè ab omnibus acclamatum eſt: Probe Auguſte, Dii te ſervent. deinde concurſus & ceſpiticium tribunal, appellatuſque Imperator.* Sic in quodam

Num. *Getæ*, ſine Inſcr. itidem, cernere quoque eſt *Getam* ex ſuggeſtu alloquentem milites cum ſignis circumſtantes, eodem modo, uti Honorium deſcribit Claudianus lib. de Bello Gildonico; vers. 424 &c. IV.

*Dictis ante tamen Princeps confirmat ituros*
*Aggere conſpicuus: ſtat circumfuſa juventus*
*Nixa haſtis, pronaſque ferox accommodat aures.*

Num. *Caligulæ*, cum Inſcr. ADLOC. COHortium. Imp. *Cajus Caligula* togatus ex ſuggeſtu, ſtans ante Sellam curulem, & alloquens milites armatos, cum Aquilis & *clypeis fulmine inſignitis*, unde nomen *Legionis Fulminatricis*, cujus jam meminit Dio in Auguſto. De hujuſmodi clypeis Valerius Flaccus lib. VI. Argon. V.

*Cuncta Phalanx, inſigne Iovis, cælataque geſtat*
*Tegmina, diſperſos trifidis ardoribus ignes:*
*Nec primus radios, miles Romane, coruſci*
*Fulminis, & rutilas ſcutis diffuderis alas.*

Adlocutio porro ad milites à Cajo facta, cujus Inſcriptio mentionem facit, haud dubie iſta eſt, quam habuit in ponte Bajano

à se exstructo post gesticulatoriam expeditionem istam peractam, de qua Dio Cassius lib. LIX. ita scribit: Καὶ (ἔδοξε γὰρ αὐτὸν, οἷα ἔν τε στρατιᾷ τοιαύτῃ καὶ ἐπὶ νίκῃ τηλικαύτῃ, καὶ δημηγορῆσαί τι) ἀνέβη τε ἐπὶ βῆμα, ἐπὶ πλοίων τινὰ καὶ αὐτὸ τῷ μέσῳ που τοῦ χάρακος πεποιημένον, καὶ πρῶτον μὲν ἐκεῖνον, ὡς καὶ μεγάλων τινῶν ἔργων ἐπιχειρητὴν, ἀπεστόμωσεν· ἔπειτα δὲ τοὺς στρατιώτας, ὡς καὶ πεπονηκότας καὶ κεκινδυνευκότας, ἐπῄνεσεν. *Et quia opus erat nimirum eum tanta expeditione facta ac victoria impetrata, concionem habere, suggestum conscendit in medio pontis navibus impositum; ac primo se ut eximia conatum jactavit; deinde milites ut periclitatos ac fatigatos laudavit: hoc inter alia gloriatus, se pedibus mare percurrisse.* &c. Ad-Suetonium in Caligula cap. XIX.

VI. Num. *Neronis*, cum Inscr. ADLOC. COH. Imp. *Nero* togatus, ex suggestu alloquens Cohortes ante domum. Faciunt huc illa Taciti lib. XV Annal. cap. LXXII. *Quibus perpetratis Nero, & concione militum habita, bina nummum millia viritim manipularibus divisit, additque sine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ utebantur.*

VII. Num. *Trajani*, sine Inscr. ubi cernere est Imp. *Trajanum* in Tribunali super alio suggestu ei impositio sedentem, & milites armatos alloquentem, qui manibus in altum sublatis assensum testantur. Lucanus lib. I. Pharsal.

——— *His cunctæ simul assensêre cohortes,*
*Elataque altè, quæcunque ad bella vocaret,*
*Promisêre manus.* &c. ———

VIII. Num. *Hadriani* cum Inscr. EXERC. DAC. Imperator *Hadrianus* in equo *Exercitum Dacicum* adloquens. Nam & ab equitantibus hujusmodi Adlocutiones nonnumquam factas, clarissime

riſſime ex hujuſmodi Nummis conſtat, in quibus Imperator *in* Equo milites compellat. Uti autem heic EXERCITVS DACICVS ab Hadriano in equo compellatur; ſic in aliis Ejuſdem Nummis ſub ſimili ſchemate legitur, EXERCITVS GERMANICVS, aut BRITANNICVS, aut SYRIACVS, aut CAPADOCICVS, aut RHETICVS. Romanis enim in more fuiſſe, ut à locis & Regionibus, in quibus Romanorum Legiones & Exercitus agebant, vulgo iidem appellarentur, neminem fugit.

Num. *Trajani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Imp. *Trajanus* togatus, ſtans in ſuggeſtu, Concionem ad populum habet, qui elatis dextris illi acclamant. Fortè ob Ludos Circenſes populo exhibitos; id enim *Obeliſcus*, ſive potius Fragmentum ejus, cui fœmina ſeminuda adjacet, indicare videtur. IX.

Num. *Hadriani*, ſine Inſcr. Imp. *Hadrianus* togatus in Tabulato erecto, ſtans ſub columnato faſtigio, ad populum ſublatis dextris illi acclamantem, Concionem habet. Quibus conveniunt illa Corippi lib. II. ubi de populo Juſtino Auguſto acclamante, canit: X.

*Excutiunt plauſus, ſtudiorum gaudia ſurgunt,*
*Alterniſque ſibi reſpondent agmina dictis;*
*Emittunt pariter dextras, pariterque remittunt.*

Num. *Vitellii*, cum Inſcr. CONSENSVS. EXERCITVVM. SC. *Mars* Gradivus, nudus[1], cum galea in capite, dextra haſtam, & ſiniſtra vexillum militare ferens, *Conſenſum Exercituum* deſignans, quo Vitellius ad Imperium pervenit. Suetonius in ejus Vita, cap. VIII. *Caſtra ingreſſus nihil cuiquam poſcenti negavit: atque etiam ultro ignominioſis notas, reis ſordes, damnatis ſupplicia demſit. Quare vix dum menſe tranſacto, neque diei, neque tem-* XI.

*poris habita ratione ac jam vespere, subito à militibus è cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus.* &c. Et mox: *Consentiente deinde etiam superioris provinciæ exercitu, qui prius à Galba ad senatum defecerat, cognomen Germanici delatum ab universis, cupide recepit.* &c.

XII. Num. *Faustinæ* minoris, cum Inscr. MATRI. CASTRORVM. *Faustina* sedens inter signa militaria, siniſtra hastam puram, & dextra tenens *Orbem*, cui *Phœnix* insidet, ut A. Rubenius putat; aliis, quasi Venerem imitaretur, pomum videtur, cui avis quædam insidet, quam vel *turturem*, vel *cornicem* esse volunt, de quibus in præcedentibus actum, ad Concordiam conjugalem cum marito M. Aurelio designandam. De titulo MATRIS CASTRORVM Faustinæ delato, J. Capitolinus in M. Aurelii Vita: *Divam etiam Faustinam à Senatu appellatam gratulatus est; quam secum & in æstivis habuerat, ut MATREM CASTRORVM appellaret.* Xiphilinus item ex Dione lib. LXXI. Ἡ μὲν τοι Φαυστῖνα ΜΗΤΗΡ ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΟΠΕΔΩΝ ἐπεκλήθη. *Faustina quoque MATER CASTRORVM appellata est.*

# TABVLA XC.

I. Num. *Claudii*, cum Inscr. IMP *Eratore* RECEPTo. Munimentum hocce rotundum ex quadrato lapide exstructum, *Prætoriana Castra* repræsentat, in quæ post mortem Caligulæ, *Claudius* à militibus delatus, ibique tutelæ & præsidii caussâ receptus, ad Imperium pervenit. Suetonius in Vita Claudii cap. X. *Per hæc ac talia, maxima ætatis parte transacta, quinquagesimo anno Imperium cepit, quamtumvis mirabili casu.* &c. *Neque multo post rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interque prætenta foribus vela se abdidit: latentem forte gregarius miles animadversis pedibus*

TAB. XC.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*pedibus è ſtudio ſciſcitandi quiſnam eſſet agnovit, extractumque & præ metu ad genua accidentem, IMPERATOREM ſalutavit. Hinc in caſtra delatus eſt, triſtis ac trepidus, miſerante obvia turba, quaſi ad pœnam raperetur. Receptus intra vallum, inter excubias militum pernoctavit.* &c. *poſtero die* &c. *multitudine, quæ circumſtabat, unum rectorem jam & nominatim expoſcente, armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt: promiſitque ſingulis quinadena HS. primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pigneratus.* Dio Caſſius lib. LX. Καὶ τότῳ ϛρατιῶταί τινες ἐς τὸ παλάτιον, ὅπως τι συλήσωσιν εἰσελθόντες, εὗρον τὸν Κλαύδιον ἐν γωνίᾳ τινὶ σκοτεινῇ κατακεκρυμμένον. &c. *Interim milites quidam rapinæ cauſſa palatium ingreſſi, Claudium (qui propterea, quod cum Cajo agebat, tumultum metuens, ſe abdiderat) in obſcuro angulo occultatum invenientes, primum protraxerunt, alium quendam eſſe, ac ſecum aliquid abſconditi habere arbitrati: mox cognitum Imperatorem ſalutaverunt, ac in caſtra duxerunt, ibi omnium conſenſu militum ei, orto nimirum imperatorio genere, ac bono viro, imperium eſt tributum.* &c.

Num. *Ejusdem*, cum Inſcr. PRAETOR. RECEPT. S. C. II. Quod poſſis legere, vel PRÆTORIO RECEPTVS, & tum ad *Claudium* ibi receptum foret referendum, vel, PRAETORIANIS RECEPTIS; & tum de Prætorianis militibus à Claudio in fidem receptis, intelligendum; quò etiam ſchema expreſſum tendere videtur, ubi cernere eſt *Prætorianum Signiferum*, qui datâ dextrâ Imperatori *Claudio* fidem obſtringit. Hoc eſt, quod Suetonium de Claudio dicentem modo audivimus, *armatos pro concione jurare in nomen ſuum paſſus eſt, promiſitque ſingulis quindena HS. primus Cæſarum fidem militis etiam præmio pigneratus.*

Num. *Othonis*, cum Inſcr. CONCORDIA. PRAE- III. TORIANorum. SC. Heic itidem Othoni togato *Prætorianus*

*ſignifer* dextram porrigit, in ſignum *Concordiæ*. Nam & Otho à Prætorianis primò in caſtris receptus, ab iis Imperator ſalutatus eſt. Suetonius in ejus Vita : cap. VI. *Tunc abditus propere muliebri ſella in Caſtra contendit : ac deficientibus lecticariis, cum deſcendiſſet, curſumque cepiſſet, laxato calceo reſtitit, donec omiſſa mora ſuccollatus, & à præſente comitatu IMPERATOR conſalutatus inter fauſtas acclamationes ſtrictoſque gladios ad principia devenit, obvio quoque non aliter ac ſi conſcius & particeps foret, adhærente. Ibi miſſis qui Galbam & Piſonem trucidarent, ad conciliandos pollicitationibus militum animos, nihil magis pro concione teſtatus eſt,* „quam id demum ſe habiturum, quod ſibi illi reli-„quiſſent. *Deinde vergente jam die ingreſſus ſenatum, poſitaque brevi ratione, quaſi raptus de publico & ſuſcipere Imperium vi coactus.* &c. Vide Tacitum lib. I. Hiſtor. omne hoc negotium uberius proſequentem.

IV. Num. *Vitellii*, cum Inſcr. ADVENTVS. AVGVSTI. Imp. *Vitellius* in equo, paludatus, & dextra haſtam tenens, qualis ejus *Adventus* in Urbem fuit. Suetonius cap. XI. *Vrbem ad claſſicum introiit paludatus, ferroque ſuccinctus, inter ſigna atque vexilla, ſagulatis comitibus, ac detectis commilitonum armis.* Tacitus Hiſtor. lib. II. cap. LXXXIX. *Ipſe Vitellius, à ponte Milvio, inſigni equo paludatus, accinctuſque, ſenatum & populum ante ſe agens, quo minus ut captam Vrbem ingrederetur, amicorum conſilio deterritus, prætexta & compoſito agmine inceſſit.*

V. Num. *Ejuſdem* cum Inſcr. ADVENTVS. AVGVSTI. *Roma*, Amazonis inſtar, cum galea in capite, Clypeo & haſta in manu ſiniſtra, *Imperatorem Vitellium togatum*, data dextra excipit, ſibique *Adventum* Ejus gratulatur.

VI. Num. *Treboniani Galli*, cum Inſcr. ADVENTVS. AVGG. Impp. *Trebonianus Gallus*, & filius ejus *Voluſianus* in equis, præeunte

eunte Victoriâ alatâ cum Palma, ac ſequentibus militibus armatis cum ſignis; Videtur *Gallus* per *Victoriam* deſignare, quaſi ut de Scythis Victor *Romam* adveniſſet, cum tamen Zoſimus Hiſtor. lib. I. diſertè ſcribat, *Gallum* quam primum ad Imperium perveniſſet, ac Voluſianum filium Auguſtum appellaſſet, Barbarorum iſtorum res proſperas eſſe cœpiſſe, ac Gallum cum illis fœdam pacem feciſſe, adeo, ut & quotannis certam pecuniæ ſummam dare promiſerit; quibus præmiſſis, ſubjungit Zoſimus: Ταῦτα δὴ ὁ Γάλλος διοικήσας εἰς τὴν Ῥώμην ἀφίκετο μέγα φρονῶν ἐπὶ τεθείσῃ πρὸς τοὺς βαρβάρους εἰρήνῃ. *His rebus in hunc modum geſtis, Romam Gallus venit, magnos ob conſtitutam cum barbaris pacem ſpiritus gerens.* &c.

Num. *Elagabali*, cum Inſcr. ADVENTVS. AVGVSTI. VII. Imp. *Heliogabalus* paludatus, equo inſidens, & haſtam duplici cuſpide munitam ſiniſtra tenens, eodem modo quo Romam primo intraverit.

Num. *Probi*, cum Inſcr. ADVENTVS. PROBI AVG. VIII. Imp. *Probus* paludatus in equo Barbarum captivum, manibus poſt terga devinctis, humi proſtratum ungulis conculcans. Quo ſchemate *Probi* Imp. *Adventum* in Urbem poſt devictos Barbaros deſignatum.

Num. *Maximiani Herculii*, cum Inſcr. FELIX. ADVENT. IX. AVGG. NN. Imago *Africæ*, fœmina nempe ſtans cum proboſcide Elephanti in capite, dextra vexillum militare, & ſiniſtra magnum Elephanti dentem tenens; ad pedes ejus adjacet *Leo*, ut ſymbolum roboris Herculei, cujus nomen Maximianus adſumpſerat. Hujuſmodi Ectypum Nummi Maximiniani, cum gemina inſcriptione exhibet Cl. Patinus inter Numiſmata Impp. Rom. ex Ære Mediæ & Minimæ formæ, pag. 444. niſi quod capi-

capitis tegumentum non Elephanti proboſcidem, ſed neſcio quid aliud per ſcalptoris forte errorem, referat.

X. Num. *Severi*, cum Inſcr. ADVENTVI. AVG. FELICISSIMO. SC. Imperator *Severus* equo inſidens, dextram, ut Pacis indicandæ ſignum, protendens. Sic in alio

XI. Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcr. ADVENTVI. AVG. FELICISSIMO. idem Imp. *Severus* dextram protendens, in equo, quem Roma galeata, & Amazonis inſtar, alterâ mammâ nuda, per frenum dextra manu apprehenſum ducit. Uterque forte Nummus referendus ad Severi, poſt Parthicum bellum feliciter confectum, in Urbem Adventum.

XII. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. PONT. MAX. TR. POT. COS. II. & infra: ADVENTVS. AVG. *Roma* ſpoliis armorum inſidens, galeata, & ſiniſtra haſtam tenens, dextram porrigit Imp. *Hadriano togato* ſtanti, eique à peregrinationibus per Orbem Romanum reduci *Adventum* gratulatur.

## TABVLA XCI.

I. *.

II. Num. *Neronis*, cum Inſcr. ADVENTVS. AVGVSTI. *Triremis* deſignans forte *Adventum* Neronis ex pexegrinatione Achaica, quam Neronem ſuſcepiſſe teſtis Suetonius, cap. XIX. Et ſic literæ G. P. ſuper Triremem poſitæ, legi poſſunt, GRÆCIA PERAGRATA.

III. Num. *Ant. Caracallæ*, cum Inſcr. ADVENTVS. AVGVSTOR. *Triremis* haud dubie ad deſignandum *Adventum Ant. Caracallæ*, & *Getæ Augg.* poſt patris Severi mortem, ex Britannia.

IV. V. VI. ***.

Num.

TAB. XCI.

1



2

3

4



5



6

7

8

9

10

11

12

Num. *Vespasiani*, sine Inscrip. quidem, sed in quo cernitur VII.
Imp. *Vespasianus* in curru cum quadrigis triumphans. Suetonius in Ejus Vita, cap. VIII. *Talis, tantaque cum fama, in Vrbem reversus, acto de Iudæis Triumpho, Consulatus octo veteri addidit.*

Num. *M. Lepidi* IIIviri, cum Inscr. M. LEPID. IMP. VIII.
PROCOS. *M. Lepidus* triumphans in curru quadrigis vecto, & *Aquilam* manu tenens. Cujusmodi autem & qua de causa Lepidus Triumphum egerit, notat Dio Cassius lib. XLIII. in ipso initio, ubi de C. Jul. Cæsare scribit: Τῷ δὲ ἐχομένῳ ἔτει καὶ ἐδικτατώρευσεν ἅμα καὶ ὑπάτευσε, τρίτον ἑκάτερον, τοῦ Λεπίδου οἱ ἀμφοτέροις συνάρξαντος. &c. *Sequenti anno Dictaturam Consulatumque, tertio utrumque magistratum gessit. Vt enim primum ab eo* (M. Lepido) *Dictator proditus fuit, statim eum ex Prætura in Hispaniam citeriorem misit: reversoque Triumphum, cum neque vicisset quemquam, neque omnino signis collatis dimicasset, concessit: ea caussa prætexta, quod is & à Longino & à Marcello gestis adfuisset. Cæterum triumpho suo nihil intulit, præter eas pecunias, quibus socios spoliaverat.* &c.

Num. *Trajani*, cum Inscr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. IX.
Imp. *Trajanus* altera manu *Laurum*, altera *Aquilam* tenens, in curru triumphali cum quadrigis, in memoriam Triumphi de Dacis. Dio Cassius apud Xiphilinum: Τραϊανὸς δὲ ἐπὶ τούτοις εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀνεκομίσθη· καὶ οἱ παρὰ τοῦ Δεκεβάλου πρέσβεις εἰς τὸ συνέδριον ἐσήχθησαν· τάτε ὅπλα καταθέντες, συνῆψαν τὰς χεῖρας ἐν αἰχμαλώτου σχήματι, καὶ εἶπόν τε τινὰ, καὶ ἱκέτευσαν· καὶ οὕτω τήν τε εἰρήνην ἐπείσαντο, καὶ τὰ ὅπλα ἀπέλαβον. Τραϊανὸς δὲ τάτε νικητήρια ἤγαγε, καὶ Δακικὸς ἐπωνομάσθη. *His confectis rebus, Trajanus in Italiam revertitur. Tum Legati Decebali intromittuntur in Senatum, depositisque armis, junctisque manibus, more captivorum, pauca supplices loquuntur: dein confirmata pace,*

*arma recipiunt. eoque facto Traianus de Dacis triumphavit, & Dacicus cognominatus est.*

X. Num. *Augusti*, cum Inscr. IMP. CAESAR. *Augustus* in curru triumphali cum Lauro in manu. Plinius lib. XV. cap. XXX. De Lauro, quam Aquila in gremium Liviæ ex alto abjecit: *Ex eâ triumphans postea Cæsar, Laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit; ac deinde Imperatores Cæsares cuncti.*

XI. Num. *Trajani*, cum Inscr. COS. V. P.P. S.P.Q.R. OPTIMO. PRINC. *Traianus* iterum cum Aquila, & ramo Lauri in curru triumphali. Vid. ad Num. IX.

XII. Num. *Augusti*, sine Inscr. in quo denuo cernitur *Augustus* laurum dextra tenens in curru triumphali, cujus lateribus *Victoriæ alatæ*, cum corona laurea & Palma in manibus, imago insculpta est.

## TABVLA XCII.

I. Num. *Titi*, sine Inscr. *Currus triumphalis*, cui variæ figuræ, & Emblemata insculpta cum quadrigis.

II. Num. *Augusti*, cum Inscr. CAESARI. AVGVSTO. *Quadriga* cum *Aquila*, Signo Legionum. ob Signa à Parthis recepta, quæ Quadrigâ in Urbem invecta fuêre.

III. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. COS. STER. IMP. ITER. & infra: TI. CLAVDI. TI. F. NERO. *Currus triumphalis* cum *Nuce pinea*, Vindelicorum insigni. Vid. Tab. XXVI. Num. II.

IV. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. CAESAR. AVGVSTVS.

*Currus*

TAB. XCII.

1

2

3




4

5

6

7

8



9

10

11

12



*Currus triumphalis* à quatuor equis tractus. Quod autem Currui impoſitum cernitur, quibuſdam videtur *floſculus* aliquis eſſe, aut ſimile ornamentum herbaceum. Sic in

Num. *Titi*, cum Inſcr. TR. P. VIII. IMP. XIII. COS. V. VII. P. P. ſimilis cernitur *Floſculus* currui triumphali à quadrigis tracto impoſitus. Quamvis nonnullis, haud abſque ratione, veroſimilius videatur in hoc Titi Nummo non Floſculum, ſed *Candelabrum Aureum* in Templo Hieroſolymitano repertum, aut aliud ejuſdem templi Inſtrumentum ſacrum repræſentari.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. S. P. Q. R. IMP. IX. Imp. VI. *Auguſtus* cum Lauro in curru triumphali, à quatuor Elephantis vectus. Haud malè A. Rubenius putat eſſe ſtatuam Auguſto ea ſpecie poſitam. Plinius lib. XXXIV. cap. V. *Equeſtres vero ſtatuæ modo Romanam celebrationem habent, orto ſine dubio à Græcis exemplo. Sed illi Celetas tantum dicebant in ſacris Victores, poſtea vero & qui bigis vel quadrigis viciſſent: unde & noſtri CVRRVS nati qui triumphaſſent. Serum hoc, & in his non niſi à D. Auguſto ſejuges, ſicut & Elephanti.*

Num. *Incerti* cum Inſcr. IO IO TRIVMP. Cernitur heic VII. *Laurus* Arbor, cui adſcripta Acclamatio IO. IO. TRIVMPHE, Imperatori Triumphanti à militibus populoque acclamari ſolita. De qua Horatius lib. II. Od. IV.

*Tuque dum procedis, IO TRIVMPHE,*
*Non ſemel dicemus, IO TRIVMPHE,*
*Civitas omnis, dabimuſque Divis*
*Thura benignis.*

Nec non Ovidius lib. IV. Triſt. Eleg. II. ubi Triumphi Pompam deſcribens, inter alia ait:

*Hos ſuper in curru Cæſar victore veheris*
*Purpureus populi rite per ora tui :*
*Quaque ibis manibus circumplaudere tuorum ;*
*Vndique jactato flore tegente vias.*
*Tempora Phœbeâ lauro cingentur : IOque*
*Miles IO, magna voce, TRIVMPHE canet.* &c.

In averſa autem parte hujus

VIII. Num. cernuntur duæ figuræ, quæ *ſoleas ferreas* equorum referre videntur, in medio *Armillæ* cujuſdam ex duobus draconibus in circulum flexis compoſitæ. Notum autem, Armillas aureas vel argenteas militibus præmii loco donari ſolitas. Iſidorus Orig. lib. XIX. cap. XXXII. *Armillæ propriè virorum ſunt, collatæ victoriæ cauſâ militibus ob armorum virtutem; unde & quondam vulgo Virilia dicebantur.* Paullus ex Feſto : *Armillas ex auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas eſſe exiſtimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant.* Livius lib. X. *L. Papirius Sp. Papirium fratris filium, & quatuor centuriones, manipulumque haſtatorum armillis, aureiſque coronis donavit.* Et mox : *Equites omnes, ob inſignem multis locis operam, corniculis, armilliſque argenteis donat.* Vid. Th. Bartholinus in De Armillis Veterum.

IX. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. TR. P. COS. III. *Antoninus Pius* in curru triumphali cum ſcipione eburneo, cui Aquila impoſita, in dextera, & ante ſe collocatos habens binos filios ex Fauſtina uxore ſuſceptos, (de quibus Capitolinus; *Filii mares duo, duæ fœminæ* &c.) triumphum de Mauris & Britannis, per Legatos à ſe devictis, agens. Nam & eodem curru liberos, cognatoſque, ſi quos Imperator haberet, vehi moris fuiſſe ex veterum monumentis conſtat. Livius lib. XLV de Paulli Æmilii filiis : *Minor ferme*, inquit, *duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum; major*

*major quatuordecim annorum, triduo post triumphum decessit: quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsi similes prædestinantes triumphos oportuerat.* Tacitus lib. II. Annal. *C. Cœlio, L. Pomponio Coss. Germanicus Cæsar ad VII. Kal. Iun. triumphavit de Cheruscis, Cattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes, usque ad Albim colunt. vecta spolia; captivi; simulacra montium, fluminum, prœliorum: bellum quia conficere prohibitus, pro confecto accipiebatur: augebat intuentium visus eximia ejus species, curruque quinque liberis onustus.* Cæterum qui omnem Triumphi Pompam à Romanis usitatam accurate descriptam videre velint, adire poterunt Onuphrium Panuinium, & Jul. Cæsar. Bulengerum, in Commentariis De Triumpho, ut & quæ habet Joan. Ant. Valtrinus De Re Militari Veter. Romanor. lib. VII. cap. IV & seqq.

Num. *Augusti*, cum Inscr. S. P. Q. R. PARENti CONServatori SVO. Ornamenta quædam triumphalia, *Aquila*, *Corona*, *Laurea*, & *Toga picta*, aut potius *Tunica palmata*, cum clavis aureis, cui, ut vult A. Rubenius, superinducta est *Toga picta*, Imperator enim triumphans interius *Tunica palmata*, exterius *Toga picta* indutus. Livius lib. XXX. *Postero die Scipio, ut à præsenti motu averteret animum Masiniſſæ, in tribunal adscendit, & concionem advocari jussit: ibi eum primum Regem appellatum, eximiisque ornatum laudibus, aurea corona, aurea patera, sella curuli, & scipione eburneo, Toga picta & palmata Tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo uno omnium externorum Masiniſſam populus Rom. ducat.* Toga triumphalis, quæ purpurea erat, *picta* dicebatur, quod alicujus rei figuram acu factam, atque aureis filis expressam & intextam exhiberet. Tunica vero triumphalis, quæ etiam purpurea, *Palmata* dicebatur à latitudine clavorum; erat enim auro clavata, sive clavis aureis insignita. Postea tamen & ipsæ quoque pingi cœperunt, & palmatæ dici à X.

picturæ genere, quod palmas ſcilicet intextas haberent. Feſtus: *Tunica autem palmata à latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur.* Sed de differentia Togæ pictæ & tunicæ palmatæ, pluribus vide quæ habet ὁ παῦν Salmaſius Notis ad Flavium Vopiſcum pag. 509. Edit. Pariſ. Et poſt eum Octavius Ferrarius De Re Veſtiaria Lib. II. cap. VIII.

XI. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. AVGVSTVS. SC. *Aquila* alis expanſis, & ungulis *Coronam quernam*, ſive *Civicam* ferens inter duas *Laurus*. Pertinet fortaſſis ad Lauros iſtas, & Coronam Quernam, quæ inter honores Auguſto delatos, ex Senatuſconſulto ante ipſius Regiam poſitæ fuerunt. Qua de re Dio Caſſius lib. LIII. καὶ γὰ τό, τε τὰς δάφνας πρὸ τῶν βασιλείων αὐτὸ προτίθεσθ, & τὸ τὸν στέφανον τὸν δρύϊνον ὑπὲρ αὐτῶν κρεμᾶσθ, τό τε οἱ, ὡς & ἀεὶ τὸς τε πολεμίους νικῶν π & τὸς πολίτας σώζοντι, ἐψηφίσθ π. *Et ut ante ipſius Regiam Lauri ponerentur, ac ſuper eas Corona querna ſuſpenderetur; nimirum, quod perpetuus hoſtium Victor, ac civium eſſet ſervator.* Hinc Plinio lib. XV. cap. XXX Laurus dicitur *gratiſſima domibus janitrix Cæſarum, quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.* Recte autem de his Lauris A. Rubenius explicat Tertullianum in Apologetico, ubi ait: *Qui ſunt, qui Imperatores inter duas lauros obſident?* id eſt, in ipſo palatio. Ad Lauros iſtas in honorem Auguſti poſitas, referendus quoque alius

XII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. CAESAR. AVGVSTVS, in quo cernuntur *duæ Laurus* expreſſæ.

# TABVLA XCIII.

I. Num. *Conſtantini M. & filior.* cum Inſcr. GLORIA. EXERCITVS. Duo milites armati haſtis & clypeis, cum ſigno militari

TAB·XCIII.

1

2

3

4

5



6

7

8

9

10

11

12

tari ſive Labaro intermedio, cui intextæ literæ Græcæ X & P, inter ſe connexæ, conſuetum nominis Chriſti iſtorum temporum Symbolum; deſignans *Gloriam Exercitus* in virtute militum, qui ſub hoc Signo pugnabant, conſiſtere.

Num. *Magnentii & Decentii*, cum Inſcr. SALVS DD. NN. AVG ET CAES. Vide ſupra Tab. LXXIX. Num. II. II.

Num. *Conſtantii*, filii Conſtantini M. cum Inſcr. HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. Imp. *Conſtantius* cum Labaro, cui intextus nominis Chriſti Character conſuetus Græcis literis X & P inter ſe connexis, à *Victoria* coronatur. Ad intelligentiam Inſcriptionis, quæ ex Hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis nota eſt, multa habet Cl. Patinus ad Numiſmata Impp. Rom. ex ære mediocri pag. 476 & ſeqq. Vide ſis etiam Baronium Annal. Eccleſ. Tom. III. ad ann. 312. cap. XVI & ſeqq. Quamquam ſi quis accurate conferre velit, quod de Signo in aëre à Conſtantino Magno, cum contra Maxentium cum exercitu iret, viſo, in literas retulere primus omnium Euſebius de Vita Conſtantini lib. I. cap. XXVIII. & XXIX. nec non poſt eum Socrates Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. II. & Sozomenus lib. I. cap. III. ac denique fabularum architectus Nicephorus Calliſtus Hiſt. Eccleſ. lib. VII. cum omnes rem iſtam aliter atque aliter narrent, nec ſibi invicem conſtent, parum à rei veritate aberraverit, qui totum hoc negotium ad pias veterum fraudes referendum cenſeat. III.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. Q. SALVIVS. IMP. COS. DESIG. *Fulmen* ab utraque parte quinque radiis, duabuſque alis inſignitum, ad ejus velocitatem & penetrationem denotandam. Heic verò Imperium Auguſti longe lateque extenſum deſignat. Alioquin triſulcum Jovis fulmen pingi ſolitum, nemo ignorat. Unde etiam Virgilius in deſcriptione fulminis à Cyclopibus elaborati, lib. VIII Æneid. IV.

*His*

*His informatum manibus, jam parte polita*
*Fulmen erat: toto genitor quæ plurima cælo*
*Dejicit in terras: pars imperfecta manebat.*
*Treis imbris torti radios, treis nubis aquoſæ,*
*Addiderant; Rutili treis ignis, & alitis Auſtri.*
*Fulgores nunc terrificos, ſonitumque, metumque*
*Miſcebant operi, flammiſque ſequacibus iras.*

De Q. Salvio, qui nummum cudit. Vide Fulvium Urſinum in gente SALVIA.

V. *.

VI. Num. *M. Antonii* IIIviri, cum Inſcr. COHORTIVM. PRAETORIARVM. *Aquila* alis expanſis, & *Signa* Cohortium Prætoriarum. Quæ autem fuerit Prætoria cohors, declarat Feſtus: *Prætoria cohors eſt dicta, quod à Prætore non diſcedebat. Scipio enim Africanus primus fortiſſimum quemque delegit, qui ab eo in bello non diſcederent, & cætero munere militiæ vacarent, & ſeſquiduplex ſtipendium acciperent.*

VII. Num. *Galbæ*, cum litteris S.C. *Aquila fulmen* ungulis tenens, inter duo *alia ſigna militaria*. Jul. Obſequens: *C. Cæſare, M. Lepido Coſſ. decimæ legionis aquilæ Cn. Pompeji filio, quæ fulmina tenebant, viſæ dimittere, & in ſublime volare.* Dio lib. XLIII. οἱ ᾧ δὴ ἀετοὶ τῶν στρατοπέδων αὐτὸ, τάς τε πτέρυγας σείσαντες, καὶ τοὺς κεραυνοὺς, οὓς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν τινὲς χρυσοῦς ἔφερον, ἐκβαλόντες, ἐκείνῳ τε τὸ κακὸν ἄντικρυς ἐσήμηναν, καὶ αὐτοὶ πρὸς τὸν Καίσαρα ἀπεπέτοντο. *Verum aquilæ exercitus Pompeiani, alas ſuas concutientes, fulminaque, quæ aurea nonnullæ pedibus geſtabant, projicientes, Pompeio exitium palam obnunciabant, ipſæque ad Cæſarem avolabant.* &c.

Num.

Num. *Iul. Cæsaris*, cum Inscr. EX. S.C. Imp. *Iul. Cæsar* togatus, in sella sedens, & Lauri ramum dextra tenens, à *Victoria* alata à tergo coronatur; ante eum stat *Aquila*, signum Legionis, super hastam cum cuspide in ima parte, qua terræ infigebatur. Dio Cassius lib. XL. Ἐστὶ δὲ νέως μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται, καθίστατάι τε ἐν πᾶσι τοῖς ἐκ τοῦ καταλόγου στρατοπέδοις, καὶ οὐδαμῶς ἐκ τῶν χειμαδίων, πλὴν εἴκοι σύμπας ὁ στρατὸς ἐξίοι, κινεῖται· καὶ αὐτὸν εἷς ἀνὴρ ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἐς ὀξὺ τὸν στύρακα ἀπηγμένου, ὥστε καὶ ἐς τὸ δάπεδον καταπήγνυσθαι, φέρει. *Aquila exigua quædam sacelli effigies est, inque ea aquila aurea est collocata: erigitur autem in omnibus per delectum conscriptis legionibus: neque prius hibernaculis effertur, quam universus exercitus egrediatur. Eam aquilam hastæ sublimi impositam unus quidam vir portat, cujus hastæ pars infima in acutam cuspidem desinit, ut in solum defigi possit.* VIII.

Num. *M. Aurelii*, cum Inscr. TR. POT. XI. COS. II. *Fæmina succincta*, & altera mamma nuda, stans ante aram incensam, cum patera in dextra, & signo militari in sinistra manu. A. Rubenius putat esse aliquam ex Geniis exercitus. IX.

Num. *Constantini Iunioris*, cum Inscriptione PRINCIPI. JVVENTVTIS. *Constantinus* paludatus & laureatus, sinistra hastam puram, & dextra *Labarum*, cui littera C. intexta, tenens. adstant & alia duo *signa militaria*. X.

Num. *M. Antonii* IIIviri, cum Inscr. LEG. PRI. *Aquila* & *Signa Legionis primæ*. Ita enim Legiones ab ipsius delectu, ordine nominabantur, ut quæ primo loco scripta esset, prima diceretur, & secunda, quæ secundo, atque ita deinceps, uti constat ex Dione Cassio lib. XXXVIII. ubi scribit: Ἐξαίρετον δὲ δὴ τὸ δέκατον στράτευμα ἐποιήσατο, ὅτι εὔνοιάν πως ἀεὶ αὐτοῦ εἶχεν. XI.

ἔπαγε δὲ καὶ τὰ πολιτικὰ στρατόπεδα πρὸς τιμὴν τῶν καταλόγων τάξιν ὠνομάζετο· ὅθεν καὶ νῦν ὁμοίως τὰ νῦν ὄντα τὰς ἐπικλήσεις ἔχει. *Decimam vero legionem eximiam ducebat Cæsar, quod eam semper sui studiosam habuisset. Et solebant ita quæ civibus constabant legiones secundum ordinem delectuum appellari. Vnde fit, ut etiam hodiernæ legiones eodem modo cognominentur.* Legiones M. Antonii in argenteis denariis videre est apud Fulvium in Familiis Romanis ex antiquis Numismatibus, in novissima præsertim Cl. Patini Editione, ubi omnes ordine dispositæ sunt, à secunda ad XXIV. usque continuato numero. In Thesauro ducis Areschotani etiam occurrit Antonii nummus, ubi mentio fit *Legionis* XXX.

XII. Num. *Maximini*, cum Inscr. P.M. TR. P. P. P. Imp. *Maximinus* paludatus, inter signa militaria stans, quorum alterum dextra apprehendit, & sinistra hastam, quæ cuspide solo infixa, tenens.

## TABVLA XCIV.

I. Num. *Val. Hostiliani Messii*, cum Inscr. PRINCICPI. IVVENTVTIS. Ipse *Valens Hostilianus Messius Quintus*, paludatus, cum signo militari, in dextra, & hasta in sinistra manu. De *Principis Iuventutis* titulo Vid. supra ad Tab. IV. Num. X. &c.

II. Num. *Constantii Nob. C.* cum Inscr. PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Constantius Cæsar* Constantini M. Filius, paludatus inter duo signa militaria, & hastam cum cuspide terræ infixa sinistra tenens.

III. Num. *Æmiliani*, cum Inscr. P. M. TR. P. I. P. P. Imp. *Æmilianus* paludatus, stans cum patera ante aram accensam, & sacrificans apud *signa*, dum sinistra scipionem tenet. Signa enim militaria apud Romanos in summa veneratione erant, æque

ac

TAB XCIV.

1

2

3

4

5

6

7




8




9

10

11

12

ac Deorum ſimulacra. Unde Tertullianus in Apologetico: *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Dionyſius Halicarnaſſ. lib. VI. Συνελθόντες οἱ στρατιῶται εἰς ἓν πάντες, ὅπλων τε καὶ σημείων ὄντες κύριοι, Σικιννίου τινὸς Βελλούτου παροξύναντος αὐτούς, ἀφέσαν τῶν ὑπάτων, ἀρπάσαντες τὰ σημεῖα· τιμιώτατα γὰρ Ῥωμαίοις ταῦτα ἐπὶ στρατείας, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζουσι. *Milites armis & ſignis potiti in unum congreſſi, inſtigante quodam Sicinio Belluto, raptis ſignis defecerunt à Conſulibus. nihil enim in Romana militia ſignis habetur venerabilius: nec minus ſacra judicantur, quam Deorum ſimulacra.*

Num. *A. Hirtii*, cum Inſcr. A. HIRTI. A. F. Conſules IV. *Hirtius* & *Panſa*, ambo togati, & dextra haſtam, cujus ſummæ parti faſciola, vel ſimile quid alligatum, tenentes, ad Bellum profecturi ſacra faciunt ante aram accenſam; à cujus altera parte ſtat ſacerdos velato capite, paterâ ſuper aram libans, & poſt eum alia figura cum acerrâ.

Num. *Tiberii*, cum Inſcr. SIGN. RECEP. DEVICT. V. GERM. *Aquila* Legionis, cum duobus ſignis, quorum alteri vexillum militare adnexum, in memoriam *Signorum*, Variana clade amiſſorum, per *Germanicum* devictis Germanis *receptorum.* Tacitus lib. I. Annal. *Bructeros ſua urentes, expedita cum manu L. Stertinius, miſſu Germanici fudit: interque cædem & prædam reperit Vndeviceſimæ Legionis Aquilam cum Varo amiſſam.* Idem lib. II. *Ipſe* (Germanicus) *majoribus copiis Marſos irrumpit, quorum dux Malovendus, nuper in deditionem acceptus, propinquo loco defoſſam Varianæ Legionis Aquilam, modico præſidio ſervari indicat. Miſſa extemplo manus, quæ hoſtem à fronte eliceret; alii, qui terga circumgreſſi recluderent humum: utriſque adfuit fortuna.* Vide tamen quæ notata ad Tab. XXV. Num. XII.

VI. Num. *Titi*, cum Litteris S C. *Signum militare* cum vexillo, cui *Victoria* alata ſiniſtra palmam ferens, dextra Lauream Coronam imponit. Rebus enim lætis, diebuſque feſtis, Signa ornari floribus, & inungi ſolebant. Claudianus:

*Lætaturque tamen, Mavortia Signa rubeſcunt*
*Floribus, & ſubitis animantur frondibus haſtæ.*

Hinc in Veteri marmore:

CORONIS INLATIS. SIGNISQVE. VNCTIS.

Plinius lib. XIII. cap. III. *Aquilæ ac Signa pulverulenta illa, & cuſtodiis horrida, inunguntur feſtis diebus.* Suetonius in Claudio cap. XIII. *Neque Aquilæ ornari, neque Signa convelli, moverique potuerunt.*

VII. Num. *Auguſti.* in quo expreſſus *Clypeus Votivus* cum Inſcr. S. P. Q. R. CL. V. Sic in alio

VIII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. cernere eſt *Victoriam* advolantem aptare Columnæ *Coronam civicam* cum *Clypeo Votivo.* In alio adhuc

IX. Num. *Ejuſdem*, cernitur *Corona querna* cum *Clypeo Votivo* à S. P. Q. R. Auguſto decreta OB CIVIS SERVATOS.

X. Num. *Veſpaſiani*, in quo videre eſt *Clypeum Votivum* Columnæ affixum inter duas Lauros: ſupra Columnam expreſſum eſt vaſculum quoddam; quod Pierius lib. XLIX Hieroglyph. & alii *Urnam* eſſe putant, qua Veſpaſiani cineres reconditi fuerint. A. Rubenius verò credit potius eſſe notam monetalem.

XI. Num. *Conſtantini* Junioris, cum Inſcr. CAESARVM. NOSTRORVM. *Corona Laurea* cum titulo VOT. X.

Num.

TAB XCV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10




11

12



Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IOVI. VOT. SVSC. PRO. XII. SAL. CAES. AVG. S.P.Q.R. *Corona Querna* ſive *Civica*, cum *Votis pro ſalute Cæſaris Auguſti ſuſceptis à S.P.Q.R.* uti inſcriptio indicat. Cujuſmodi Vota ſingulis annis ſuſcipi & ſolvi moris erat. Suetonius in Auguſto cap. LVII. *Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex Voto pro ſalute Ejus ſtipem jaciebant*; *item Kalendis Ianuariis ſtrenam in Capitolio*, *etiam abſenti* &c. Hinc Plinius lib. X. Epiſt. XLIV. ad Trajanum: *Solemnia Vota pro incolumitate tua*, *qua publica ſalus continetur*, *& ſuſcipimus*, *Domine*, *pariter & ſolvimus*, *precati Deos ut velint ea ſemper ſolvi*, *ſemperque ſignari.* Vide plura apud J. Ph. Thomaſinum Libro ſingulari de Donariis & Tabellis Votivis cap. XIX. nec non Andr. Schottum Obſervat. Philoſoph. lib. V. cap. XXXI.

# TABVLA XCV.

Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. VOTA. SVSCEP. DE- I.
CEN. III. COS. III. Imp. *Antoninus Pius*, togatus, & velato capite, ante Tripodem Aram *Vota Decennalia tertium ſuſcipiens*; cum ſcilicet Pius per viginti annos Imperio præfuiſſet, & jam tertium decennium Imperii ingrederetur. niſi potius Inſcriptionis Verba legenda ſint, VOTA SVSCEPTA DECENNALIVM, ſubintellige *Ludorum*, quos ſingulis decenniis Imperii celebrare moris erat. Sic enim diſertim legitur in

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcript. VOTA. SOLVTA. DE- II.
CENNALIVM. COS. III. ubi ſimiliter Imp. *M. Aurelius* velato capite, & togatus ante Aram cum patera ſtans, *Vota ſolvit Decennalium*, ubi neceſſe ſubintelligendum *Ludorum.* Hinc in alio

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. VOTA SVSCEPT. DE- III.
CENN. II. Ubi Imp. *M. Aurelius* itidem velatus & togatus an-

te aram ſuſcipit *Vota Decenn.* II. etiam de *Votis ſuſceptis Decennalium II.* Ludorum nempe, explicanda videntur. Quæ quidem *Decennalium II. Vota* Imp. M. Aurelius *ſuſcepit*, ſed non *ſolvit*, quippe qui ſecundum Imperii Decennium non expleverit, ſed anno XIX. Imperii mortuus fuerit. Velato autem capite ſemper vota ſuſcipi & celebrari ſolita, manifeſtum ex Joſepho lib. VII De Bello Judaico, cap. XXVI. ubi de Veſpaſiano: καὶ πολλῆς ἐκ πάντων ἡσυχίας γενομένης ἀναστὰς, καὶ τῷ περιβλήματι τὸ πλέον τῆς κεφαλῆς ἀποκαλυψάμενος εὐχὰς ἐποιήσατο τὰς νενομισμένας. *Magnaque omnium quiete facta ſurrexit, & amictu magnam partem capitis adapertus, ſolemnia Vota celebravit.* Subjicitque Joſephus: ὁμοίως δὲ καὶ Τῖτος ἤυξατο. *Idem verò etiam Titus fecit.* Capite ſcilicet velato.

IV. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. PRIMI. DECENNALES. COS. III. *Corona Querna* cum glandibus, ſive *Civica*, ex cujus Inſcriptione patet *Primos Decennales* ſc. Ludos à *M. Aurelio* celebratos Conſulatu ejus tertio; quod & Nummus II. hujus Tabulæ oſtendit, ubi habuimus VOTA SOLVTA DECENNALIVM. COS. III. Morem autem Decennalium Ludorum ſingulis Imperii decenniis celebrandorum ab Auguſto originem traxiſſe, & inde ad cæteros Imperatores derivatum, docet Dio Caſſius lib. LIII. τῆς γοῦν δεκαετίας ἐξελθούσης, ἄλλα ἔτη πέντε, εἶτα πέντε, καὶ μετὰ τοῦτο δέκα, καὶ ἕτερα αὖθις δέκα, πεμπτάκις ἃ αὐτῷ ἐψηφίσθη· ὥστε τῇ τῶν δεκετηρίων διαδοχῇ διὰ βίου αὐτὸν μοναρχῆσαι. καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ μετὰ ταῦτα αὐτοκράτορες, καίτοι μηκέτ' ἐς τακτὸν χρόνον ἀλλ' ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονείαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι· καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται. *Ei* (Auguſto) *cum primum decennium exiviſſet, aliud quinquennium,*

*atque*

*atque eo circumacto rursum aliud quinquennium; post decennium; ac eo finito aliud iterum decretum est, & quinquies quidem; ita ut continuatis decenniis, per totam Vitam Imperii summam obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed per omne Vitæ spatium iis Imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum pro ejus renovatione agunt, quod hodie etiam fit.*

Num. *Ioviani*, cum Inscr. VOT. V. MVLT X. *Corona laurea*, cum Inscriptione VOTIS. V. MVLT. X. quod legi potest MVLTIS. X. vel MVLTIPLICATIS. X. Quæ Epigraphe omnino explicanda, uti fecit G. Camdenus in sua Britannia, in Nummo quodam *Gratiani*, cum Inscriptione in aversa parte VOTIS. V. MVLTIS. X. Populum scilicet Vota nuncupasse tunc, ut V. annos floreret Imperator, & numero multiplicato multa Decennia faustis acclamationibus comprecatos esse. Et fallitur A. Rubenius ipsemet, qui in Commentario suo ad Numismata Impp. Rom. Camdenum propterea erroris arguit, cum existimet, hujusmodi epigraphen VOTIS V. MVLTIPLICATIS X. semper significare, uti scribit: *cum Vota Quinquennalia, quæ in principio Imperii suscepta erant, expletis V annis persolvebantur, alia suscipiebantur, quæ Decem annis in Imperio expletis persolvebantur, & sic consequenter.* Quæ sane explicatio in hoc Joviani nummo locum utique habere non potest; quippe qui octavum mensem in Imperio non expleverit. Et mirum est, doctissimum Rubenium in hunc lapidem impegisse, quasi hujusmodi Inscriptiones in Nummis semper ita explicandæ essent de Votis Quinquennalibus jam persolutis, cum ipsum fugere haud potuerit, easdem Inscriptiones reperiri quoque in Nummis istorum Imperatorum, qui, non dico non quinquennium, sed ne quidem annum integrum in Imperio absolverint, uti istud manifestum in Joviano nostro. Sic in aliorum Impp. quorundam Nummis Inscriptio occurrit VOT. XXX. MVLT. XXXX. V.

uti

uti hæc exſtat in Nummo quodam Valentis Imp. uti & Conſtantii; qui tamen priora Vota nunquam perſolverunt; ſed explicanda iſta ſunt, de Votis à populo acclamante ſuſceptis, qui tam diuturnum Imperium ipſis optarunt. Vide Tab. LVIII. Num. XII.

VI. Num. *Conſtantini Magni*, cum Inſcr. VOTIS. V. MVLTIS. X. *Victoria Auguſti* alata, ſeminuda, ſtans, & Clypeum cum titulo VICTORIA AVG. Columnæ impoſitum ſuſtinens. Hic eſt Nummus, ad quem A. Rubenius iſtam explicationem, cujus modo meminimus, habet; cum tamen in hoc ipſo Nummo non MVLT. X. unde quis MVLTIPLICATIS facere poſſet, ſed expreſſis literis MVLTIS. X. ſculptum ſit. Quæ inſcriptio ex mente Camdeni explicanda.

VII. Num. *Iul. Cæſaris*, cum Inſcr. CAESAR. DIC. ITER. *Trophæum* ex ſpoliis armorum erectum, (ad cujus truncum adſidet humi barbarus captivus, nudus, manibus poſt tergum devinctis,) à Victoria alata adſtante coronatur. Videtur eſſe Trophæum de Pharnace Armeniorum rege devicto, cujus meminit Dio lib. XLII. Καῖσαρ ὁ ἐπὶ τῇ νίκῃ, καίπερ ὁ πάνυ διαφερόντως χαιρόμενος, πολὺ καὶ ὅσον ἐπ' ἀδεμιᾷ ἄλλῃ ἐφρόνησεν, ὅτι ἔν τε τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἧκε καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ὥρᾳ καὶ ἦλθε πρὸς τὸν πολέμιον, καὶ εἶδεν αὐτὸν, καὶ ἐνίκησε. καὶ τότε λάφυρα πάντα, καί τοι πλεῖστα χρήματα, τοῖς στρατιώταις ἐδωρήσατο, καὶ τρόπαιον ἐπειδήπερ ὁ Μιθριδάτης ἀπὸ τῆς Τεταρτίδος ἐνταῦθά που ἐγηγέρκει, ἀνέστησε. καθελεῖν μὲν γὰρ τὸ τοῦ βαρβάρου οὐκ ἐτόλμησεν, ὡς καὶ τοῖς ἐμπολεμίοις θεοῖς ἱερωμένον· τῇ δὲ δὴ τοῦ ἰδίου κατασκευῇ καὶ ἐκεῖνο σωεσκίασε, καὶ τρόπον τινὰ καὶ κατέσχεψε *Ea Victoria quamvis non ſplendidiſſima, Cæſar magnopere ſeſe jactavit, ut nulla alia magis; quod eadem die & perveniſſet ad hoſtem, & vidiſſet eum, & viciſſet. Manu-*

*Manubias omnes, quamvis plurimæ erant, militibus donavit: cumque trophæum eo in loco Mithridates de Triario ſtatuiſſet, quia id conſecratum belli deis, evertere fas non erat, ipſe de Pharnace ſuum appoſuit, atque ita Mithridaticum obſcuravit, quodamque modo dejecit.*

Num. *Severi*, cum Inſcr. INVICTO. IMP. *Trophæum* aliquod armis appenſis, Severo erectum, forſan poſt Britanniam paratam. Cernitur autem heic eodem fere modo armis appenſis arboris truncus in trophæum adornatus, uti Virgilius lib. XI. Æneam feciſſe ſcribit: VIII.

*Ingentem quercum, deciſis undique ramis*
*Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma*
*Mezenti ducis exuvias, tibi magne trophæum*
*Bellipotens: aptas rorantes ſanguine criſtas*
*Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,*
*Perfoſſumque locis.* &c.

Num. *Trajani*, cum Inſcr. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS, SC. Imp. *Trajanus* thorace indutus, inter duo Trophæa feſtinanter quaſi incedens, & utrumque manibus apprehendens; quemadmodum de Auguſto Virgilius: IX.

*Et duo rapta manu diverſo ex hoſte Trophæa.*

Trajani Victorias de *Dacis* & *Parthis* diverſarum plane nationum hoſtibus reportatas bina hæc Trophæa deſignant.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IMP. CAESAR. *Trophæum*, cui præter Armorum ſpolia trunco adpenſa, addita ſunt gubernaculum, ancora, & roſtrum navis. Videtur eſſe Trophæum Actiacum, ab Auguſto poſt Antonium apud Actium claſſe profligatum, erectum. Alii quoque hunc nummum volunt cuſum in X.

memoriam Victoriæ navalis contra Sextum Pompeium prope Siciliam. Quo absque omni dubio pertinet alius

XI. Num. *Ejusdem*; in quo videre est Templum quoddam, in honorem Augusti à Siculis conditum, ut apparet è τῷ τρισκέλῳ, sive tribus cruribus, notissimo Siciliæ typo, in ejus fastigio expressis, cum Inscr. IMP. CAESAR. In hujus meditullio cernitur Trophæum Navale, de Spoliis Sexti Pompeii ad Siciliæ oras classe ab Augusto victi, erectum. In alio adhuc

XII. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. IMP. CAESAR. Videre est *Columnam Rostratam* cum statua Augusti; cujusmodi Columnam Augusto positam ex decreto Senatus post debellatum Sext. Pompeium, testatur Appianus Alexandrinus lib. V. Bell. Civil. Sexto enim Pompeio devicto, Senatus longe extra Urbem ad Augustum suscipiendum progressus est, subsequente populo cum floreis coronis, ramisque laureis, ductumque Cæsarem in Capitolium ad sacrificium domum usque comitati sunt. Additi honores, ut statua equestris illi in castris poneretur, eo habitu, quo Pontifex Maximus in Capitolio sacrificaverat; concessum etiam, ut quotannis ea die, qua Sext. Pompeium mari Siculo vicerat, Sacerdotio solemniter uteretur. Ut iisdem in rostris Columnæ rostratæ ob id erectæ, statua aurea cum paludamento & hasta collocaretur, cum hoc titulo: IMP. CAESARI. AVG. PACE. TERRA. MARIQVE. PARTA. S.P.Q.R. Verba Appiani huc facientia, prout emendantur ab eruditissimo Is. Casaubono, in Animadversionibus ad Suetonii Augustum, hæc sunt lib. V. Bellor. Civil. de Augusto scribentis: Ἐκ δὲ τῶν ἐψηφισμένων τιμῶν ἐδέχετο πομπὴν, ἐτήσιόν τε ἱερομηνίαν εἶναι καθ' ἃς ἡμέρας ἐνίκα, καὶ ἐπινίκιος ἐν ἀγορᾷ χρύσεος ἑστάναι μετὰ σχήματος οὗπερ ἔχων εἰσῆλθε, περικειμένων τῷ κίονι

νεῶν

TAB XCVI.

1

2

3




4

5




6

7

8

9

10




11

12



νεῶν ἐμβόλων· καὶ ἔστι μὲν ἡ εἰκὼν ἐπιγραφὴν ἔχουσα, ΟΤΙ. ΤΗΝ. ΕΙΡΗΝΗΝ. ΕΣΤΑΣΙΑΣΜΕΝΗΝ. ΕΚ. ΠΟΛΛΟΥ. ΣΥΝΕΣΤΗΣΕ. ΚΑΤΑ. ΤΕ. ΓΗΝ. ΚΑΙ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Ex honoribus autem per SC. oblatis accepit thensam in Circensibus, & annua solemnia diebus Victoriæ, nec non hujus signum aureum in foro collocatum, cui statua ejus ad vivum expressa superposita, ac rostra navium circum Columnam affixa fuêre, cum hujusmodi inscriptione:* OB. PACEM. DIV. TVRBATAM. TERRA. MARI. QVE. REDDITAM.

# TABVLA XCVI.

Num. *Drusi*, cum Inscr. NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMAN. IMP. *Arcus Triumphalis*, in cujus fastigio ipse *Drusus* in equo inter duo Trophæa, ob Victorias ejus in Germania ex decreto Senatus erectus. Faciunt huc, quæ de Druso habet Suetonius in Claudio cap. I. *Drusus in Quæsturæ prætura*que *honore, dux Rhætici, deinde Germanici belli, Oceanum Septemtrionalem primus Romanorum ducum navigavit: transque Rhenum fossas novi & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc DRVSINÆ vocantur. Hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius destitit insequi, quam specie barbaræ mulieris humana amplior, victorem tendere ultra sermone Latino prohibuisset. Quas ob res ovandi jus, & triumphalia ornamenta accepit.* &c. I.

Num. *Augusti*, cum Inscr. L. VINICIVS. *Arcus Triumphalis*, cui inscriptum S. P. Q. R. IMP. CÆS. & in cujus fastigio ipse *Augustus* Lauream dextra tenens in curru triumphali cum quadrigis cernitur. Sic in alio II.

Num. *Ejusdem* itidem videre est *Arcum Triumphalem*, sed aliâ III.

forma exſtructum, cum Inſcr. IMP. CÆSAR, & *Auguſtum* cum Lauro triumphantem cum quadrigis. Hujuſmodi arcum cum curru triumphali quadrijuge, & trophæo deſcribit Prudentius lib. II. contra Symmach.

*Fruſtra igitur Currus ſummo miramur in Arcu*
*Quadrijuges, ſtanteſque Duces in curribus altis*
*Fabricios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos,*
*Sub pedibuſque ducum captivos, poplite flexo*
*Ad juga depreſſos, manibus in terga retortis,*
*Et ſuſpenſa gravi telorum fragmina trunco.* &c.

IV. Num. *Neronis*, cum litt. S C. *Arcus Triumphalis*, Neroni ob victoriam Corbulonis de Parthis, poſitus, in quo præter Statuas haſtatas & quadrigas, etiam *Coloſſum* ad latus inter duas columnas additum cernimus. Tacitus, poſtquam res à Corbulone geſtas narraſſet lib. XIII. Annal. addit cap. XLI. *Ob hæc conſalutatus Imperator Nero, ex Senatuſconſulto ſupplicationes habitæ: Statuæque & Arcus, & continui Conſulatus Principi: utque inter feſtos dies, quo patrata victoria, quo nunciata, quo relatum de ea eſſet, aliaque in eandem formam decernuntur.* &c. Et lib. XV. Ann. cap. XVIII. *At Romæ Trophæa de Parthis, Arcuſque medio Capitolini montis ſiſtebantur.* &c. Altitudinem hujus Arcus facile divinare licet ex Coloſſo adjecto, qui haud dubie exſtructus ad exemplum iſtius Coloſſi, quem Nero cum ſua effigie in Veſtibulo Domus, à Palatio Eſquiliai uſque à ſe ædificatæ, poſuit, de quo Suetonius cap. XXXI. *Veſtibulum ejus fuit, in quo Coloſſus centum viginti pedum ſtaret ipſius effigie.* Plinius lib. XXXIV. cap. VII. *Zenodorus Romam accitus eſt à Nerone, ubi deſtinatum illius Principis ſimulacrum, Coloſſum fecit, CX. pedum longitudine, qui dicatus Solis venerationi eſt, damnatis ſceleribus illius Principis.* Hujus Coloſſi caput poſtea Ant. Com-

Commodum dempſiſſe, atque ſuum impoſuiſſe, teſtatur Æl. Lampridius in ejus Vita.

Num. *Domitiani*, cum litt. S C. *Arcus Triumphalis* Domitiano poſitus, cum geminis quadrigis Elephantorum, quos Domitianus regit; propter geminam de Dacis Victoriam. De hoc Arcu Martialis lib. VIII. Epigr. LXV. ad Domitianum: V.

*Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia late*
*Templa nitent, felix area nuper erat.*
*Hic ſtetit Arctoi formoſus pulvere belli*
*Purpureum fundens Cæſar ab ore jubar.*
*Hic lauro redimita comas, & candida cultu*
*Roma ſalutavit voce manuque ducem.*
*Grande loci meritum teſtantur & altera dona,*
*Stat ſacer edomitis gentibus Arcus ovans.*
*Heic gemini Currus numerant Elephanta frequentem,*
*Sufficit immenſis aureus ipſe jugis.*
*Hæc eſt digna tuis* GERMANICE, *Porta triumphis,*
*Hos aditus Vrbem Martis habere decet.*

Num. *Trajani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S C. *Arcus Triumphalis* inſignis utique ſtructuræ, ex Senatus decreto Trajano poſitus, in quo præter ipſum Trajanum in quadrigis inter duas Victoriolas triumphantem, & duo Trophæa armorum ſpoliis ornata, res à Trajano geſtas undique effigiatas cernere eſt, cum Inſcriptione I. O. M. De hoc Arcu Xiphilinus ex Dione, ubi poſtquam dixiſſet, Senatum, cum à Trajano nunquam non certior redderetur de tot gentibus à ſe devictis, Senatus vero eas neque cognoſcere, neque ſatis nominare poterat, VI.

præter alia multa decreviſſe, ut Trajanus de quotquot vellet provinciis triumphos ageret, ſubjicit: καὶ οἱ μὲν ἄψῖδα αὐτῷ τροπαιοφόρῳ ἐς πολλοῖς ἄλλοις ἐν αὐτῇ τῇ ἀγορᾷ ἀυτῇ παρεσκεύαζον. *Itaque cum alia multa, tum verò arcum triumphalem in foro ipſius ædificari juſſit.*

VII. Num. *Iul. Cæſaris*, cum Inſcr. PONT. MAX. DIC. PEPP. *Sella Curulis*, cum Corona laurea, & ab utroque latere Conſulum Inſignia, *Faſces* cum *ſecuribus*, ad deſignandum J. Cæſari tam domi in civilibus, quam foris in exercitu ſummum Imperium delatum.

VIII. Num. *M. Bruti*, cum Inſcr. BRVTVS. Cernitur heic *L. Iunius Brutus*, qui Reges exegit, incedens cum Lictoribus, Conſulum Inſignia, *Faſces* cum *ſecuribus*, geſtantibus. uti de eo Virgilius lib. VI. Æneid.

*Conſulis imperium hic primus, ſævaſque ſecures*
*Accipiet*, &c.

à M. Bruto autem, qui conjurationis in Jul. Cæſarem dux & caput, videtur iſte hoc ſchemate in Nummo relatus, cum ob familiam, quæ à Junio Bruto originem traxit, cum ob facti ſimilitudinem. Unde Cicero alicubi in Epiſtola ad Octavium: *L. Brutus populum Romanum primò, poſt progenies ejus, à Regibus liberavit.*

IX. Num. *I. Cæſaris*, cum C. CAESAR. DIC. PERPET. EX. SC. *Sella Curulis* cum *Corona*; haud dubie ad memoriam Sellæ ejus Aureæ, & Coronæ, quam Senatus inter cæteros honores Julio decretos, in Theatra inferri, atque in circum introduci juſſit. Qua de re inter alia Dio Caſſius lib. XLIV. Ἐπειδὴ δὲ τοῦτο ἠρέσκετο, οὕτω δὴ ἔς τε τὰ θέατρα τόν τε δίφρον αὐτοῦ τὸν ἐπίχρυσον, καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον, ἐξίζειν τῶν θεῶν, ἐνομίζετο· καὶ ταῖς Ἱπποδρομίαις ὄχλον ἐσά-

ἐσάγεσθαι ἐψηφίσαντο. *Cum hæc etiam Cæsari placuissent, jam in theatra etiam Sellam ejus auream, Coronamque gemmis auroque insignem, Deûm coronis parem, inferri, atque in Circum etiam introduci à multitudine jusserunt.* Et lib. XLV. καὶ τότε μὲν ἔτε τὸν δίφρον τὸν ἐλεφάντινον τοῦ Καίσαρος τὸν ἐπίχρυσον, ἔτε τὸν στέφανον τὸν διάλιθον ἐς τὸν θέατρον ἐσήγαγεν, ὥσπερ ἐψηφισο, φοβηθεὶς τὸν Ἀντώνιον. *Sellam tum Cæsaris auream, coronamque tum gemmis ornatam in theatris, quamvis ita fuerat constitutum, Antonii metu non intulit.* Suetonius in Cæsare cap. LXXVI. *Decerni sibi passus est sedem auream*, &c. Ejusdem Sellæ Cæsari decretæ meminit quoque Appianus lib. III Bell. Civil.

Num. *Augusti*, cum Inscr. C. POPPAEVS. SABINVS. AED. CVR. *Sella Curulis* cum *Corona* itidem, quam A. Rubenius heic positam putat ob Ædilitatem C. POPPÆI. ÆDILIS CVRVLIS; qui hunc Nummum signavit. *Fulmen* vero adjectum, idem existimat esse notam monetalem, uti in aliis nummis quoque videre est. Hujus vero *Poppæi Sabini* mentio fit apud Tacitum Annal. lib. I. cap. LXXX. lib. IV. cap. XLVI. lib. V. cap. X. lib. VI. cap. XXXIX. & denique lib. XIII. cap. XLV. Videndus & Dio Cassius de eodem. X.

Num. *M. Lepidi*, cum Inscr. COS. ITER. III. VIR. R. P. C. *Sella Curulis*, cui *Fulmen* impositum; adstante ab altera parte *Lauro*, ab altera *Arista*. Forte, inquit A. Rubenius, propter Ludos, vel Sacra, quæ Jovi, Apollini, & Cereri M. Lepidus Pontifex Maximus edidit. XI.

Num. *M. Antonii*, cum Inscr. CONS. DESIGN. ITER. ET TER. IIIVIR. R. P. C. *Sella Curulis*, cui tres *Laureas Coronas* impositas cernimus, in honorem Triumvirorum; singulis nempe Unam. XII.

CLAS-

# CLASSIS VI.

## *CIRCOS, LVDOS, & quæ eò pertinent, complectens.*

## TABVLA XCVII.

I. Num. *Augusti*, cum Inscr. CAESAR. AVGVSTVS. S.P.Q.R. *Clypeus Votivus* à S.P.Q.R. Augusto decretus inter duas *Laurus*. Vid. ad Tab. XCII. Num. XI.

II. Num. *Ejusdem*, cum litt. S C. Cernere heic est imaginem *Circi Maximi*, qui olim quidem à Tarquinio Prisco in ambitu cum ligneis sedilibus, sive subselliis, quo commodius spectari posset, excitatus, postea vero porticibus latericiis gradus sustentantibus in gyrum conclusus, forma oblonga; ex una parte in hemicycli speciem desinebat; ex alia vero angulos duos rectos habebat; atque ita recto latere claudebatur; fabricatus in Valle Murcia inter Aventinum, Pallatiumque colles; eâ plane figura, uti in hoc Numismate expressus. Circi partes, & aliquando totum ipsum collabentem, vel alio casu deformatum; varii Principes instaurarunt, auxerunt, exornarunt; ita ut ipse Circus, & ipsius ornamenta, quæ primum lignea fuerunt, postea lateritia, demum marmorea, & aurata facta sint. Hunc præter alios, etiam instauravit & exornavit Augustus, ut tradit M. Aur. Cassiodorus Lib. III. Variar. §. LI. hisce verbis: *Sed Mundi dominus ad potentiam suam opus extollens, mirandam etiam Romanis fabricam in vallem Murciam tetendit Augustus, ut immensa moles firmiter præcincta montibus contineretur, ubi magnarum rerum indicia clauderentur.* Ad ejus rei memoriam proculdubio Numisma hoc Augusti cum Circo Maximo cusum. Distincte autem heic discernere

TAB. XCVII.

1

2




3

4

5

6




7

8



9

10

11

12

nere eſt Circi partes, & ornamenta, *Metæ* ab utraque parte, *Obeliſcus* in medio, gradus ſive ſubſellia, quæ *Fori* dicebantur; &c. de quibus omnibus, aliisque ad rem Circenſem pertinentibus, videndus Onuphrius Panuinius libro ſingulari De Ludis Circenſibus.

Num. *Neronis*, ſine Inſcr. quidem ab hac parte, ſed in qua III.
etiam videre eſt expreſſum *Obeliſcum* magnum cum *Metis*, & *quadrigas* hinc inde ab Agitatoribus ſive Aurigis inſtigatas. Sive hic Nummus referendus ſit ad Circum illum, quem Onuphrius De Lud. Circenſ. cap. XXIII. à Nerone condictum vult trans Tiberim haud longe à Vaticano, Hadriani moli in hortis Domitiæ, Neronis Imperatoris amitæ, vicinum; ſive potius ad Neronis ſtudium equorum, & Circenſium; adeo ut & ipſemet Aurigam in Circo Maximo egerit. Suetonius in ejus Vita, cap. XXII. *Equorum ſtudio vel præcipue ab ineunte ætate flagravit, plurimuſque illi ſermo, quanquam vetaretur, de Circenſibus erat.* Et paullò poſt: *Mox & ipſe aurigare, atque etiam ſpectari ſæpius voluit: poſitoque in hortis inter ſervitia & ſordidam plebem rudimento, univerſorum ſe oculis in Circo Maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam, unde Magiſtratus ſolent.* Tacitus Annal. lib. XIV. cap. XIV. *Vetus illi cupido erat, curriculo quadrigarum inſiſtere.* &c. Et mox: *Clauſum valle Vaticana ſpatium, in quo equos regeret, haud promiſcuo ſpectaculo conceſſum, mox ultro vocari populus Romanus, laudibus extollere, ut eſt vulgus cupiens voluptatum, & ſi eodem princeps trahat lætum.* Xiphilinus ex Dione Caſſio, lib. LXIII. ὁ δὲ Νέρων ἐπὶ τούτοις καὶ ἐκιθαρῴδησε δημοσίᾳ, καὶ ἡρματηλάτησε, τήν τε στολὴν τὴν πράσινον ἐνδεδυμένος, καὶ τὸ κράνος τὸ ἡνιοχικὸν περικείμενος. *Poſt hæc Nero cithara publice cecinit, curruſque, praſina veſte indutus, & galea aurigarum ornatus, agitavit.*

Num. *Trajani*, cum Inſcr. S.P.Q.R OPTIMO. PRINCIPI. IV.
*Circus Maximus*, quem collapſum Trajanus ampliorem & elegan-

tiorem restituit, ut tradit ex Dione Xiphilinus : Οὕτω γάρ πως ἐμεγαλόφρων ἐμεγαλογνώμων ἦν, ὥστε ἐτῷ ἱπποδρόμῳ ἐπιγεγράψαι, ὅτι ἐξαρκεῖ τὰ αὐτὸν τῷ τῶν Ῥωμαίων δήμῳ ἐποίησεν, ἐπειδὴ διαφθαρέντα πη ἐμείζω ἐκαλλέτερον ἐξειργάσατο. *Adeo autem & magni animi & conceptus erat, ut Circo inscripserit, Quod capacem populi Romani struxisset : quia scilicet corruptum, & majorem, & elegantiorem fecerat.* Hinc Plinius in Panegyrico : *Hîc immensum latus Circi templorum pulchritudinem provocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quæ ex illa spectabuntur.* &c. Ad hanc autem Circi reparationem à Trajano factam referenda ista Suetonii in Domitiano, cap. V. *Fecit Odeum, & Naumachiam, è cujus postea lapide Maximus Circus, deustis utrimque lateribus, exstructus est.* Posteà, nempe à Trajano; & fallitur Onuphrius De Lud. Circens. cap. VII. dum putat Suetonium de Domitiano loqui; quasi ipsemet Domitianus ex lapidibus Naumachiæ Maximum Circum postea exstruxisset.

V. Num. *Caracallæ*, cum Inscr. P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. IIII. P. P. S. C. Sunt qui *Circum* in hoc nummo signatum referunt, ad Circum illum, qui adhuc exstat in via Appia, tertio ab Urbe lapide, prope fanum D. Sebastiani, & vulgò *Ant. Caracallæ* dicitur, quasi ab eo exstructus. Sed merito Onuphrius De Ludis Circensib. cap. XXIV. istos falli putat, cum hujus nummi Circus simillimus sit Maximo, qui in Trajani nummo cernitur; illius vero in Via Appia, tota structura admodum similis sit ædificiis istis, quæ circa, vel post Constantini tempora exstructa fuisse, certo constat.

VI. Num. *Alexandri Severi*, cum litt. SC. Imago *Circi* ab Alexandro restituti. Lampridius in ejus Vita : *Lenonum, meretricum & exoletorum vectigal in sacrum Ærarium inferri vetuit, sed sumptibus publicis, ad instaurationem Circi, Theatri, Amphitheatri, & Ærarii designavit.* Num.

Num. *Hadriani*, cum Inſcr. ANN. DCCCLXXIIII. VII. NAT. VRB. CIR. CON. *Figura Fœminea* fere nuda, humi ſedens, dextra *Rotam* genu alteri impoſitam ſuſtinens, & ſiniſtro brachio complectens tres *Metas Circi*. Inſcriptio indicat Circum quendam ab Hadriano conditum, quamvis nemo veterum meminerit, nec ejus rei ulla mentio uſpiam præterquam in hoc Nummo fiat, tempusque una adſignet, iſtud nempe factum *anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto* NATæ URB*is*. Per rotam autem, & Metas, Curſûs Certamen bigis, aut quadrigis circum metas in Circo fieri ſoliti denotatur.

VIII. *

Num. *Neronis*, cum Inſcr. SABINÆ. In hoc Nummo præter Metas, expreſſus eſt raptus virginum *Sabinarum*, ſub Romulo primo Romanorum Rege, cum vicinas nationes ad ſpectaculum Conſualium invitaſſet, perpetratus, qui Ludi poſtea Circenſes appellati. Valerius Maximus lib. II. cap. I. *Circenſe ſpectaculum primus Romulus raptis virginibus Sabinis Conſualium nomine celebravit.* Hinc Virgilius lib. VIII. Æneid. IX.

*Nec procul hinc Romam, & raptas ſine more Sabinas*
*Conſeſſu caveæ magnis Circenſibus actis*
*Addiderat.*

Ubi tamen manifeſtum, Virgilium ad ſua tempora reſpexiſſe, cum eos Circenſes appellavit. Nam ad uſque Tarquinii Priſci regnum, à quo primum Circus iis edendis conditus fuit, jam inde à Romuli tempore, Conſuales dicebantur, à Conſo Deo, cui Romulus, quando eos primum inſtituit, ſacra fecit.

Num. *Claudii*, ſine Inſcr. in quo cernitur *Thenſa* à quatuor equis tracta, ac Victoriolis aliiſque ornamentis inſignita; Claudio X.

ſcilicet poſt conſecrationem, & jam inter divos relato, decreta; nam in altera parte hujus Nummi expreſſum eſt Caput Claudii laureatum, cum Inſcr. DIVVS CLAVDIVS AVGVSTVS. Cujuſmodi Thenſæ Impp. in Circenſi pompa cum reliquis Deorum imaginibus quoque vehi ſolebant; poſtquam Cæſar Dictator primus omnium Romanorum inter alios honores à Senatu hunc quoque obtinuerat. De J. Cæſare Suetonius in ejus Vita cap. LXXVI. *Non enim honores modo nimios recepit, ut continuum Conſulatum, perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, inſuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, ſtatuam inter reges, ſuggeſtum in orcheſtra: ſed & ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt: ſedem auream in curia & pro tribunali, Thenſam & ferculum Circenſi pompa.* &c. Dio Caſſius lib. XLIII. ubi de honoribus Cæſari à Senatu decretis agit, inter alia ſcribit: Ὁ τότε μὲν ἀνδριάντα αὐτοῦ ἐλεφάντινον, ὕστερον δὲ καὶ ἅρμα ὅλον ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις μετὰ τῶν θείων ἀγαλμάτων πέμπεσθαι ἔγνωσαν. *Statuam quoque tunc eburneam Cæſaris, ac poſt thenſam in Circenſibus pompis cum deorum ſimulacris vehi juſſerunt.* Pompam autem Circenſium deſcriptam vide apud Dionyſium Halicarnaſſ. lib. VII. & inter recentiores apud Onuphrium de Ludis Circenſ. lib. II. cap. II.

XI. & XII. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. EX. SC. in quorum utroque cernitur itidem *Thenſa* cum quadrigis, & Victoriolis, aliisque ornamentis, quæ Veſpaſiano poſt mortem Senatus decrevit.

# TABVLA XCVIII.

I. Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. DIVO. AVG. VESP. S. P. Q. R. *D. Veſpaſiani* effigies cum haſta pura in dextra, & Victoriola in ſiniſtra manu, ſedentis in *Thenſâ*, à quatuor Elephantis tractâ.

Num.

TAB. XCVIII.

1

2




3




4

5

6

7

8

9

10

11

12

Num. *Fauſtinæ* matris, cum litt. S C. *Diva Fauſtina* cum ſceptro eburneo in dextra, poſt mortem ſedens in Thenſa, à duobus Elephantis vecta. Jul. Capitolinus in Antonino Pio : *Tertio anno Imperii ſui, Fauſtinam uxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus atque templo, & Flaminicis, atque ſtatuis aureis, atque argenteis, cum etiam ipſe hoc conceſſerit, ut imago ejus cunctis Circenſibus poneretur.* II.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS CÆS. MATER. EX SC. *Currus*, ſeu *Thenſa*, cui *D. Claudius*, & *Agrippina* inſident, cum quadriga Elephantorum, D. Claudio Imp. poſt mortem inter Divos relato, & Agrippinæ ex S C. decreta. III.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. MEMORIÆ. DOMITILLAE. S.P.Q.R. *Carpentum* mulare memoriæ *Domitillæ*, ſororis Titi, & Domitiani Impp. Veſpaſiani Auguſti filiæ, decretum. Suetonius in Veſpaſiano, cap. III. *Ex hac liberos tulit*, (Veſpanus,) *Titum & Domitianum, & Domitillam. Vxori ac filiæ ſuperſtes fuit, atque utramque adhuc privatus amiſit.* Sororem Domitillam inter Divas retulit, & conſecravit Domitianus Imp. cujus meminit Statius Papinius lib. I. Sylvar. I. IV.

Num. *Agrippinæ*, Caii Cæſaris matris, in quo cernitur *Carpentum mulare*. Sic in alio V.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q.R. MEMORIAE. AGRIPPINAE, itidem hujuſmodi *Carpentum mulare* expreſſum; tale enim ejus memoriæ poſt mortem à Cajo filio decretum. Suetonius in Caligula cap. XV. *Tiberio cum plurimis lachrymis pro concione laudato funeratoque ampliſſime : confeſtim Pandatariam & Pontias, ad transferendos matris fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret : adiitque venerabundus, ac per ſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena Oſtiam, præfixo in* VI.

*biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi subvectus, per splendidissimum quemque equestris ordinis, medio ac frequenti die duobus ferculis Mausoleo intulit. Inferiasque his annua religione publice instituit: & eo amplius matri Circenses, Carpentumque, quo in pompam traduceretur.*

VII. Num. *Trajani*, in quo expressus *Circus*, cum quatuor singularum factionum quadrigis, ab agitatoribus suis instigatis. de quibus vide Onuphrium Panuinium de Ludis Circensib. lib. I. cap. X.

VIII. Num. *Neronis*, cum Inscr. EVTYMIVS. Imp. *Nero* dextrâ *telum*, sive *jaculum* (quamvis aliis *Flagellum* videatur) siniſtra *palmam* præferens, in curru à quatuor equis, cum palmis in capitibus, tracto; quo schemate Reditum Neronis è Græcia designari existimant. de quo Suetonius in ejus Vita, cap. xxv. *Reversus è Græcia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicorum est. Simili modo Artium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, & in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterarum cum titulis &c.* Videndus & Xiphilinus ex Dionis Lib. LXIII. EVTYMIVS in Inscriptione quis fuerit, haud facile dictu; quidam putant forte aliquem ex Aurigis Neronis, dilectum illi, fuisse; vel esse nomen Liberti Neronis, qui hunc Nummum percussit; aut denique Neronem istud nomen sibi adsumpsisse in Olympicis Ludis, ob celebrem illum Euthymium, qui toties Victor Olympiæ evasit, cujus meminere Plinius lib. VII. cap. XLVII. & Pausanias lib. II. Eliacorum.

IX. Num. *Sept. Severi*, cum Inscr. DOMNVS. PHILOCOMVS. *Auriga* aliquis in curru cum quadrigis, dextra *flagellum*, siniſtra *palmam*, ut videtur, tenens. Inter præmia enim Victoribus Aurigis in Circensibus, etiam palmæ distributæ. Livius

vius lib. X. in fine : *Sp. Carvilio, L. Papirio COSS. coronati primum ob res bene geſtas, Ludos Romanos ſpectaverunt, palmæque tum primum tranſlato è Græcia more victoribus datæ.* Suetonius in Nerone, cap. V. *Cn. Domitius L. F. Neronis Imperatoris pater, in Prætura mercede palmarum aurigarios fraudavit.* & cap. XXII. *Neque diſſimulabat Nero, velle ſe palmarum numerum ampliare, quare ſpectaculum multiplicatis miſſilibus in ſerum protrahebatur.* &c.

Num. *Gentis Memmiæ*, cum Inſcr. MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT. Signum *Cereris* matronali habitu ſedentis, cum dracone ante pedes, ſiniſtra *ſpicarum* & *papaverum* manipulum, tenentis; Quod vero dextrâ habet, Fulvius *Colum* eſſe exiſtimat; & adducit iſta ex Porphyrii libello de Anno Nympharum, ut probet Antiquos quoque Cererem cum colo effingere ſolitos : ὅτω ⟨ ϖῆδὰ τῷ Ὀρφεῖ ἡ Κόρη ὑπὲς ἑστι πωτὸς ἔ ατειρμῶς ἔφορ⟩, ἱστεργῶσα ϖῆδαδίδ⟩· τῶν παλαιῶν ⟨ τὸν ὐρανὸν πέπλον εἰρηκότων, ὅιον θεῶν ὐρανίων ϖέδιλημα. *Sic & Proſerpina omnium ex ſemente naſcentium præſes, lanam faciens ab Orpheo inducitur; cum antiqui ipſum quoque cœlum peplum vocarint, veluti cœleſtium deorum velum.* A. Rubenius vero, *facem* potius eſſe putat, quam Ceres dextra tenet. Et *fax* ſane Cereri magis familiaris. Cæterum *Cerealia* iſta, quæ C. *Memmius* Ædilis in hoc Nummo primus feciſſe dicitur, Ludi erant Circenſes in honorem Cereris inſtituti. De quibus Ovidius lib. IV. Faſtor. X.

*Circus erit Pompa celeber, numeroque deorum*
*Primaque ventoſis palma petetur equis.*
*Heic Cereris Ludi, non eſt opus indice cauſſæ.* &c.

Tacitus lib. XVI. Annal. ubi de conjuratione contra Neronem: *Tandem*, inquit, *ſtatuere Circenſium ludorum die, qui Cereri celebrabatur, exequi deſtinata, quia Cæſar rarus egreſſu, domoque aut hortis*

*tis clausus, ad ludicra Circi ventitabat*, Et paullò post: *Vtque Circensium Cerealium ludicrum pluribus equitum cursibus celebraretur.*

XI. Num. *Gentis Serviliæ*, cum Inscr. C. SEREIL. C. F. P. & *C. Servilii Cascæ* fratres, galeati, & Clypeo armati, qui cum cæteris conjuratis Jul. Cæsarem interfecerunt, gladiolos, aut pugiones, erecta acie manibus gestantes: Fulvius Ursinus stilos vult esse; eò quod duo Cascæ fratres graphiis, sive stilis Cæsari vulnera inflixerunt; ad quos eum, qui hunc nummum signavit, respexisse putat. Suetonius in Cæsare cap. LXXXII. *Deinde clamantem, ista quidem vis est, alter Casca adversum vulnerat, paullum infra jugulum. Cæsar Cascæ brachium abrepto graphio trajecit: conatusque prosilire, alio vulnere tardatus est.* Sic enim recte hunc locum ex Veteribus libris legendum Fulvius adducit; pro quo vulgò legitur: *Cæsar Cascæ brachium abreptum graphio trajecit.* Plutarchus tamen in vita Cæsaris, *pugionis*, & *gladii* mentionem facit, ubi de duobus hisce fratribus Cascis ita scribit: πρῶτος δὲ Κάσκας, inquit, ξίφει παίει παρὰ τὸν αὐχένα, πληγὴν οὐ θανατηφόρον, οὐδὲ βαρεῖαν, ἀλλ' ὡς εἰκὸς, ἐν ἀρχῇ τολμήματος μεγάλου ταραχθεὶς. ὥστε καὶ τὸν Καίσαρα μεταστραφέντα τῆς ἐγχειριδίου λαβέσθαι, καὶ κασχεῖν· ἅμα δέ πως ἐξεφώνησεν, ὁ μὲν πληγεὶς, Ρωμαϊστὶ, μιαρώτατε Κάσκα. ὁ δὲ πλήξας, ἑλληνιστὶ πρὸς τὸν ἀδελφὸν, ἀδελφὲ βοήθει. *Primus Casca gladio vulnus secundum cervicem infligit ei, neque lethale, neque grave; nimirum in magni facinoris exordio attonitus. at Cæsar conversus, pugionem arripuit, & tenuit: simulque clamorem sustulere: Cæsar Latinè, scelerate Casca, quid agis? Casca Græcè ad fratrem, adesto frater* &c. Cæterum in altera parte hujus

XII. Num. exstat Inscr. FLORA. PREIMVS; quæ conjuncta cum priore, indicat *C. Servilium C. F. Floralia primum* fecisse. Caput fœmininum, quod heic expressum, cum corona laurea & floribus

TAB. XCIX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

ribus redimitum, haud dubie *Floræ Deæ* effigiem repræſentat, in cujus honorem *Floralia* iſta celebrabantur. Unde Ovidius lib. IV. Faſtor.

*Mille venit variis florum Dea nexa coronis.*

Et lib. V.

*Mater ades florum, ludis celebratâ jocoſis.*

Fulvius per C. Servilium C. F. ſignificari arbitratur eum, qui, ut Livius ſcribit lib. XXVII. Magiſter Equitum anno U. C. IↃXLV. T. Manlio Torquato Dictatore fuit; quo quidem anno Ædilis Curulis cum idem eſſet, eum Ludos Florales primum feciſſe exiſtimat. Eorum enim procurationem Ædilium Curilium fuiſſe ex Valerio Maximo lib. II. cap. X. patet: *M. Catone*, inquit, *Ludos Florales, quos Meßius Ædilis faciebat, ſpectante, populus, ut mimæ nudarentur, poſtulare erubuit.* Sic Porphyrio Horatii Interpres ad lib. II. Satyr. III. in Floralibus, Ædiles cicer & fabam populo ſpargere conſueviſſe ſcribit.

# TABVLA XCIX.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. CERTA. QVINQ. ROM. CO. S. C. *Abacus*, ſive *Menſa* cum *Vrceolo*, & *Corona* impoſitis. De *Certamine Quinquennali*, cujus mentionem Inſcriptio facit, ita Suetonius in Nerone cap. XII. *Inſtituit & Quinquennale certamen primus omnium Romæ, more Græco triplex, Muſicum, Gymnicum, Equeſtre, quod appellavit NERONIA.* Et cap. XXI. *Cum magni æſtimaret cantare, etiam Romæ Neroneum agona ante præſtitutum diem revocavit*; hoc eſt, non exſpectato quinquennio ſolido elapſo. I.

II. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. DECVRSIO. S. *Nero Laureatus*, & Alius, ambo in Equis *Decurſionem* inſtituunt. Sic in alio

III. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. DECVRSIO. Idem *Nero Laureatus* Eques cum haſta in dextrâ decurſionem inſtituit, adſtante milite cum Clypeo & Signo. Sunt qui *ad Ludicrum Trojæ*, cujus origo, ratio, & modus à Virgilio lib. V. Æneid. elegantiſſime deſcribitur, à Nerone in juventute celebratum hoſce Nummos referunt. Qua de re Suetonius in Nerone cap. VII. *Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circenſibus Ludis Troiam conſtantiſſimè, favorabiliterque luſit.* Tacitus Annal. lib. XI. *Sedente Claudio Circenſibus Ludis, cum pueri nobiles equis Ludicrum Trojæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus, & L. Domitius adoptione mox Imperium, cognomenque Neronis adſcitus; favor plebis acvior in Domitium, loco præſagii acceptus eſt.* Adii ad Curſus, & Certamina Equorum, quibus Nero unice delectabatur, pertinere putant. Xiphilinus ex Dione Caſſio lib. LXI. ωδὶ μὲν οὖν τὰς ἱπποδρομίας τοσοῦτον ἀσθῆ ὁ Νέρων ἐκέχρητο, ὥστε τοὺς ἵππους τοὺς ἀγωνιστὰς, τοὺς ἐπιφανεῖς, τοὺς παρηβηκότας, στολῇ τε ἀγοραίῳ, ὡς ἄνδρας τινὰς, κοσμῆσαι, καὶ χρήμασιν ὑπὲρ σιτηρεσίου τιμῆσαι. *Inprimis igitur Nero curſu, & certaminibus equorum ita delectabatur, ut ob eam cauſam inſignes equos victores, & iam ſenio confectos, ſtola forenſi non ſecus, quam homines, ornaret; eoſque honeſtaret pecunia, ſtipendii loco.* &c.

IV. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. L. MESCINIVS. RVFVS. IIIVIR. *Cippus*, ſive *Columna*, cum Inſcr. IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. in memoriam *Ludorum Sæcularium*, quos Auguſtus denuo reſtituit, & celebravit. Suetonius in Auguſto, cap. XXXI. *Nonnulla etiam*, inquit, *ex antiquis Cæremoniis paulatim abolita reſtituit: ut Salutis Augurium: Diale Flaminium: Sacrum Luper-*

*Lupercale : Ludos Sæculares, & Compitalitios.* Acron in Horatii lib. I. Od. XXI. *Augustus Ludos Sæculares restituit, quibus hymni Apollini & Dianæ dicebantur à nobilibus pueris* &c. Ludos Sæculares ab Augusto quintos celebratos scribit Dio Cassius lib. LIV. τότε σαικυλάρια τὰ πέμπτα ἐπετέλεσε. Hosque esse quos laudat Horatius *Carmine Sæculari* neminem fugit. Notæ XV. S. F, quæ ad latus Columnæ in Nummo exstant, cum Fulvio ad Augustum referendæ, utpote qui *Quindecim Vir* fuerit *sacris faciundis*, quando Ludos Sæculares fecit. Ad Quindecim virorum autem Collegium curam Ludorum Sæcularium pertinuisse disertis verbis testatur Tacitus lib. XI. Annal. cap. XI. *Iisdem Consulibus Ludi Sæculares octingentesimo post Romam conditam, quarto & sexagesimo quam Augustus ediderat, spectati sunt; Vtriusque Principis rationes prætermitto, satis enarratas libris, quibus res Imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit Ludos sæculares; iisque intentius affui sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum prætor. quod non jactantia refero, sed quia collegio Quindecim-virum antiquitus ea cura, & Magistratus potissimum exsequebantur officia cærimoniarum.* Hinc quoque Horatius in Carmine Sæculari :

> *Quæque Aventinum tenet, Algidumque*
> *Quindecim Diana preces virorum*
> *Curet*, &c.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. AVGVST. DIVI. F. LVDOS SAEC. *Figura* gradiens cum *galea alata* in capite, dextra *Caduceum*, & sinistra *Clypeum*, in quo Solis imago expressa, tenens. Magna Antiquariorum pars putat esse figuram Sacerdotis alicujus ex iis, qui *Salii* vocabantur; Cum autem Salii Marti dicati essent, figura verò hæc cum apparatu isto ad Mercurium omnino referenda sit, existimarem potius heic Præconium Ludorum Sæcularium designari, per Præconem scilicet, qui non Romæ tantum, V.

ſed per omnem Italiam, populum more ſolemni invitare conſueverat, *Venirent*, *ſpectarent Ludos*, *quos nec ſpectaſſet quiſquam*, *nec ſpectaturus eſſet*. Zoſimus Hiſtor. lib. II. περιϊόντες οἱ κήρυκες εἰς τὴν ἑορτὴν συνιέναι πάντας ἐκέλευον ἐπὶ θέαν, ἣν οὔτε πρότερον εἶδον, οὔτε μετὰ ταῦτα θεάσονται. *Circumeuntes præcones univerſos invitabant ad ſpectaculum*, *quod neque vidiſſent antea*, *neque viſuri poſtea eſſent*. Unde Suetonius de Claudio: *Fecit & Sæculares*, *quaſi anticipatos ab Auguſto*, *nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat*, *intermiſſos eos Auguſtum multo poſt*, *diligentiſsime annorum ratione ſubducta*, *in ordinem redegiſſe*. *Quare vox Præconis irriſa eſt*, *invitantis more ſolemni ad Ludos*, *quas nec ſpectaſſet quiſquam*, *nec ſpectaturus eſſet: cum ſupereſſent adhuc*, *qui ſpectaverant*, *& quidam hiſtrionum producti olim tunc quoque producerentur*. Anni enim ab Auguſti Sæcularibus ad eos, quos Claudius fecit, LXIII. fuere. Sic quoque Domitiani Ludi Sæculares vix quadraginta annorum interſtitio differebant à Claudianis, ita ut, tum etiam multi adhuc ſuperſtites fuerint, ex iis, qui Claudii Secularia ſpectaverant. Verum de his, aliiſque videndus Onuphrius Panuinius Libro Singulari de Ludis Sæcularibus.

VI. Num. *Domitiani*, in quo cernitur *Corona querna*, circa *Columnam*, uti in nummo Auguſti, cui inſcript. LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. deſignans Domitianum *Conſulatu ſuo XIIII. Ludos Sæculares feciſſe*. Sic in alio

VII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. Similis ferè figura gradiens cernitur, uti in Auguſti nummo habuimus, niſi quod pro Caduceo, *virgam* vel *ſcipionem* dextra teneat, & ſiniſtra *Clypeum*, in quo caput galeatum expreſſum; ſive iſta ex Saliorum collegio aliquem, ſive Præconem Ludorum exhibeat. De Domitiani Sæcularibus Suetonius cap. IV. *Fecit & Ludos*

*Ludos Sæculares : computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, ſed quo olim Auguſtus ediderat.* Celebravit Ludos Sæculares Domitianus anno U. C. IↃCCCXLI.

Num *Ejuſdem*, cum Inſcr. LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. Imp. *Domitianus* in ſuggeſto ante templi cujuſdam porticum, quæ quatuor columnis Corinthiis ſuſtinetur, ſedens, cum duobus vaſis ante pedes, dextrâ Populo *Suffimenta* dividit. Hoc enim manifeſtum ex alio VIII.

Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcr. LVD. SAEC. FEC. COS. IIII. ubi itidem *Domitianus*, eodem ſchemate in ſuggeſtu ſedet, cui adſcriptum S. P. Q. R. SVF. P. D. id eſt, *Suffimenta Populo data.* Ante Ludos Sæculares enim à Quindecimviris ſacris faciundis in Capitolio & Pallatio, ante Apollinis Palatini, & Jovis Capitolini templa, pro tribunali ſedentibus populo Luſtralia, ſeu piamina, hoc eſt, quæ ad flagitiorum expiationes pertinerent, diſtribui ſolebant, quæ erant tædæ, ſulphur & bitumen, ut teſtatur Zoſimus Hiſt. lib. II. πρὸ ἡμερῶν ὀλίγων τοῦ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι, ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ ἐν τῷ νεῷ τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον οἱ δεκαπέντε ἄνδρες ἐπὶ βήματος καθήμενοι τῷ δήμῳ διανέμουσι τὰ καθάρσια. ταῦτα δέ ἐστι, δᾶδες καὶ θεῖον καὶ ἀσφαλτον. *Perpaucis diebus antequam Ludi peragerentur, in Capitolio, temploque Palatino Quindecimviri ſedentes in ſuggeſtu, Luſtralia populo diſtribuebant. Ea ſunt faces, & ſulphur & bitumen.* Hinc itaque patet etiam Domitianum inter Quindecimviros fuiſſe. IX.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. LVD. SAEC. FEC: COS. XIIII. Populus velo tectus ante Templum quatuor colummis exſtructum, in genua procumbens, dextris ſupra caput elevatis, ſe expiatum ac luſtratum teſtatur; forſan ſchema hoc pertinet ad *Pervigilia* à populo in templis Apollinis Palatini, & Jovis Capi- X.

tolini, ac præterea in Aventino templo Dianæ peragi solita. De quibus Zosimus Hist. lib. II. συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου παντὸς ἔν γε τοῖς ῥηθεῖσι τόποις, καὶ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Αρτέμιδος, ὃ ἐν τῷ Αυεντίνῳ λόφῳ καθίδρυται, σῖτον καὶ κριθὴν ἕκαστος φέρει καὶ κύαμον, καὶ ταῖς Μοίραις ἄγουσι παννυχίδας μετὰ σεμνότητος ἐν νυξίν. *Posteaquam populus universus in locis iis quæ diximus, & in templo Dianæ, quod est in Aventino colle, convenit: triticum & hordeum & fabas quisque accipit, ac Parcis nocturnas pervigilationes caste publiceque agitant.*

XI. Num. *Ejusdem*, in quo cernitur Imp. *Domitianus* togatus, sacrificans, & libans patera super aram accensam, adstantibus ab altera aræ parte duobus *Tibicinibus*; ac *Victimaria* taurum, aut bovem, quem alius *papa* ad ictum fronte excipiendum ritè tenet, malleo feriente. *Sacrificium sæculare*, quod secundo secularium die in Capitolio peragi solebat, repræsentare videtur. Quemadmodum & alius

XII. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. LVD. SAEC. FEC. COS. XIIII. Ubi similiter Imp. *Domitianus* super aram accensam *Sacra Sæcularia* facit, cum duobus tibicinibus. De cujusmodi Sacris Zosimus lib. II. Hist. Τῇ δὲ μετὰ ταύτην ἡμέρᾳ εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀναβάντες, κἀνταῦθα τὰς νενομισμένας θυσίας προσαγαγόντες, ἐντεῦθέν τε ἐπὶ τὸ κατεσκευασμένον θέατρον ἐλθόντες, τὰς θεωρίας ἐπιτελοῦσι Απόλλωνι καὶ Αρτέμιδι. *Proximo secundum hunc die, conscenso Capitolio, & consuetis ibidem victimis oblatis, ad exstructum inde theatrum venientes, Apollini & Dianæ ludos faciunt.* Nam ad Sacrificia illa Sæcularia, quæ primo Ludorum Sæcularium die in ripa Tiberis ad Tarentum fiebant hi Nummi haud pertinere videntur; quando scilicet, referente Zosimo, prima spectaculorum nocte ad horam secundam, tribus aris in ripa fluminis

TAB. C.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

minis exſtructis, Imperator, cum Quindecimviris tres agnos cædebat, & aris ſanguine reſperſis ſolidas victimas adolebat. Peragebanturque tum Sacrificia Jovi, Junoni, Apollini, Latonæ, Dianæ, Parcis, Ilithyis, ſive Lucinis, Cereri, Diti patri, & Proſerpinæ, uti latius iſta refert Zoſimus dicto lib. II.

# TABVLA C.

Num. *Domitiani*, cum Inſcr. COS. XIIII. LVD. SAEC. A. POP. Imp. *Domitianus* ante porticum Templi in ſuggeſtu, cui adſcriptum FRVG. AC. Sedens, cum duobus vaſculis ante pedes, *Fruges populo* diſtribuit. Id enim indicat Inſcriptio, quæ partim in ſuggeſtu, partim circum Nummi marginem habetur, & conjunctim legenda, FRVGES. ACCEPTAE. A. POPVLO. Moris enim quoque erat in Sæcularibus triticum, fabas, & hordeum inter univerſum populum dividi, ut partim ex Zoſimi verbis ad Num. X. Tab. præced. adductis, partim iis, quæ paullo poſt apud eumdem ſequuntur, conſtat, ubi ait: Κομίζονται οἱ ταῦτα ποιοῦντες μισθὸν τὰς ἀπαρχὰς τῶν καρπῶν σίτου καὶ κριθῆς καὶ κυάμων· ἅπαντα γὰρ, ὡς εἴρηταί μοι, καὶ τῷ δήμῳ παντὶ διανέμουσι. *Et hæc qui peragunt, pro mercede primitias frugum, tritici, hordei, fabarum accipiunt. Nam illæ, ut diximus, univerſo populo diſtribuuntur.* I.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. Imp. *Domitianus* ſtans ante aram accenſam, ſuper quam, *Sacra Sæcularia* celebrans, paterâ libat, adſtante *Tibicine* canente, & *Citharœdo*, qui Citharam pulſat, nec non *Papis* Victimam jugulantibus, uti in Num. XI. Tab. præc. II.

Num. *Severi*, cum Inſcr. COS. III. LVD. SAEC. FEC. III. Impe-

Imperator *Severus*, togatus & laureatus, *Sacra Sæcularia* faciens ad aram, ad quam *agnus* pro Victima adducitur; per senem illum humi jacentem, putem *Tiberim* designari, quia, ut ex Zosimo ad Num. XII. Tab. præced. notavimus Sacra ista primo die in Ripa Tiberis fieri solebant. Vir nudus, qui ab altera aræ parte adstat, *Herculem* cum exuviis Leonis repræsentat; & juxta eum adest *Bacchus*, cum *Thyrso*, quia Severus illos præ aliis maxima religione venerabatur; unde est quod & commune iis Templum fecerit, ut Xiphilinus ex Dione notat.

IV. Num. *Severi*, cum Inscr. SAECVLARIA. SACRA. Imp. *Severus* cum filiis *Sacra Sæcularia* super aram celebrat. Zosimus lib. II. Hist. ubi de iis, qui Ludos Sæculares instituerunt, agens, subjungit: Ἐπὶ τέτοις ὁ Σεβῆρος τῶν δέκα καὶ ἑκατὸν ἐνιαύτων ἐτῶν ἅμα τοῖς παισὶν Αντωνίνῳ καὶ Γέτᾳ τὴν αὐτὴν ἑορτὴν κατεστήσατο, Χίλωνος καὶ Λίβωνος ὄντων ὑπάτων. *Post hos Severus decem & centum instantibus annis, cum filiis Antonino & Geta Ludos eosdem celebravit, Chilone Liboneque COSS.* Vide & Censorinum De Die Natali cap. XVII.

V. Num. *Ejusdem*, cum Inscr. SÆCVLARIA. SACRA. Imp. *Severus* cum filiis *Sacra Sæcularia* faciens, adstantibus *Tibicine*, & *Citharœdo*, ac humi adjacente *Tiberi* super Urnam, ex qua aqua effluit; designans sacrificia in ripa Tiberis facta.

VI. Num. *Philippi*, cum Inscr. SAECVLARES. AVGG. Cernitur hic *Leopardus*, cujusmodi inter cæteras feras à Philippo quoque in *Ludis Sæcularibus* celebratis exhibiti fuêre. Sæculares vero Philippus fecit anno V. C. cIↃ. Præter alios Cassiodorus in Chronico: *Æmilianus & Aquilinus. His Coss. Millesimus annus Vrbis Romæ expletus est; ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo Magno interfecit: Ludosque in Campo*

*Campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, celebravit : quadraginta etiam missus Natali Vrbis Romæ concurrerunt, & Agon mille annorum actus.* De bestiis porro istis Sæcularibus à Philippo exhibitis Jul. Capitolinus in Gordiano tertio ita scribit; *Fuerunt sub Gordiano Romæ Elephanti triginta & duo, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem: Alces decem, Tigres decem, Leones mansueti sexaginta, Leopardi mansueti triginta, Belbi id est, Hyænæ, decem; Gladiatorum fiscalium paria mille : Hippopotamus & Rhinoceros unus: Archoleontes decem, Camelopardi decem: Onagri viginti, Equi feri quadraginta; & cætera hujusmodi Animalia, innumera & diversa, quæ omnia Philippus Ludis Sæcularibus vel dedit, vel occidit. Has autem omnes feras mansuetas & præterea efferas parabat ad triumphum Persicum : sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia Philippus exhibuit Sæcularibus Ludis & Muneribus, atque Circensibus, cum millesimum ab Vrbe condita annum in Consulatu suo & filii sui celebravit.* Horum animalium quædam hodieque in Nummis Philippi, ac filii, nec non Uxoris ejus, in memoriam Sæcularium istorum cusus, effigies occurrunt, uti in hoc, & aliquot seqq. videre est. Sic in alio

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. SAECVLARES AVGG. VII. Cernitur *Cervus*, in Sæculari Ludo exhibitus. In alio verò

Num. *Philippi* Junioris, cum eadem Inscr. SAECVLARES· VIII. AVGG. Aliud occurrit *Animal* in Sæcularibus datum, non absimile Cervo. A. Rubenius *Tragelaphum* esse putat, de quo Plinius lib. VIII. cap. XXXIII. postquam de Cervis egit: *Est eadem specie*, inquit, *barba tantum & villis armorum distans, quem Tragelaphum vocant*, &c. Sic in quodam

Num. *Philippi* patris, cum eadem Inscr. Videre est *Animal* IX. quoddam ignotis cornibus; quod *Strepsicerota* esse existimat A. Rubenius, de cujus cornibus Plinius lib. XII. cap. XXXIII. no-

tat : *Erecta autem , rugarumque ambitu contorta , & in lene faſtigium exacuta , (ut lyras diceres) Strepſiceroti , quem Addacem Africa appellat.*

X. Num. *Ejuſdem* , cum Inſcr. SAECVLARES. AVGG. *Cippus* , ſive *Columna* , cui inſcr. COS. III. in Memoriam *Secularium* erecta. Sic in alio

XI. Num. *Ejuſdem* , cum eadem Inſcr. ſcalpta eſt *Lupa Romulum & Remum* lactans , in memoriam Conditorum Urbis æternæ , cujus à Natali jam Milleſimus annus iſtis Sæcularibus celebrabatur. Hinc in alio

XII. Num. *Ejuſdem* , occurrit Inſcriptio MILLENARIVM. SAECVLVM , cum Columna , ſive Cippo , cui inſcr. COS. III. in memoriam *Millenarii Ludi* erecto.

# TABVLA CI.

I. Num. *Philippi* Junioris , cum Inſcr. MILIARIVM. SAECVLVM. *Philippus* Junior togatus ſtans , & *virgâ* , quam dextra tenet , aditum templi demonſtrans ; Baronius in Annalibus putat hoc ſchemate deſignari , quaſi cum novo ſæculo novam ille religionem ſervandam proponeret ; exiſtimat Philippos , patrem & filium , cultui Chriſtianæ religionis addictos fuiſſe ; quod tamen dubio non caret ; quamvis iſtud noviſſime Cl. Wetſtenius in Præfatione ante Origenis Dialogum contra Marcioniſtas , cum duobus aliis ejuſdem Opuſculis nuper primum ab eo Græcè editis , variis argumentis denuo propugnare conatus fuerit. Adeſt & *Columna* cum Inſcr. COS. II. uti in præcedentis Tab. Num. X. & XII. *Philippi* patris , COS. III. Patre enim III. & filio II. COSS. *Ludos Sæculares* celebratos indicant. Quemadmodum

TAB. CI.

1

2

3

4

5

6

7

8

9



10



11

12

modum autem in hoc Nummo MILIARIVM SAECVLVM, ita in aliis duobus

Num. *Philippi* patris, legitur SÆCVLVM. NOVVM. ubi expreſſum eſt *Templum* quoddam cum ſex Columnis, in quorum altero figura ſedens togata cum haſtâ cernitur, Imperatorem ipſum forte deſignans; à quo *Sæculo Novo* poſt mille annorum ab Urbe condita curriculum, Templum erectum. Per *Sæculum* enim *Novum* Milliare Sæculum ab Urbe Condita denotatur, uti optime Illuſtr. Spanhemius Diſſert. IX. de Præſt. & Uſu Vet. Num. obſervat, & quod Græci, νεοπαγῆ βίου vocarunt, uti Euſebius De Vita Conſtant. lib. III. cap. I. cujus verba per *Sæculum novum* expreſſit Clariſſ. Valeſius. II. & III.

Num. *Neronis*, ſine Inſcr. in quo cernere eſt *Aprum*, quem Canis Venaticus dentibus petit, & homo cum veſte ſuccincta, inſtar venatoris, jaculo conficit. Quo ſchemate deſignari putant Venationes à Nerone in Circo, ſive in Arena exhibitas; Quod ſi verum, oportet jam Neronis tempore in uſu fuiſſe, Arenam arboribus ornari, aut in ſylvam convertere; Sylvam enim Arbores in hoc Nummo expreſſæ denotant. Amphitheatra autem ſæpius in Sylvam converſa, ut vivam Imaginem exhiberent veræ germanæque venationis, docet J. Lipſius cap. X. de Amphitheatro. Deſcribiturque hujuſmodi Venatio graphice à Vopiſco in Probo: *Venationem in Circo ampliſſimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem ſpectaculi fuit tale. Arbores validæ per milites radicitus vulſæ, connexis late longeque trabibus affixæ ſunt, terra deinde ſuperjecta, totuſque Circus ad ſilvæ conſitus ſpeciem, gratia novi viroris effronduit. Immiſſi deinde per omnes aditus ſtruthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damæ, ibices, oves feræ, & cætera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. immiſſi deinde populares, rapuit quiſque quod voluit.* &c. IV.

V. Num. *Gentis Hoſidiæ*, cum Inſcr. C. HOSIDI. C. F. *Aper* jaculo transfixus, in quem canis irruit; ad Venationes Circenſes forſan pertinens. Sic in

VI. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. M. DVRMIVS. III VIR. cernere quoque eſt ejuſmodi *Aprum* jaculo transfixum. Qui Nummus haud dubie pertinet ad Venationes, ſive Ludis Sæcularibus, ſive alio tempore ab Auguſto exhibitas. De Venationibus Auguſti Suetonius cap. XLIII. *Aliquando nihil præter Venationem edidit* &c.

VII. Num. *Claudii*, cum Græca Inſcr. NIKA. NAΥKPATΩN. KAΠITΩΛ. *Victoria Claſſiariorum Capitolinorum.* Cernitur heic *Naumachia*, ſcalpta haud dubie in hoc Nummo, in memoriam pugnæ iſtius Navalis, quam Claudius in Lacu Fucino exhibuit, de qua Suetonius in Ejus Vita cap. XXI. Tacitus lib. XII. Annal. cap. LVI. Dio Caſſius lib. LX. alii, è quibus Taciti ſolius verba ex parte adſcribam: *Sub idem tempus*, inquit, *inter Lacum Fucinum amnemque Lirim, perpetuo monte, quo magnificentia operis à pluribus viſeretur, lacu in ipſo Navale prælium adornatur, ut quondam Auguſto ſtructo cis Tiberim ſtagno, ſed levibus navigiis, & minore copia ediderat: Claudius centum triremes quadriremeſque & undeviginti hominum millia armavit, cincto ratibus ambitu, ne vaga effugia forent, ac tantum ſpatium amplexus ad vim remigii, gubernantium artes, impetus navium & prælio ſolita. in ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adſtiterant, antepoſitis propugnaculis, ex quis catapultæ baliſtæque tenderentur. Reliqua lacus claſſiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colles ac montium edita in modum theatri, multitudo innumera complevit, proximis è municipiis, & alii Vrbe ex ipſa, viſendi cupidine, aut officio in Principem. Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina Chlamyde aurata præſedêre. Pugnatum, quanquam inter ſontes, fortium virorum animo; ac poſt multum vulnerum, occidioni exempti ſunt.* &c.

Num.

Num. *Domitiani*, cum Græca Inſc. ΕΠΟΙΗCΕ. ΦΑΑΟΥΟC. VIII.
CABINOC. *Fecit Flavius Sabinus. Naumachia*, ſive pugna navalis itidem in hoc nummo expreſſa, ad pugnas navales à Domitiano editas in Amphitheatro, aut in Naumachia à ſe exſtructa, pertinet. De quibus Suetonius cap. IV. *Spectacula magnifica aſſidue & ſumptuoſa edidit : non in Amphitheatro modo, verum & in Circo, ubi præter ſolennes bigarum, quadrigarumque curſus, prælium duplex etiam equeſtre & pedeſtre commiſit, atque in Amphitheatro Navale quoque.* Et paullò poſt : *Edidit navales pugnas pæne juſtarum claſſium, effoſſo & circumſtructo juxta Tiberim lacu, atque inter maximas imbres ſpectavit.* Vide & Xiphilinum ex Dione in Domitiano.

IX. *

Num. *Titi.* ſine Inſcr. in quo cernitur elegantiſſima ſtructura, X.
*Amphitheatrum* nempe cum *Meta ſudante* & parte *Domus Aureæ.* Amphitheatrum hoc à *Veſpaſiano* exſtructum, à *Tito* verò dedicatum, unde & Tito vulgo adſcribi ſolet. Suetonius in Veſpaſiano, cap. IX. *Fecit Amphitheatrum Vrbe media, uti deſtinaſſe compererat Auguſtum.* Idem in Tito, cap. VIII. *Amphitheatro dedicato, thermiſque juxta celeriter exſtructis, munus edidit apparatiſſimum, largiſſimumque.* De hoc quoque Martialis De Spectacul.

*Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,*
*Vnum præ cunctis fama loquatur Opus.*

Sed vide mihi Lipſium Libro Singulari de Amphitheatro, ubi & hoc Flavianum Amphitheatrum deſcribit, & totam rem more ſuo accurate illuſtrat.

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. M. DVRMIVS. III. VIR. XI.
*Leo Cervum devorans*; quod ſchema cum Fulvio potius referendum puto ad *Ludos Sæculares* ab Auguſto editos; quam cum

aliis, vel ad Victoriam Augusti contra Antonium; vel ad Urbem Veliam, quasi ibi Coloniam Augustus deduxerit, aut eam beneficiis affecerit; aut denique, quod in eâ urbe nummus percussus fuerit, ut vult A. Rubenius.

XII. Num. *Gentis Livineiæ*, cum Inscr. L. REGVLVS. in quo *Certamen* hominum *venabulo*, aut *jaculo & clypeo* armatorum, cætera nudorum, cum *Leonibus* expressum; cujusmodi cruenta hominum cum feris certamina in Arena, Romæ sæpius exhiberi solita, præsertim sub Cæsaribus. Vide quæ ad hanc rem collegit Jul. Cæs. Bulengerus lib. De Venatione Circi & Amphitheatri, cap. XXVII. & seqq.

## TABVLA CII.

I. Num. *Neronis*, cum Inscr. MAC. AVG. S. C. Elegans omnino & insigne ædificium in hoc Nummo scalptum, quod ex Inscr. MAC. AVG. quæ legitur *Macellum Augusti*, heic expressum volunt, in memoriam *Macelli* à Nerone dedicati. De quo Xiphilinus ex Dione lib. LXI. τότε μὲν δὴ τοσαῦτα σωτήρια, ὡς δὴ ἔλεγε, ἔθυσε, ἐπὶ δὲ ἀγορᾷ τῶν ὄψων, τὸ Μάκελλον, ὠνομασμένον, καθιέρωσε. *Tum equidem ejusmodi sacrificia pro salute sua, quemadmodum ipse scilicet ajebat, fecit; forumque obsoniorum, quod Macellum dicitur, dedicavit.*

II. Num. *Traiani*, cum Inscr. ADOPTIO. Cusus à *Traiano*, in memoriam *Adoptionis* sui ab Imp. *Nerva* factæ, ex qua statim *Cæsar*, & post Nervæ obitum *Imperator* salutatus est. Schema repræsentat Imp. *Nervam* togatum, *Traiano* militari amictu, ex Germania reduci dextram porrigentem, in signum Adoptionis.

Num.

1

2

3

4

5

6




7

8

9

10

11

12

Num. *Hadriani.* cum Inſcr. PARTHIC. DIVI. TRAIAN. AVG. F.P.M. TR. P. COS. P.P. ADOPTIO. Imp. *Traianus Hadriano* Orbem Terrarum tradit, in ſignum *Adoptionis*; in cujus rei memoriam poſt mortem Traiani hic Nummus ab Hadriano cuſus, uti Inſcriptio docet. Quamvis iſtam Hadriani à Traiano adoptionem Auctores in dubium vocent; imo Dio apud Xiphilinum aperte neget: Αδριανὸς δὲ, inquit, ὑπὸ μὲν Τραϊανοῦ οὐκ ἐσεποιήθη. *Hadrianus autem à Traiano adoptatus non eſt.* Unde Spartianus in Hadriano: *Nec deſunt, qui factione Plotinæ, mortuo jam Traiano, Hadrianum in adoptionem adſcitum eſſe prodiderint, ſuppoſito qui pro Traiano feſſa voce loqueretur.* Sic Eutropius lib. VIII. *Defuncto Traiano, Ælius Adrianus creatus eſt princeps, ſine aliqua quidem voluntate Traiani, ſed operam dante Plotina, Traiani uxore. Nam eum Traianus, quamquam conſobrinæ filium, vivens noluerat adoptare.* Quicquid ſit, Hadrianus videri voluit quaſi à Traiano re vera adoptatus eſſet; idque hoc nummo oſtendit. III.

# CLASSIS VII.

## *Apotheoſes, ſive Conſecrationes* AVGVSTORVM, AVGVSTARVMQVE, *exhibens.*

## TAB. CII.

Num. *Fauſtinæ Minoris*, cum Inſcr. CONSECRATIO. S. C. *Rogus Funebris*, ſtatuis & aulæis, duabuſque facibus ſive tædis, nec non quadrigis ornatus, quo *Fauſtina* conſecrata eſt. J. Capitolinus in M. Aurelio: *Fauſtinam ſuam in radicibus montis* IV.

*tis Tauri, in vico Halale examinatam, ſubito morbo amiſit. Petiit à Senatu, ut Honores Fauſtinæ, Ædemque decernerent.* Et mox : *Divam etiam Fauſtinam à Senatu appellatam gratulatus eſt.*

V. Num. *L. Veri* Imp. cum Inſcr. CONSECRATIO. S. C. *Rogus funebris* ſtatuis & aulæis itidem, ac quadrigis ornatus, quo *L. Veri Conſecratio* deſignatur. J. Capitolinus in M. Aurelio : *Sub Marco Antonino hæc ſunt geſta poſt fratrem. Primum corpus ejus Romam devectum eſt, & illatum majorum ſepulcris : divini honores decreti : deinde cum gratiam ageret Senatui, quod fratrem conſecraſſet,* &c. Porro quibus ritibus & cærimoniis Romani Imperatores ſuos poſt mortem, quod in Julio Cæſare primum cœptum, deinde in Auguſto aliiſque continuatum, in Deorum numerum referre ſolebant, eleganter ſane & exacte refert Herodianus lib. IV. ex parte etiam Dio Caſſius lib. LVI. in Auguſti Conſecratione; quorum verba à variis deſcripta ſunt. Sufficiat digito fontem indicaſſe; ut enim à nobis heic repetantur, inſtituti ratio haud permittit.

VI. Num. *Fauſtinæ* Majoris, cum Inſcr. CONSECRATIO. *Rogus* itidem *funebris*, in cujus ſummo, currus cum *bigis* cernitur ; & ita in omnibus nummis, ubi rogus expreſſus, in ejus ſummo faſtigio currus cum bigis aut quadrigis collocatus exſtat; & repræſentat currum inauratum, quo Imperator, aut Auguſta vehebatur. De Fauſtinæ Matris conſecratione ita J. Capitolinus in Antonino Pio : *Tertio anni imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit : quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis ei Circenſibus & Templo, & flaminicis, & ſtatuis aureis atque argenteis : cum etiam ipſe conceſſerit, ut imago ejus cunctis Circenſibus poneretur.*

VII. Num. *Valeriani* Junioris, cum Inſcr. CONSECRATIO. Cernitur heic Aquila cum alis expanſis, ut *Conſecrationis* Symbolum in hoc, & multis Imperatorum nummis ; idque vel ſimpli-

pliciter ut heic, vel cum fulmine, vel in ſuggeſto, aut cippo, aut alio ſchemate, uti in ſeqq. videre eſt: tum quia Jovis ales, cui Cæſares poſt mortem comparabantur; ut Auguſtæ *Iunoni*; unde in earum Nummis *Pavo*, uti Tab. ſeq. videbimus; tum, quia inter Conſecrationis ritus, rogo accenſo & combuſto, Aquila ex eo emittebatur, quæ ſublimia petens Cæſaris animam in cœlum deferre exiſtimabatur. Dio lib. LVI. in funere Auguſti: Κἀκ τούτου δᾷδας ἑκατόνταρχοι, ἅς που ἡ βουλὴ ἐδεδώκει, λαβόντες, ὑφῆψαν αὐτήν· καὶ ἡ μὲν ἀνηλίσκετο, ἀετὸς δέ τις ἐξ αὐτῆς ἀφεθεὶς, ἀνίπτατο, ὡς καὶ δὴ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐς τὸν οὐρανὸν ἀναφέρων. *Poſt hæc Centuriones facibus acceptis, quas eis Senatus dederat, rogum ſuccenderunt: eo abſumpto Aquila ex eo emiſſa ſurſum evolavit, quaſi animam Auguſti in cœlum ferens.* Sic Herodianus lib. IV. Ἐκ δὲ τοῦ τελευταίου καὶ βραχυτάτου κατασκευάσματος, ὥσπερ ἀπὸ τινὸς ἐπάλξεως, ἀετὸς ἀφίεται, σὺν τῷ πυρὶ ἀνελευσόμενος εἰς τὸν αἰθέρα· ὃς φέρειν ἀπὸ γῆς ἐς οὐρανὸν τὴν τοῦ βασιλέως ψυχὴν πιστεύεται ὑπὸ Ρωμαίων. *Mox ab extremo minimoque tabernaculo, tanquam è faſtigio quodam ſimul cum ſubjecto igne adſcenſura in ætherem Aquila dimittitur: quæ à Romanis creditur ipſam Principis animam in cœlum deferre.*

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. CONSECRATIO. *Aquila* VIII.
ungulis fulmen triſulcum tenens, Conſecrationis ſignum. Sic in

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. CONSECRATIO. *Aquila* IX.
ſuggeſto exornato inſiſtit. In

Num. *Antonini Pii*, cum ſimili Inſcr. *Aquila*, in ara, aut cippo X.
itidem exornato cernitur. In alio

Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. CONSECRATIO. *Aquila* XI.
Globo ſtellato inſiſtit. In alio

XII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. CONSECRATIO. Eſt *Aquila* volans cum fulmine triſulco, cujus dorſo inſidet M. Aurelius, habitu Dei poſt mortem cum ſceptro; quaſi hoc modo in cœlum portaretur. Hinc Artemidorus lib. II. Oneirocrit. cap. XX. Ὀρνεὰς ὑπὲρ ἀετῶ, βασιλεῦσι μὲν καὶ μεγιστᾶσι καὶ πλουσίοις ἀνδράσιν, ὄλεθρον μαντεύεται. ἔθος γὰρ παλαιὸν ἀποθνήσκοντας τούτους, πλάσσειν τε καὶ γράφειν ἐπ' αὐτῶ ὀρνεῖς. *Vehi ſuper aquila regibus quidem & magnatibus ac opulentis viris interitum prædicit. Vetus enim mos eſt hos mortuos tum fingere tum pingere Aquilæ inſidentes.*

# TABVLA CIII.

I. Num. *Domitillæ* Veſpaſiani filiæ. cum Inſcr. CONSECRATIO. *Pavo* Conſecrationis Auguſtarum Symbolum. Hæc enim Domitilla Veſpaſiani Imp. filia, Titi & Domitiani Impp. ſoror, poſt mortem à Domitiano fratre conſecrata eſt; cujus quoque meminit Statius lib. I. Silv. I.

——— ——— *huc & ſub nocte ſilenti*
*Cum Superis terrena placent, tua turba relicto*
*Labetur cœlo, miſcebitque oſcula juxta,*
*Ibit in amplexus natus, fraterque, paterque*
*Et Soror.* ——— ———

Sic in

II. Num. *Fauſtinæ minoris*, cum Inſcr. CONSECRATIO. itidem *Pavo* cernitur cum cauda expanſa. Nam, ut modo monuimus Tab. præced. uti *Aquila* Jovis ales, Imperatoribus poſt mortem dabatur, ita *Pavo*, avis Junonia, Auguſtarum Conſecrationi attribuebatur; & ut iſti *Iovis*, ita hæ *Iunonis* cognomine veniebant. Unde Prudentius lib. I. contra Symmach. de Auguſto & Livia:

*Poſte-*

TAB. CIII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

*Posteritas mense, atque adytis, & flamine, & aris*
*Augustum coluit; vitulo placavit & agno:*
*Strata ad pulvinar jacuit, responsa reposcit;*
*Testantur tituli, produnt Consulta senatus,*
*Cæsareum Iovis ad speciem statuentia templum,*
*Adjecêre Sacrum, fieret quo Livia Iuno*, &c.

Hinc etiam in alio

Num. *Ejusdem Faustinæ*, cum simili Inscr. *Pavo*, ut Junoni Sacra avis, capite ad cœlum converso, conspicitur. In aliis III.

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. CONSECRATIO. *Faustina* dorso Pavonis insidens ad cœlum vehitur; & ita quidem utplurimum Augustæ à Pavonibus in cœlum portantur. Exstat tamen IV. & V.

Num. *Faustinæ Matris*, cum Inscr. CONSECRATIO. ubi ipsa hastam puram tenens, super *Aquila* vehitur & ita Astris inseritur. VI.

Num. *Augusti*, cum Inscr. CONSECRATIO. *Ara* cum Aquila, & fulmine trisulco, Augusto, inter Divos relato, quasi Jovi, posita. Sic in alio VII.

Num. *Ejusdem*, cum eadem Inscr. *Ara* incensa cernitur; uti Prudentius in verbis modo adductis ait: VIII.

*Posteritas mense atque adytis & flamine & Aris*
*Augustum coluit.* &c.

Num. *Faustinæ minoris*, cum Inscr. CONSECRATIO. *Sella*, cum sceptro, & Pavone, ut Junonis esse constet, in honorem Faustinæ posita. IX.

X. Num. *Ejuſdem*, cum eadem Inſcr. ubi cernitur *Luna* cum ſeptem ſtellis. per Lunam ipſa Fauſtina deſignatur, ut *Sideribus recepta.* Sic in alio

XI. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. SIDERIBVS RECEPTA. Ipſa *Fauſtina*, cum *Luna* in humeris, & manibus facem tenens, inſtar *Lunæ Luciferæ*, expreſſa, quaſi jam Sideribus recepta, ut Luna Orbi terrarum lucem præbeat. In alio

XII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. SIDERIBVS. RECEPTA. Cernitur *Fauſtina* in curru cum bigis equorum ad cœlum rapta, & ita *Sideribus recepta.*

## TABVLA CIV.

I. Num. *Fauſtinæ Matris*, cum Inſcr. CONSECRATIO. *Fauſtina*, ut Diva velata, & Junonis habitu, ſiniſtra ſceptrum tenens, in curru, cum alia figura, quæ quadrigarum habenas moderatur. Inſcriptio docet hoc ſchema ad *Conſecrationem* Fauſtinæ pertinere.

II. Num. *M. Aurelii*, cum Inſcr. CONSECRATIO. SC. *M. Aurelius* poſt mortem in *Thenſa*, à quadriga Elephantorum tracta.

III. Num. *Conſtantini Magni*, cum litt. SNNL. Cernitur heic Imp. *Conſtantinus* velatus poſt mortem in curru cum quadrigis equorum, dextram tendens ad aliam dextram è cœlo quaſi porrectam, quæ eum eò recipere videtur. Hujus Nummi meminit Euſebius De Vita Conſtantini lib. IV. cap. LXXII. Ἤδη ὑπὸ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι ᾗ μὲν ἐκτυπώντες τὸν μακάριον, ἐγκεκαλυμμένον τῷ κεφαλῷ χήματι. ἑτέρᾳ δὲ μέρᾳ

ἐφ'

TAB. CIV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11




12



ἐφ' ἅρματος τεθείππῳ ἰδιόχῳ τρόπον, ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Quinetiam nummi hujuſmodi forma ſignati ſunt : anteriore quidem parte beatum principem obtecto capite præferentes : altera vero parte in quadrijugo curru aurigæ inſtar ſedentem , & porrecta ipſi cælitus dextra ad ſuperos adſumptum.*

Num. *Fauſtinæ Matris*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Fauſtina* bigâ equorum ad cœlum rapitur ; atque ita poſt Conſecrationem AETERNITATEM conſequitur , ut inſcriptio indicat. IV.

Num. *Fauſtinæ minoris*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Fauſtina* minor alis *Victoriæ*, manibus facem tenentis, in cœlum portatur. Similis Victoriæ alatæ figuram Auguſtam in cœlum ferentis in matris Fauſtinæ Nummo ſibi quoque obſervatum refert Illuſt. Spanhemius Diſſert. IX De Præſt. & Uſu Numiſm. quem credit Muſæo Auguſtæ Chriſtinæ acceſſiſſe. Has autem figuras alatas potius de Victoria, quam de *Æternitate alata*, aut de *Diana Lucifera* , prout faciunt nonnulli, explicandas cenſeo cum eodem Spanhemio, tum propter ſolemnem Victoriæ typum, tum propter ea , quæ Lampridius in Alexandro Severo, ubi omina Imperii recenſens, inter alia de ſomnio , non Elagabali, ut Spanhemius , feſtinans haud dubie , habet , ſed Marciani , patris Alexandri, ſcribit : *Pater eadem nocte in ſomniis vidit, alis ſe* ROMANÆ VICTORIÆ, *quæ in Senatu*, AD COELVM VEHI. V.

Num. *Fauſtinæ matris*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Fauſtina* poſt mortem , turrito capite , inſtar *Cybeles*, biga Leonum vehitur. Vid. ſupra ad Tab. XLV. Num. V. ad *Æternitatem* ejus deſignandam. Sic in alio VI.

VII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. AETERNITAS. Eadem *Fauſtina*, Deæ inſtar, in Thenſa cum biga Elephantorum, expreſſa eſt. In alio

VIII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas* per *Sellam Iunonis* cum ſceptro & pavone indicatur.

IX. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. AETERNITAS. SC. *Templum* in honorem D. Fauſtinæ ædificatum, in quo ipſa, Deæ inſtar cum haſta purâ ſedet. Sic in alio

X. Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcript. aliud *Templum* Fauſtinæ expreſſum, *Æternitati* ejus dedicatum. Jul. Capitolinus in Antonino Pio: *Tertio anno imperii ſui Fauſtinam uxorem perdidit; quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus atque Templo, & flaminicis, & ſtatuis aureis, atque argenteis.*

XI. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. AETERNITATIS AVGVSTAE. CVST. *Templum* Inſigne, *columnis*, *coloſſis*, & *capitibus* exornatum, in cujus meditullio Statuæ *Auguſti & Liviæ* collocatæ. Tacitus lib. I. Annal. cap. XI. *Cæterum ſepultura* (Auguſti) *more perfecta*, *Templum & cœleſtes honores decernuntur.* Dio Caſſius lib. LVI. Καὶ αὐτῷ (Αυγούστῳ) ἔν τε τῇ Ρώμῃ ἡρῷον ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δ' ὑπό τε τῆς Λιουίας καὶ Τιβερίου ἐποιήθη, καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι. *Ipſi Auguſto Templum Romæ decretum quidem à Senatu, ſed à Livia & Tiberio ſtructum eſt: idque alibi & pluribus locis.*

XII. Num. *Titi*, cum Inſcr. AETERNITAT. FLAVIORVM. *Templum* eximium, cum *quadrigis* in faſtigio ſummo, & ab utraque parte *Tito* & *Domitiano* in equis; nec non intra columnas tribus ſtatuis *Veſpaſiani* ſcilicet Imp. & filiorum ejus, *Titi* ac *Domitiani*, exornatum; à Tito, ut videtur, *Æternitati Flaviorum* dedica-

TAB. CV.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

dicatum; vel referendum ad *Templum Flaviæ gentis*, quod forsan à Tito inchoatum, Domitianus demum perfecit; de quo Suetonius in Domitiano cap. V. nec non P. Papinius Statius lib. IV. Silvar. II. summa cum adulatione in Domitianum:

*Tectum Augustum, ingens, non centum insigne columnis,*
*Sed quantæ superos cœlumque Atlante remisso*
*Sustentare queant. super hoc vicina Tonantis*
*Regia, teque pari lætantur sede locatum*
*Numina, ne magnum properes adscendere cœlum.*

# TABVLA CV.

Num. *Severi*, cum Inscr. AETERNIT. IMPERII. I.
Capita *Antonini Caracallæ*, & *Getæ*, quibus ita hoc Nummo junctis, Severus designare voluit, se liberis procreandis, *Æternitati Imperii* prospexisse; atque hoc modo Imperium in perpetuum Domui & familiæ suæ alligasse. Qua mente Panegyricus Maximiano & Constantino dictus in verbis à Rubenio adductis: *Maximas itaque vobis, Æterni Principes, gratias agimus, quod suscipiendis liberis, optandisque nepotibus, seriem vestri generis prorogando, omnibus in futurum sæculis providetis: ut Romana res olim diversis regentium moribus fatisque jactata perpetuis Domus vestræ radicibus coalescat: tamque sit Immortale ejus Imperium, quam Sempiterna Soboles Augustorum.*

Num. *Postumi*, cum Inscr. AETERNITAS. AVG. Imp. II.
*Postumus* habitu militari, ac hastam ab utraque parte cuspide munitam, dextra tenens, ab *Hercule*, sinistra Clavam & Leonis exuvias gestante, dextrâ, qua Coronam lauream habet, coronatur. Postumum Herculis cultui deditum fuisse, ex aliis ejus Nummis

quoque

quoque conſtat; ideoque ejus ope *Æternitatem* ſe conſecuturum indicare vult. Alioquin inter ſerviles & aulicas Romanorum Adulationes erga Imperatores ſuos, & *Æternitatis* titulum fuiſſe, quo eos affecerint, ut alios mittam, ſatis conſtare poteſt ex hiſce Plinii Junioris verbis lib X. Epiſt. LXVII. ad Traianum : *Flavius Archippus per Salutem tuam Æternitatemque petit, ut libellum, quem mihi dedit, ad Te mitterem.* Et Epiſt. LXXXVII. ad Eundem : *Rogatus, Domine, à Nicenſibus publice per ea, quæ mihi & ſunt, & debent eſſe ſanctiſſima, id eſt, per Æternitatem tuam, Salutemque &c.*

III. Num. *Philippi Iunioris*, in quo expreſſa eſt *Corona Laurea*, cum inſcriptione ÆTERNITATI IMPP. quæ referenda quoque ad adulatorios iſtos Impp. titulos. Huc etiam pertinet

IV. Num. *Maxentii*, cum Inſcr. ÆTERNITAS. AVG. N. in quo duo homines nudi, ſinguli altera manu haſtam puram, altera vero equum freno tenent. Fortaſſe *Caſtorem* & *Pollucem* repræſentantes, quibus Maxentius ob Virtutes bellicas ſe comparare velit; ac ita *Æternitatem* conſequi.

V. Num. *Philippi*, cum Inſcr. AETERNITAS AVGG. *Elephas* ornatus & loricatus ad pugnam, cui inſidet *Maurus* nudus cum jaculis. Per Elephantem *Æternitatem* deſignari vulgo putant; eò quod longiſſime vivere tradantur, nempe ad ducentos, vel, ut nonnulli, ad trecentos etiam annos. Sed forſan magis ex ſententia numiſmatis fuerit, Elephantum hunc referre ad *Ludos Sæculares* à Philippo & filio ejus celebratos anno milleſimo ab Urbe condita, adeoque ut Hemelarius notat, per ludos *Sæculi miliarii* (ut in aliis Nummis vocatur) in quibus elephantes inter primaria ſpectacula fuerunt, & numerum denarium perfectum in ſe trina dimenſione, veluti cubice, multiplicatum, (id eſt decies dena decies) abſolutam annorum ſeriem, id eſt, *Æternitatis* perfectionem innui, & famam ſimul immortalem tam raræ, novæque

væque ſolemnitatis, iſtis Principibus, ſub quibus incidit, portendi. Hæc quidem quod ad inſcriptionem; Cæterum Elephas ipſe in hoc nummo ita loricatus expreſſus, nobis ob oculos ponit morem modumque, quo Elephantes ad telorum & jaculorum ictus declinandos, quando eos in aciem, aut ad pugnam educerent, antiqui lorica præmunire ſolerent. Hujuſmodi Elephantos olim Antiochus Eupator in aciem contra Judæos produxit, uti eſt apud Auctorem Macchabæorum lib. II. cap. VI. vers. 43. Καὶ εἶδεν Ἐλεάζαρ ὁ Σαυαρὰν ἓν τῶν θηρίων τε θωρακισμένων θώρακι βασιλικῷ, καὶ ὃν ὑπερέχον πάντα τὰ θηρία, καὶ ὤφθη ὅτι ἐν αὐτῷ ἐστιν ὁ βασιλεύς. *Et videns Eleazar dictus Sabaran, unam ex beſtiis loricatis indutam lorica regia, quæ erat eminentior omnibus aliis beſtiis, & videbatur, quod in illa eſſet Rex.* Sic in Bello iſto Africano Scipionem inter & Cæſarem, hoc modo munitos Elephantos adhibitos diſcere eſt ex Hirtii verbis: *Ornatusque ac loricatus Elephantus quum eſſet, quæ pars ejus corporis nuda ſine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerentur.* Tangit quoque hunc morem Heliodorus Æthiop. lib. IX. Οἵ τε ὃ καὶ διεδίδρασκον ἄπρακτοι, & οὐδὲν δράσαντες τὰς Ἐλέφαντας ἀπεχώρουν. τὸ γὰρ θηρίον πέφρακται, & σιδήρῳ ὡπλισμένον εἰς μάχην. *Quicunque autem effugiebant nullo facinore edito, nec ullo detrimento Elephantis illato diſcedebant. Siquidem bellua ferro eſt munita, cum in prælium deſcendit.* hoc eſt, lorica ferrea per totum corpus contecta & inſtructa; ut Elephas in hoc nummo ſatis ſuperque docet iſtum præmuniendi modum.

Num. *Gordiani*, cum Inſcr. AETERNITATI. AVG. S C. VI. *Figura Iuvenilis* nuda, capite radiato, Solis inſtar, ſiniſtra manu *Globum* geſtans. *Æternitatis* Symbolum, quæ per Solem, tanquam ſydus æternum, repræſentari ſolet.

Num. *Veſpaſiani*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas*, VII.

Deæ inſtar, velata, ſtans ante aram incenſam, ſingulis manibus Caput, quorum alterum *Solem* per radios, alterum *Lunam* per lunulam creſcentem, repræſentat, tenens. Eodem modo in quodam

VIII. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. P. M. TR. P. COS. III. AETER. AVG. *Æternitas* Dea ſtans, altera manu *Solem*, altera *Lunam* geſtat. Videnturque Romani, ut Græci, hæc Symbola mutuaſſe ab Ægyptiis, qui hæc ſidera æterna exiſtimabant. Horus Apollo Niliacus in Hieroglyphic. in principio: Αἰῶνα σημαίνοντες, Ἥλιον & Σελήνην γεγράφασι, διὰ τὸ ἀιώνια εἶναι στοιχεῖα. *Ævum deſignantes Solem ac Lunam pingunt, quod æterna ſint elementa.* Ita Diodorus Siculus non ſemel tradit Ægyptios ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεὰς ἀϊδίους τήν τε Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην. Hinc Inſcriptio Antiqua:

AETERNITATI
SACR.
SOLI. ET. LVNÆ.

IX. Num. *Fauſtinæ*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas* Dea, ſiniſtra veſtem tollens, & dextra avem, quam *Phœnicem* eſſe volunt, tenens. Sic in alio

X. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas* Dea, velata, ſedens, ſiniſtra ſceptrum, dextra vero tenens *Globum*, cui *Phœnix*, cujus caput inſtar Solis radiatum eſt, inſidet. Auctor Carminis de Phœnice, quod vulgo Lactantio adſcribi ſolet:

*Æquatur toto capiti radiata corona,*
*Phœbei referens verticis alta decus.*

Æter-

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10




11

12

Æternitatis autem Symbolum Phœnix aptiſſimum habetur, quia avis iſta, ut Anonymus iſte ait :

——— —— *vivit morte refecta ſua,*

Adeoque

*Æternam vitam Mortis adepta bona eſt.*

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. ÆTERNITAS. *Æternitas* iterum velata, ſtans, ſiniſtra *Globum* tenens, & dextram verſus cœlum tendens; quaſi deſignaret, locum Æternitatis in cœlo, & ſupra Orbem terrarum quærendum eſſe. Alioquin & Sphæram ſive Orbem aptiſſimum Æternitatis Symbolum eſſe, ex eo manifeſtum, quod Sphærica figura neque principium neque finem, utpote in ſe ſemper rediens, habeat. Hinc etiam in alio XI.

Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcr. *Æternitas* ſolito more velata, cum ſceptro in ſiniſtra, & dextrâ porrectâ, *Sphæræ* inſidens cernitur. XII.

# TABVLA CVI.

Num. *Fauſtinæ matris*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas* ſtans dextra pateram, ut Dea, & ſiniſtra navis gubernaculum Orbi terrarum impoſitum, tenens, ad imperium ejus in eum denotandum. Sic in quodam I.

Num. *Titi*, cum Inſcr. AETERNIT. AVG. SC. *Eadem*, dextra haſtam, ſiniſtra Cornucopiæ tenens, Orbem terrarum ſub ſiniſtro pede habet, vel ad Imperium ejus, ut alias, vel ad rerum terreſtrium contemptum ſignificandum. II.

Num. *Fauſtinæ matris*, cum Inſcr. AETERNITAS. *Æternitas* ſtans, velum à collo pendens dextrâ tenet, ut velut circu- III.

lum quendam fine carentem efficiat, ait Rubenius; ſiniſtra verò *facem* habet, ob ignis forte æternitatem. Sic in alio

IV. Num. *Ejuſdem*, cum ſimili Inſcr. *Æternitas* cernitur ſtans, dextra Globum ſive Sphæram tenens, & ſiniſtra laciniam veli, quod à dextra ad ſiniſtram ſupra caput ejus circumvolutum, circulum quendam ſine fine conſtituere videtur. In alio

V. Num. *Ejuſdem*, cum eadem Inſcr. *AEternitas* velata ſtat cum ſceptro, ſive haſta pura, in ſiniſtra, dextrâ manu porrecta & expanſa. In alio

VI. Num. *Ejuſdem*, cum eadem Inſcr. *Æternitas* præter *haſtam* puram in ſiniſtra, *Sphæram* dextra manu ſuſtinet.

VII. *

VIII. Num. *Maximiani*, cum Inſcr. MEMORIAE. AETERNAE. *Aquila* fulmen trifulcum ungulis tenens, Conſecrationis Symbolum conſuetum, adeoque *Memoriæ Æternæ* Imp. Maximiani ſignum. Sic in quodam

IX. Num. *Conſtantii*, cum Inſcr. MEMORIA FELIX, cernitur *Ara* incenſa inter duas *Aquilas*, ut monumentum *Memoriæ Felicis*, quam Conſtantius poſt mortem reliquit.

CLAS-

# CLASSIS VIII.

## *Ædificia, ut Templa, & alia Loca Publica, &c. continens.*

## TAB. CVI.

Num. *Iul. Cæsaris*, cum Inscr. P. LENTVLVS. MARCELLIN. ÆD. CVR. Templum in hoc nummo scalptum, pro *Sacello* habetur, quod D. *Iulio* à Triumviris in foro dicatum testatur Dion Cassius lib. XLVII. Ubi de honoribus Jul. Cæsari à Triumviris delatis agens, scribit: ταῦτά τε οὖν οὕτως οἱ τρεῖς ἄνδρες ἐκεῖνοι ἐποίουν, καὶ ἅμα καὶ τὸν Καίσαρα τὸν πρότερον ἐσέμνυνον ἐπὶ πλεῖστον. &c. καὶ ἡρῷον οἱ ἔν τε τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐν τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ ἐκέκαυτο, προκατεβάλλοντο. *Præter has Actiones Triumviri Cæsarem quoque superiorem summis honoribus affecerunt*, &c. *& sacellum ei in foro, eo in loco, ubi crematus fuit, erexerunt.* In meditullio Sacelli, cernitur statua Julii Cæsaris cum *Lituo*, Auguratus insigni, in dextra. *Stella* in fastigio expressa, haud dubie respicit Sydus aut Cometem, qui paullo post mortem Cæsaris Romæ visus, de quo Suetonius in Jul. Cæsar. cap. ult. *Ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque est, animam esse Cæsaris in cœlum recepti, & hac de caussa simulacro ejus in vertice additur stella.* De eodem Virgilius: X.

*Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.*

Num. *Augusti*, cum Inscr. DIVO. JVLIO. EX. SC. *Templum* D. Julii, cum *Stella* itidem, ab Augusto exstructum, XI.

in cujus medio ſtatua Cæſaris ſedentis in ſella curuli, cum Lituo. Sic in alio

XII. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. COS. ITER. ET TER. DESIGN. itidem cernitur *Templum* DIVO JVLIO poſitum, in quo ſtatua Cæſaris ſtantis cum Lituo in dextra. *Templum Iulii Cæſaris in foro* fuiſſe teſtis P. Victor in VIII Regione Urbis, prope templum Caſtorum ſignificat Ovidius lib. II. de Ponto. Eleg. II.

*Quem pia vobiſcum proles comitavit euntem*
*Digna parente ſuo, nominibuſque datis:*
*Fratribus aſſimilis, quos proxima templa tenentes*
*Divus ab excelſa Iulius ÆDE videt.*

Meminit ejus etiam Metamorph. lib. XV.

——— *Vt ſemper Capitolia noſtra, forumque*
*Divus ab excelſa proſpectet Iulius Æde.*

De ejuſmodi quoque templo Papinius Statius:

——— *Hinc obvia limina pandit,*
*Qui feſſus bellis, aſſertæ munere prolis,*
*Primus iter noſtris oſtendit in æthera Divis.*

# TABVLA CVII.

I. Num. *Tiberii*, cum Inſcr. S. P. Q. R. *Templum* heic expreſſum, forſan Auguſti eſt, quod Tiberius ædificare cœperat, imperfectum reliquerat. De quo Suetonius in Tiberio cap. XLVII. *Princeps neque opera ulla magnifica fecit. Nam & quæ ſola ſuſceperat,*

TAB. CVII.

1

2

3

4

5

6

7

8

9




10



11




12

*perat*, *Augusti Templum*, *restitutionemque Pompeiani theatri*, *imperfecta post tot annos reliquit*. Hoc Templum Augusti postea à Cajo perfectum & dedicatum. Hinc in quodam

Num. *Caii Caligulæ*, cum Inscr. DIVO. AVG. S.C. Insigne cernitur *Templum Augusti*, in quo *Cajus* sacrificat. Suetonius in Vita Caii, cap. XXI. *Opera sub Tiberio semiperfecta*, *Templum Augusti*, *theatrumque Pompeii absolvit*. Dion Cassius lib. LIX. de Cajo: Ἐκ δὲ τούτῳ τὸ Ἡρῷον τοῦ Αὐγούστου ὡσίωσε, τὴν ἐπινίκιον στολὴν ἐνδύς· καὶ οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες, ὅτοι γε καὶ ἀμφιταλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαντο &c. *Deinde Cajus habitu triumphali Templum Augusti dedicavit*, *nobilissimis pueris patrimis*, *quorum uterque parens superstes esset*, *cum talibus etiam virginibus hymnum canentibus*. &c. II.

Num. *Antonini Pii*, cum Inscr. TEMPL. DIVI AVG. REST. COS. IIII. *Templum* in hoc Nummo expressum *Augusti* esse Inscriptio indicat, quæ & docet istud ab Antonino Pio RESTitutum; cujus rei tamen, præterquam in hoc nummo, nusquam apud Auctores mentio fit. Figuræ in meditullio Templi statuas Augusti & Liviæ procul dubio repræsentant. III.

Num. *Faustinæ Matris*, cum Inscr. AED. DIV. FAVSTINAE. *Ædes* sive *Templum* D. Faustinæ ex Senatus decreto exstructum, ut testatur J. Capitolinus in Antonino Pio, cujus verba antea quoque adduximus: *Tertio anno Imperii sui*, *uxorem Faustinam perdidit*, *quæ à Senatu consecrata est*, *delatis ei Circensibus & Templo*, *& flaminicis*, *& statuis aureis*, *atque argenteis*. Figura in Templo elevata sedens, Faustinæ statua est, quæ extra Templum utrinque ad columnas adstant, altera à dextris nuda *Venerem*, altera à sinistris cum Cornucopiæ, *Abundantiam* repræsentare videntur. Sic in alio IV.

Num.

V. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. DEDICATIO. AEDIS, itidem *Templum* cernitur cum *Fauſtina* in medio ſedente, adſtantibus extra templum hinc *Abundantia* cum Cornucopiæ, inde nuda *Venere*. Inſcriptio indicat DEDICATIONEM ÆDIS, quæ variis ritibus atque ſolemnibus fieri ſolebat, de quibus videndus J. Gutherius De Vet. Jure Pontificio lib. III. cap. XI. Semper autem cum templum dedicabatur, ſimulacrum Numinis, cuius erat, adhibebatur, atque à Pontificibus locatum in medio templi, templum tenere dicebatur, ut notat Servius ad lib. III. Georgic. ubi Virgilius Dedicationis ritum paucis complexus eſt:

*Et viridi in campo templum de marmore ponam,*
*In medio mihi Cæſar erit, templumque tenebit.* &c.

VI. Num. *Auguſti*, in quo ſcalptum *Ædificium* quoddam elegans, cui inſcriptum, IMP. CAESAR. cum Valvis, & tribus figuris, ſive ſtatuis. Sunt, qui *Sacrarium publicum* Auguſto dicatum eſſe volunt: de cujuſmodi Sacrariis Tacitus lib. II. Annal. *Sacraria*, inquit, *gentis Iuliæ effigiesque Divo Auguſto apud Bovillas dicata.* Aliis privatum Sacrarium, ſive *Lararium* eſſe videtur, cujuſmodi privatim domi haberi, ad cubiculares imagines reponendas, remque divinam faciendam, ſolebant. De cujuſmodi Larario Jul. Capitolinus in M. Aurelio: *Tantum autem honorem magiſtris ſuis detulit, ut imagines eorum aureos in Larario haberet; ac ſepulchra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret.* Sic de Alexandro Severo Æl. Lampridius ſcribit: *Matutinis horis in Larario ſuo, (in quo & Divos Principes, ſed optimos, electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit Chriſtum, Abraham & Orpheum, & hujuſmodi cæteros habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* Idem paullò poſt: *Virgilium autem, Platonem poëtarum vocabat, ejuſque imaginem cum Ciceronis ſimulachro in ſecundo Larario habuit, ubi & Achillis,*

&

*& magnorum virorum. Alexandrum vero Magnum inter Divos & optimos in Larario majore consecravit.* Cujusmodi *Lararium Majus* forsan in hoc Nummo expressum.

Num. *Trajani*, cum Inscr. SENATVS. POPVLVS- VII.
QVE. ROMANVS. SC. & in alio

Num. *Ejusdem*, cum Inscr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRIN- VIII.
CIPI. In utroque Nummo scalpta est effigies *Columnæ*, quam, ut utriusque inscriptio docet, S. P. Q. R. *Traiano* in Foro ejus erexit, quæ hodie adhuc Romæ exstat, cum Inscriptione in Basi ejus :

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CÆSARI. DIVI. NERVÆ. F. NERVÆ
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO
PONTIF. MAXIMO. TRI. POT. XVII. IMP. VI.
COS. VI. P.P. AD. DECLARANDVM
QVANTÆ. ALTITVDINI. MONS. ET
LOCVS. TANTIS. EX COLLIBVS. SIT. EGESTVS.

Ex qua, uti etiam ex Nummis, utique manifestum, falli Dionem Cassium, qui, ut Xiphilinus in Trajano ex eo refert, scribit, Traianum ipsum hanc Columnam in foro suo statuisse; quod secus se habuit. Nam Traiano bellis Asiaticis implicito S.P.Q.R hanc Columnam in honorem ipsius erigi curavit, in cujus extima superficie, per totam Columnam, quæ marmorea est altitudine pedum CXXVIII. per simulacra Historia utriusque belli Dacici, à Traiano gesti, expressa, addito in fastigio ejus, uti ex Nummis quoque apparet, Colosso, id est, statua ipsius Traiani immodicæ proceritatis, cum pila aurea in dextra, intra quam postea Cineres Traiani reconditi, & sceptro, sive hasta pura, in sinistra manu. Traianus vero ipse nunquam hanc Columam ex-

ſtructam vidit, quippe è Perſide rediens, apud Seleuciam Iſauriæ profluvio ventris exſtinctus eſt, ut eſt apud Eutropium lib. VIII. Hujus Columnæ, uti hodie adhuc ſupereſt, cuncta ſimulachra æri elegantiſſime incidi, atque exprimi curavit Hieronymus Mutianus, pictor Romæ olim eximius, quæ etiam publice edita exſtant, cum Deſcriptione & enarratione ſingulorum ab Alfonſo Ciacono Hiſpano addita, Romæ apud Franciſcum Zanettum & Bartholomæum ſocios, Anno M. D. LXXVI.

IX. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. DIVO. PIO. SC. *Columna Antonini*, ad exemplum Columnæ Traiani facta, quam M. Aurelius Imp. Antonino Pio Aug. poſt ejus mortem in Campo Martio Area Flaminii dicavit, quæque adhuc Romæ cernitur rimis dehiſcens, ignique parumper deformata, ut ſcribit A. Ciaconus; ac Traiani columnam XLVII. Ped. longitudine excedit, utpote quæ alta ſit Ped. CLXXV. Ex Nummis quoque colligitur, in hujus faſtigio Coloſſum ingentem fuiſſe, qui imaginem ipſius Antonini Pii referebat; qui tamen hodie non exſtat. In hac Antonini Columna ſimulachra itidem ſculpta, quæ rerum geſtarum à M. Aurelio in bello Marcommanico Hiſtoriam repræſentant, ac inter cætera ibi cernitur *Iovis Pluvii* figura undique imbres fundentis, & fulgura admiſcentis, in memoriam pluviæ illius Romano exercitui, extrema ſiti laboranti, cœlitus immiſſæ, qua reficiebantur Romani milites; cum eodem momento hoſtes vehementi grandine, igni, & fulminibus conficerentur; cujus rei tam gentiles, quam Chriſtiani ſcriptores paſſim meminerunt; ſed poſtremi hi volunt, pluviam iſtam impetratam precibus Chriſtianorum militum, quorum integram Legionem in Romano exercitu tum temporis fuiſſe Euſebius lib. V. Eccleſ. Hiſt. cap. V. affirmare videtur. At Doctiſſimus H. Valeſius in Annotationibus ingenue dicit, ſibi parum probabile videri, totam Legionem militum Romanorum eo tempore Chriſtianam fuiſſe;

Sed

Sed & Euſebium de veritate rei dubitaſſe, ex verbis, quibus totam iſtam narrationem concludit, ſatis colligi videtur, quando ſcribit: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὅπῃ τις ἐθέλῃ πιθέσθω. *Sed de his quiſque pro arbitrio ſuo judicet.*

X. *

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. IAN. CLV. Templum *Iani*, cum Inſcr. IMP. CAESAR. ab Auguſto pace terra marique parta, ter cluſum. Suetonius in ejus Vita, cap. XXII. *Ianum Quirinum ſemel atque iterum à condita Vrbe memoriam ante ſuam clauſum, in breviore temporis ſpatio terra marique pace partâ, ter cluſit.* Notum eſt, à Numa Pompilio Jani templum conditum, à quo & mos inſtitutus pacis tempore Jani portas claudi; cum ejus tempore primum per annos XLIIII. Janus clauſus fuerit. Anno deinde ab U. C. Ↄxix pro ſecunda vice Janum clauſum fuiſſe, eodemque anno rurſum apertum varii teſtantur. Tertium clauſit Auguſtus an. U. C. Ↄccxxv. poſt Victoriam Actiacam. Quartum idem Imperator an. U. C. Ↄccxxix. cum ex bello Cantabrico Romam rediiſſet. Quintum denique idem clauſit Princeps circa tempora nativitatis Servatoris noſtri JESV CHRISTI. XI.

Num. *Neronis*, cum Inſcr. PACE. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. *Iani Templum*, quod Nero poſt Auguſtum ſextùm clauſit. Suetonius in Nerone cap. XIII. *Ianum geminum clauſit tam nullo quam reſiduo bello.* factum hoc à Nerone an. V. C. Ↄccccxi. Quia autem Nero ſine cauſſa Jani templum clauſerat, hinc Tacitus & Oroſius, omiſſo Nerone, ajunt, Veſpaſianum ſextum Janum clauſiſſe, cum revera Veſpaſianus poſt Neronem, ſeptimùm Jani templum clauſerit an. U. C. Ↄccccxxiv. Poſt Veſpaſianum autem nihil de Jani portis quoties clauſæ fuerint, apud Hiſtoricos occurrit; manſiſſe tamen conſuetudinem colligere licet ex Capitolino in Gordiano tertio, quem XII.

ait, Jano aperto, quod ſignum erat indicti belli, contra Perſas profectum eſſe. Imò ſub Chriſtianis Imperatoribus etiam aliquamdiu hunc morem ſervatum eſſe, ſatis conſtare poteſt ex Ammiano Marcellino lib. XVI. ubi mentionem facit Iani clauſi à Conſtantio, cum poſt devictum Maxentium, & ſublatos omnes tyrannos ſolus ille Romani Orbis Dominus evaſit an. U. C. cIↃV.

# TABVLA CVIII.

I. Num. *Traiani*, cum Inſcr. FORVM TRAIANI. Structura inſignis, celeberrimum illud *Forum Traiani* Romæ exſtructum, ſive potius partem forſan anteriorem ejus referens, in cujus faſtigio ipſe Traianus in curru triumphali cum ſex equis, à Victoria coronatur, adſtantibus ab utraque parte trophæis aliiſque ſimulacris. Sic in alio

II. Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Forum* iſtud *Traiani* integrum cum omnibus ſuis ornamentis expreſſum eſt; ac præſertim in ejus medio cernitur Cachlis illa columna marmorea, quam S. P. Q. R. in honorem Trajani, cum abſens eſſet, erexit. Forum autem ipſum Traianus ædificavit poſt bellum Dacicum per Apollodorum inſignem Architectum, quem poſtea Hadrianus livore quodam occidit. Exſtructum forum ex pecunia, quæ ex venditione prædæ in bello Dacico manucaptæ percepta eſſet, in eoque arcus triumphales ob ſuperatos Dacos & Sarmatas, porticus ampliſſimis excelſisque opere Corinthiaco columnis, magnis epiſtiliis adjunctis, ut gigantum potius, quam cæterorum hominum moles crederentur, ſtatua ipſius Traiani in medio porticus atrio columnis altiſſimis ſuperpoſita, ita ut totum opus ſpectatores in admirationem ſummam abriperet, ut teſtatur Caſſiodorus: *Traiani*, inquit, *forum vel ſub aſſiduitate videre miraculum eſt.* Sic Ammianus Marcelli-

TAB. CVIII.

1

2

3

4




5

6

7



8

9

10




11




12



cellinus lib. XVI. de Conſtantio Imperatore: *Cum ad Traiani forum veniſſet, ſingularem ſub omni cœlo ſtructuram, ut opinamur, etiam numinum aſcenſione mirabilem, hærebat attonitus per gigantæos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos.* Ex præda autem exſtructum ſatis indicat Inſcriptio cujus meminit A. Gellius lib. XIII. cap. XXIV. *In faſtigiis fori Traiani ſimulacra ſunt ſita circumundique inaurata equorum atque ſignorum militarium, ſubſcriptumque eſt: EX MANVBIEIS.*

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. & infra: BASILICA VLPIA. S. C. *Baſilica Vlpia* à Traiano in Foro à ſe ædificato exſtructa, variis columnis ſuffulta, in cujus faſtigio ſimulacra cernuntur equorum & hominum. Meminêre ejus P. Victor De Regionib. Urb. ubi Baſilicas omnes, quæ in Urbe erant, recenſens, ſcribit: *Baſilicæ* XIX. *Vlpia, L. Paulli in foro, Veſtini.* &c. Lampridius in Commodo: *Cooptatus inter tres ſolos principes Iuventutis cum togam ſumpſit, adhuc in prætexta puerili congiarium dedit, atque ipſe in Baſilica Traiani præſedit.* Nicephorus Calliſtus Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. VII. cap. XXXIV. Καὶ δὴ τὴν σύγκλητον προσκαλεσάμενος ἐς τὴν βασιλικὴν λεγομένην Οὐλπίαν, ἐθέσπιζεν εἰλικρινεῖ διανοίᾳ. &c. *Porro Senatu in Baſilicam quæ Vlpia dicitur, convocato, ſincera mente ſanxit.* &c. III.

Num. *Gentis Æmiliæ*, cum Inſcr. AIMILIA. SC. M. LEPIDVS REFecit. *Baſilica Æmilia* quam L. Æmilius Paullus, qui fuit Conſul cum C. Claudio Marcello an. ab U. C. Ↄ C IIII. accepta pecunia à J. Cæſare, qui tum erat in Gallia, nempe mille & quingentis talentis, ut eſt apud Appianum lib. II. de Bello Civili, exſtruendam locavit. Mentionem ejus facit Cicero lib. IV. Epiſt. XVI. ad Atticum: *Paullus in medio foro Baſilicam jam pæne texuit iiſdem antiquis columnis. Illam autem quam locavit, facit magnificentiſſimam.* IV.

*Quid quæris ? nil gratius illo monumento, nil glorioſius.* Ex quibus Ciceronis verbis apparet, Paulum præter Baſilicam Æmiliam, quam ipſe locavit, etiam aliam denuo inſtauraſſe. Plinius lib. XXXVI. cap. XV. inter opera *magnifica Baſilicam Pauli columnis Phrygibus mirabilem recenſet.* Et ex hoc Nummo apparet eam duplici columnarum ordine, infra & ſupra exornatam fuiſſe, cum interſtitio ſive tabulato quodam, quod ſuperiores columnas ab inferioribus dividebat, cui clypei cum imaginibus Majorum, affixi; tectum ſuperius, quidam ex imbricatis tegulis, alii ex marmoreis abacis fuiſſe volunt. Hanc Baſilicam tamen, ab iſto Æmilio Paulo non perfectam fuiſſe interventu bellorum civilium, vult J. Lipſius, ſed ab alio Paullo Æmilio, qui Conſul an. V. C. Iɔccxx. ſub Auguſto, ex hiſce Dionis verbis lib. XLIX. Καὶ τὴν στοὰν Παύλε καλουμένην Αἰμίλιος Λέπιδος Παῦλος ἰδίοις τέλεσιν ἐξωκοδόμησε, καὶ τῇ ὑπαλείᾳ καθιέρωσεν. *Porticum quæ Paulli dicitur, Æmilius Lepidus Paullus ſua impenſa perfecit, & in Conſulatu ſuo dedicavit.* Eandem igne vaſtatam, refecit viginti annis poſt alius Æmilius, ut idem teſtatur Dio lib. LIV. Ἥτε στοὰ ἡ Παύλειος ἐκαύθη, καὶ τὸ πῦρ ἀπ' αὐτῆς μέχρις τὸ ἑστιατόριον ἀφίκετο. *Pauli Porticus incendio abſumpta eſt, igniſque ab ea ad Veſtæ uſque graſſatus.* ac paullo poſt: ἡ μὲν οὖν στοὰ μέχρι τοῦδε, ὀνόματι μὲν ὑπὸ Αἰμιλίου, ἐς ὃν τὸ γένος ἐποιήσατο αὐτὴν γένος ἐληλύθει, τῷ δ' ἔργῳ ὑπ' Αυγούστου, καὶ ὑπὸ τῶν τοῦ Παύλου φίλων ᾠκοδομήθη. *Hæc poſtea Porticus verbo quidem ab Æmilio, qui ab eo, qui primus hanc fecerat, genus ſuum trahebat, re autem ab Auguſto & Paulli amicis refecta fuit.* Sub Tiberio hanc eandem Baſilicam poſt XXXV. annos denuo collapſam ab alio Lepido, quem Lipſius Manium Lepidum fuiſſe vult, ornatam firmatamque narrat Tacitus Annal. lib. III. cap. LXXII. *Iiſdem diebus Lepidus à Senatu petivit, ut Baſilicam Pauli, Æmilia monumenta, propriâ pecuniâ firmaret, ornaret-*

*que.*

*que. erat enim tum in more publica munificentia, nec Auguſtus arcuerat Taurum, Philippum, Balbum, hoſtiles exuvias, aut exundantes opes, ornatum ad Vrbis, & poſterum gloriam conferre. quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit.* M. Lepidus autem, quem Nummus, Baſilicam Æmiliam ex SC. refeciſſe indicat, Fulvio Triumvir eſt, & accipit de iſto verba Dionis è lib. LIV. quæ modo produximus; quamvis illa parum M. Lepido triumviro congruere videantur. Si prænomen conveniret, dicerem hunc nummum pertinere ad Lepidum, quem Tacitus à Senatu petiiſſe ſcribit, ut Baſilicam iſtam reficeret; cætera utique mire concordant.

Num. *Gentis Lolliæ*, cum Inſcr. PALIKANVS. Cernitur V. heic Suggeſtum quoddam fornicatum, cum roſtris navium, cui ſuperimpoſita Sella quadrangularis, *Roſtra* populi Romani deſignans. De quorum Origine ita ſcribit Livius lib. VIII. *Naves Antiatium paſſim in navalia Romæ ſubductæ, partimque incenſæ, roſtrisque earum Suggeſtum in foro exſtructum adornari placuit: Roſtraque id templum appellatum.* De Roſtris quoque Varro lib. IV. de L. L. *Ante curiam*, inquit, *Hoſtiliam Roſtra, cujus id vocabulum ex hoſtibus capta fixa ſunt roſtra.* Cicero Orat. pro Lege Manilia: *Et his temporibus non pudebat Magiſtratus populi Romani in hunc ipſum locum adſcendere, cum eum vobis Majores veſtri exuviis nauticis & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent.* Hinc Plinius lib. XVI. cap. IV. *Roſtra navium tribunali præfixa fori decus erant veluti populo Rom. ipſi corona impoſita.* PALIKANVS autem, cujus Inſcriptio meminit, eſt *M. Lollius Palikanus*, qui fuit Tribunus Plebis, anno U. C. IↃↃLXXXI. Cum autem in Roſtris haberentur conciones à Tribunis plebis, ut conſtat ex Cicerone in Piſonem, & Tribunicia poteſtas à Sulla adempta: auctore Palikano, populo à Pompeio reſtituta fuiſſet, in ejus rei memoriam, Palikanus, Roſtra in hoc Nummo expreſſit. Rem tangit Aſconius Pædianus

nus in Divinatione, ubi ſcribit: *Primus Sicinius Tribunus Plebis, nec multo poſt Quinctius, & poſtremo Palikanus perfecerunt, ut Tribuniciam poteſtatem populo darent Conſules Cn. Pompeius Magnus, & M. Licinius Craſſus.* Et in Commentario lib. II. in Verrem: *Pompeius autem Procos. de Hiſpania Sertorio victo nuper venerat, & ſtatim habuerat concionem de reſtituenda Tribunicia poteſtate Palikano Tribuno Pl.*

VI. Num. *Auguſti*, cum Inſcr. C. SVLPICIVS. PLATORIN. In hoc Nummo ſimiliter ſuggeſtum quoddam cum Roſtris, & Sella ei impoſita, cui inſident duo homines, ſcalptum eſt. Fulvius Auguſtum & Agrippam eſſe putat, & Roſtra ad ea refert, quæ *Iulia*, ſive *Nova* appellata ſunt, de quibus mentio fit apud Dionem lib. LVI. προτεθείσης δὲ τῆς κλίνης ἐπὶ τοῦ δημιουργικοῦ βήματος, ἀπὸ μὲν ἐκείνου ὁ Δροῦσος τὶ ἀνέγνω, ἀπὸ δὲ τῶν ἑτέρων ἐμβόλων τῶν Ἰουλίων, ὁ Τιβέριος δημόσιον δή τινα κατὰ δόγμα λόγον ἐπ' αὐτῷ τοῖονδε ἐπελέξατο. *Feretro poſito ad Roſtra, pro illis Druſus quamdam orationem de ſcripto recitavit. Cæterum pro Roſtris Iuliis Tiberius ex S C. ad populum in hæc propemodum verba peroravit.* Ac Nova Auguſti Roſtra heic deſignari procul omni dubio eſt. Nam in Actiaco triumpho integræ etiam naves curribus importatæ, & poſt Pompam in unum acervum congeſta Nova ex iſtis Roſtra facta fuere, quæ *Iulia* appellata; quibus ſpolia maritima deinceps affixa, cum antea ad Vetera Roſtra ſuffigerentur; in cujus rei memoriam hic nummus videtur cuſus; ubi Auguſtus & M. Agrippa, (qui in triumpho Auguſti Actiaco, ubi inter pompæ triumphalis fercula, navalis quoque pugnæ ſimulacrum portatum eſt, omnium oculos in ſe verterat, utpote corona inſignis roſtrata, vexilloque cæruleo à Cæſare donatus ob navalem Victoriam, inter cæteros equo ſublimis conſpicuus,) ſellæ in Novis Roſtris inſidentes togati ad populum quaſi verba facturi repræſentantur.

Num.

Num. *Hadriani*, ſine Inſcriptione quidem, ſed in quo expreſ- VII.
ſus *Pons* ab Hadriano ſuper Tiberim exſtructus, & à prænomine ejus *Pons Ælius* appellatus. Spartianus in Hadriano : *Quum opera ubique infinita feciſſet, nunquam ipſe, niſi in Traiani patris templo, nomen ſuum ſcripſit. Romæ inſtauravit Pantheum, Septa, Baſilicam Neptuni, ſacras ædes plurimas, forum Auguſti, Lavacrum Agrippæ : eaque omnia propriis & veteribus nominibus conſecravit. Fecit & ſui nominis Pontem, & ſepulcrum juxta Tiberim.* Hinc Dio de Hadriano : Ἐτάφη ὑπὸ τὸν ποταμὸν τὸν πρὸς τῇ γεφύρᾳ Αἰλίᾳ· ἐνταῦθα γὰρ τὸ μνῆμα κατεσκεύασε. *Sepultus eſt juxta flumen, ad Pontem Ælium, ubi monumentum fecerat.*

Num. *Traiani*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRIN- VIII.
CIPI. AQVA. TRA*iana*. Symbolum *Aquæ Traianæ*, ſpecie Senis ſub fornice quodam incumbentis Urnæ, ex qua Aqua profluit, & dextra Arundinem tenentis, ut Dii fluviatiles fingi ſolebant. Aquæ enim Marciæ partem Traianus in Aventinum derivaverat, quæ exinde *Traiana* dicta eſt. Publius Victor De Reg. Urb. *Aquæ XXIIII. Appia, Marcia, Virgo, Claudia, Herculea, alias Herculanea, Tepula, Damnata, Traiana, Amnia*, &c. Meminit ejus quoque Antiqua Inſcriptio :

AQVA. TRAIAN. Q. ANICIVS. Q.F ANTONIAN.
CVR. THERMARVM. VARIANARVM.

Num. *Gentis Marciæ*, cum Inſcr. PHILIPPVS. AQVA. IX.
M A*rcia*. *Aquæductus* ab Anco Marcio rege exſtructus, per quem *Aqua* à regis nomine *Marcia* dicta, in Urbem deducta eſt. De qua Plinius lib. XXXVI. cap. III. *Primus eam in Vrbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius unus è regibus : poſtea Q. Marcius Rex in Prætura; rurſuſque reſtituit M. Agrippa.* Statuam equeſtrem, quæ aquæductui ſuperpoſita eſt, cum Fulvio putem deſignari eam, quam ſcribit Livius lib. IX. Marcio Tremulo ante ædem Caſto-

rum positam à Senatu, populoque Romano fuisse, quod Samnites bis vicisset, & Anagnia capta populum stipendio liberasset. Livii verba cap. XLIII sunt: *Marcius de Hernicis triumphans in Vrbem rediit: statuaque equestris in foro decreta est, quæ ante templum Castoris posita est.* Aquæ Marciæ quoque mentio fit apud Arrianum Dissert. Epict. lib. II. ubi eam non deteriorem Aqua Dirces esse ait, in verbis cap. XVI. Ἄλλος ἐλθὼν ὅτι οὐκέτι τὸ τῆς Δίρκης ὕδωρ πίνειν μέλλει. τὸ γὰρ Μάρκιον χεῖρόν ἐστι τῆς Διρκῆς; *Alius id ægre fert quod Dicæam aquam non amplius bibiturus sit. Num Marcia deterior est Dircæa?*

X. XI. XII. Num. *Augusti*, omnes cum eadem Inscriptione QVOD. VIAE. MVNitæ. SVNT. & cernuntur in singulis *Arcus Triumphales* alio atque alio modo exornati, in ponte, ob *Vias munitas*, Augusto positi. Nummos hosce declarant hæc Dionis verba lib. LIII. Τὰς ὁδοὺς τὰς ἔξω τῆς τείχους δυσπορούτους ὑπ' ἀμελείας ὁρῶν ὄσας, τὰς μὲν ἄλλας ἄλλοις πού τῶν βουλευτῶν ἐπισκευάσαι τοῖς ἰδίοις τέλεσι προσέταξε· τὴν δὲ Φλαμινίαν αὐτὸς, ἐπειδήπερ ἐμπολεμήσειν δι' αὐτῆς ἔμελλεν, ἐπεμελήθη. καὶ ἡ μὲν ὁδὸς τότε ἐγένετο, καὶ διὰ τοῦτο εἰκόνες αὐτῷ ἐπ' ἀψίδων εἵνεκα τῆς Τιβερείου γεφύρας ἐν Ἀριμίνῳ ἐστάθησαν. *Quum videret Augustus vias extra urbem, aliquamdiu neglectas itinera difficilia exhibere; reliquas patribus quibusdam, propriis sumptibus reficiendas mandavit: Flaminiam quoniam ea ducturus exercitum, ipse procuravit: estque ea statim instaurata, ac ob id statuæ Augusto in arcubus tam in ponte Tiberino, quam Arimini positæ sunt.*

## TABVLA CIX.

I. Num. *Augusti*, in quo scalptus *Cippus* cum Inscriptione S.P.Q.R. IMP. CAE. QVOD. V. M.S. EX. EA. P.Q. IS. AD. A. DE.

Id

TAB. CIX.

1

2

3

4

5

6

7




8

9

10

11

12

Id est, *S. P. Q. R. Imperatori Cæsari, quod Viæ munitæ sunt ex ea pecunia, quam is ad Ærarium detulit.* Suetonius in Augusto, cap. XXX. *Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Ariminio tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.*

Num. *Traiani*, cum Inscr. S. P. Q. R OPTIMO. PRINCIPI. & infra VIA. TRAIANA. Quæ heic repræsentatur per figuram muliebrem humi decumbentem, sinistra *Arundinem*, & dextra manu *rotam* super genu sustinentem. Xiphilinus ex Dione, in Traiano: Καὶ κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τά τε ἕλη τὰ Πόντικα ὡδοποίησε, λίθῳ, καὶ τὰς ὁδοὺς παροικοδομήσας, καὶ γεφύραις μεγαλοπρεπεστάτως ἐξεποίησε. *Iisdem temporibus Pontinas paludes lapidibus stravit, exstruxitque juxta vias ædificia, pontesque magnificentissimos fecit.* Hujus rei uberius meminit Galenus De Methodo medendi lib. IX. cap. VIII. hisce verbis: ὥσπερ καὶ νῦν ὁρῶμεν ἐνίας τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ὁδῶν τῶν παλαιῶν, ἢ πηλῶδες τὶ μόριον ἑαυτῶν, ἢ λίθων, ἢ μακρὸν, ἢ τραχὺ κεκτημένας ἀμέλει ταῦτ' ἐχούσας ἁπάσας τὰς ἐπὶ τῆς Ἰταλίας ὁδοὺς, ὁ Τραϊανὸς ἐκεῖνος ἐπανωρθώσατο. τὰ μὲν ὑγρὰ καὶ πηλώδη μέρη, λίθοις στρωννὺς, ἢ ὑψηλοῖς ἐξαίρων χώμασιν. ἐκκαθαίρων δὲ τά τε ἀκανθώδη, καὶ τραχέα, καὶ γεφύρας ἐπιβάλλων τοῖς δυσπόροις τῶν ποταμῶν. ἔνθα δ' ἐπιμήκης οὐ προσηκόντως ὁδὸς ἦν, ἐνταῦθα σύντομον ἑτέραν τεμνόμενος, ὥσπερ καὶ εἰ δι' ὕψος λόφου χαλεπὴ, διὰ τῶν εὐπορωτέρων χωρίων ἐκτρέπων. καὶ εἰ θηριώδης ἢ ἔρημος ἐξιστάμενος μὲν ἐκείνης, ἐφιστάμενος δὲ εἰς τὰς λεωφόρους. ἐπανορθούμενος δὲ καὶ τὰς τραχείας. *Veluti nunc quoque videmus quasdam veterum in terris viarum, quibus pars quæpiam est lutosa, vel lapidibus sentibusque impedita, vel moleste ardua, vel periculose prona, vel feris obsessa, vel propter magnitudi-*

II.

*nem fluminum invia, vel longa, vel aspera: itaque cum sic se haberent omnes in Italia viæ, eas Traianus ille refecit. Quæ quidem earum humidæ ac lutosæ partes erant lapidibus sternens, aut editis suggestionibus exaltans; quæ senticosæ & asperæ erant, eas expurgans, ac flumina quæ transiri non possent, pontibus jungens: ubi longior quam opus erat, via videbatur, aliam breviorem exscindens: sicubi verò propter arduum collem difficilis erat, per mitiora deflectens: iam si obsessa feris vel deserta erat, ab illa transferens ac per habitata ducens, tum aspera complanans.* &c.

III. Num. *Neronis*, cum Inscr. AVGVSTI. PORT. OST. SC. *Portus Ostiensis* cum septem navibus, quarum quæ in medio est, onerariam navem repræsentat. Hunc portum à Claudio exstructum notat Suetonius in ejus Vita, cap. XX. ubi & graphice ejus figuram describit: *Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, & ad introitum profundo iam solo mole objecta: quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent.* Adde Dionem lib. LX. Cæterum ad introitum portus cernitur figura quædam decumbens cum Delphino, *Neptunum*, aut potius *Portumnum*, Deum, portibus præfectum, qui Ostiæ quoque templum habuit, designans; ad alteram vero partem, sive in medio portus videre est *Colossum* Neronis super Columnam in mari erectam, positum, cujusmodi etiam Colossum Romæ sibi fabricaverat Nero; ac propter hæc Ornamenta, quæ Nero Ostiensi portui addidisse videtur, portus istius figuram in Nummis, cum sui ipsius imagine ab altera parte, scalpi curavit; quasi ultimam manum ei imposuisset. Quod vero *Augusti portus* vocetur, referendum ad cognomina Impp. Rom. qui post Augustum eodem quoque cognomine salutati. Idem *Portus Ostiensis* occurrit in quodam

Num.

Num. *Traiani*, cum Inſcr. PORT. OST. Quia & ipſe Traianus *Portum Oſtienſem* ornavit & firmavit; ſive, ut habet Scholiaſtes Vetus ad Juvenal. Sat. XII. *Traianus portum Auguſti reſtauravit in melius, & interius tutiorem ſui nominis fecit*, ita, ut jam geminus eſſet portus; alter *exterior* AVGVSTI PORTVS dictus; *interior* alter TRAIANI PORTVS appellatus. Vid. Ph. Cluverius Italiæ Antiquæ lib. III. cap. III. IV.

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Structuram in hoc nummo expreſſam non referendam ad Pontem Danubii à Traiano factum, ut quidam exiſtimarunt, ſed potius ad *Portum Anconitanum*; jam pridem vidit A. Rubenius, quem & alii ſecuti ſunt. Nam præterquam quod portus Anconæ Piceni civitatis primariæ, hodieque hac formâ utrinque ſcilicet turribus ornatus, ac in modum Amphitheatri concavus conſpiciatur, hinc conjecturæ omnino favet arcus Traiani adhuc integer in Anconæ portu cum Inſcriptione, quæ in Corpore Gruteriano habetur p. 247. V.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANIC.
DACICO. PONT. MAX. TR. POT. XVIIII. IMP. VIII.
COS. VI. P. P. PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI
SENATVS. P. Q. R. QVOD. ACCESSVM
ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO. EX. PECVNIA. SVA
PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT.

VI. *.

Num. *Alexandri Severi*, cum Inſcr. IMP. TR. P. V. COS. II. P. P. Ædificium pulcherrimum & ſumptuoſiſſimum, uti apparet, cum trophæis & victoriolis circa faſtigium, nec non turri ſexangulari, columnis, & ſtatuis exornatâ, & in cujus apice VII.

quadriga collocata eſt. Ab utroque ædificii latere alæ, vel brachia ejuſdem altitudinis cum ipſo ædificio procedunt, quæ ſinus inſtar aquam, in qua navis, catenâ circumcinctam, admittunt, & comprehendunt. Alexandrum magnificentiſſimum in publicis operibus exſtruendis fuiſſe, ex iis, quæ Lampridius in ejus Vita habet, ſatis conſtat, unde quædam huc facientia ſubjiciemus: *Opera Veterum Principum*, inquit, *inſtauravit: ipſe nova multa conſtituit: in his thermas nominis ſui, juxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, quæ Alexandrina nunc dicitur.* &c. *Alexandrinum opus marmoris, de duobus marmoribus, hoc eſt porphyretico & Lacedæmonio, primus inſtituit, Palatio exornato hoc genere marmorandi.* &c. *Baſilicam Alexandrinam inſtituerat inter campum Martium & ſepta Agrippiana, in latum pedum centum, in longum pedum mille, ita ut tota columnis penderet; quam efficere non potuit morte præventus.* &c. *In matrem Mammæam unice pius fuit, ita ut Romæ in Palatio faceret diætas nominis Mammææ, quas imperitum vulgus hodie ad Mammam vocant. Et in Baiano palatium cum ſtagno, quod Mammææ nomine hodieque cenſetur. Fecit & alia in Baiano opera magnifica, in honorem affinium ſuorum, & ſtagna ſtupenda, admiſſo mari* &c. Poſtrema hæc verba ad declarandum hunc nummum facere arbitror; & ſtagnum heic deſignari, per aquam iſtam cum navi, catena quaſi ſecluſam & cinctam.

VIII. IX. X. XI. XII. * * * * *.

CLAS-

TAB. CX.

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10




11




12



# CLASSIS IX.

## *Sacerdotia, Signa Pontificalia, Vasa Sacra &c. exhibens.*

## TABVLA CX.

Num. *Augusti*, cum Inscr. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS. Inter tot diversos Flaminum ordines, qui olim Romæ tam sub libera Republica, quam postea sub Cæsaribus fuêre, nullius disertis verbis, præterquam solius *FLaminis Martialis*, mentionem fieri in Nummis, idque in Augusti tantum, hactenus Antiquariis observatum est. Stat heic ipse *Lentulus Flamen Martialis*, velato capite, *Clypeum* magnum, sive, ut alii volunt, *pateram* grandiorem sinistra manu sustinens, dextra protensâ cum *stella* supra verticem alterius figuræ, minoris staturæ, togatæ, dextra *Lituum*, & sinistra scipionem, sive hastam puram tenentis. A. Rubenius arbitratur hoc schemate decerni *Clypeum Votivum* Augusto adstanti cum stella supra vertiçem; & adducit ista ex Virgilii lib. VIII. Æn. I.

*Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar*
*Stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas*
*Læta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.*

Nec accedere se illis dicit, qui figuram illam adstantem Lentulo, putant esse Camillum ei ministrantem. Verum Rubenianæ sententiæ obstare videtur, cum quod Augustus, & cæteri Imperatores post eum omnes fuerint Pontifices Maximi; tum præsertim, quod

quod Imperatores Rom. nunquam minori, ſed ſemper majori quadam formâ & ſtaturâ cæteris hominibus in nummis repræſentari ſoleant; cujus rei exempla aliquot in præcedentibus habuimus. Forſan figura illa adſtans cum Lituo, augurum inſigni, eſt *L. Iulius Cæſar*, Augur, qui Lentulum hunc Flaminem inauguravit, uti conſtat ex Macrobio Lib. II. Saturn. cap. IX. Cæterum in Familiis Romanis Fulvii Urſini à Cl. Patino auctis, in *gente Cornelia*, exhibetur Nummus, in cujus altera parte Caput *Auguſti* ſcalptum, in altera verò parte legitur L. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS, cum eodem fere ſchemate, quod in noſtro occurrit Nummo; niſi quod Lentulus ibi caput non habeat velatum, ſed nudum; & Clypeum corona laurea circumdatum, vel ſimpliciter Coronam Lauream ſiniſtrâ teneat, cui inſcriptum C.L. figura verò adſtans non ſit togata, ſed penitus nuda, præterquam quod velamine quodam circa pubem cincta; ſiniſtra autem haſtam cum cuſpide, & dextra non Lituum, ſed imagunculam quandam alatam, ita ut Victoriolam referre videatur, geſtet: tum quamvis aliquomodo brevioris ſtaturæ ſit, quam ipſe Flamen, haud tamen adeo depreſſæ, ut in hoc noſtro nummo. Lentuli hujus uti diximus, ſimulque diei, quo Flamen à L. Julio Cæſare Augure renunciatus eſt, mentio fit apud Macrobium lib. II. Saturn. cap. IX. in verbis Metelli: *Ante diem nonum Kalendas Septembris, quo die* LENTVLVS FLAMEN MARTIALIS *inauguratus eſt, domus ornata fuit.* &c. De hoc Lentulo Flamine ſunt, qui putent quoque Ciceronem intelligendum videri, in Epiſtolis ad Atticum lib. II. Epiſt. XIV. & lib. XII. Epiſt. VIII.

II. Num. *Neronis Cæſaris*, cum Inſcr. SACERD*os* COOPT*atus* IN. OMN*ia* CONL*egia* SVPRA. NVM*erum*, EX. SC. Varia Symbola ſacerdotiorum, *Tripus*, cum *Sympulo*, *Lituus*, & *Patera*, quibus deſignatur, Neronem eſſe *cooptatum in omnia Conlegia Sacerdotum ſupra numerum*, ut Inſcriptio dicit. Hic enim inter cæteros

cæteros honores Imperatoribus decretus fuit, & magni ab iis fiebat. Hinc Dio lib. XLII. De Julio Cæsare cui primum à Senatu is conceſſus, poſtquam dixiſſet, eum, ut pluribus gratiam referret, inter alia quoque numerum eorum, qui rebus ſacris præeſſent, ſupra præſcriptum à Legibus auxiſſe, ac Collegium Pontificum, Augurum, & Quindecim Virorum, uno addito in ſingula Collegia, ampliaſſe, addit: Καίπερ αὐτὸς βεβληθεὶς πάσας τὰς ἱερωσυνίας λαβεῖν, ὥσπερ ἐψήφισο. *Quamvis ipſe, ut decretum erat, omnia ſacerdotia habere ſtatuerat.* Optime autem Vir ſummus E. Spanhemius Diſſertat. VIII. De Præſt. & Uſu Numiſm. obſervat inter ſecundi faſtigii æque ac *Cæſaris*, *Principis Iuventutis*, aut *Nobiliſſimi* titulos, referendam etiam Dignitatem SACERDOTIS COOPTATI IN OMNIA CONLEGIA SVPRA NVMERVM, ad quam vocati in ſpem ſucceſſionis, vulgo evehi à prima juventute conſueverant. Idque clarum ex hujuſmodi *Neronis Cæſaris* Nummis, qui hos titulos ei largiuntur; quemadmodum etiam Vetus lapis eundem tribuit *M. Aurelio Cæſari* deſtinato. Hinc quoque lucem accipere Lampridii in Commodo locum, ubi de eo, ut Cæſare adhuc loquens, ſcribit: *Adſumptus eſt in omnia Collegia Sacerdotalia Sacerdos.* Sed videndus omnino dicto loco Spanhemius, ubi multa præclara ad hujus Nummi illuſtrationem ex intima antiquitate, reconditioriique litteratura more ſuo petita in medium adducit.

Num. *Elagabali*, cum Inſcript. INVICTVS SACERDOS III. AVG. Imp. *Heliogabalus* ſive *Elagabalus*, uti in nummis appellatur, Sacerdos *Dei Elagabali*, ſive *Solis*, ut ſupra ad Tab. XXXVIII. dictum, quique heic per *ſtellam* adjectam deſignatur, ſiniſtra *Ferulam* tenens, & dextra pateram ſupra aram effundens, eo habitu indutus, quo deſcribitur ab Herodiano lib. V. Τότῳ δὴ τῷ θεῷ ὁ Βασιλεὺς ἱερωμένῳ περί τε χλαμύδι βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυ-

βϋφεῖς καὶ ἁλουργεῖς χειριδωτοὺς καὶ ποδήρεις ἀνεζωμένος, τά τε σκέλη σκέπων πάντα ἀπ' ὀνύχων ἐς μηροὺς, ἐσθῆσιν ὁμοίως χρυσῷ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμέναις. *Huic Deo sacer erat Bassianus: incedens barbarico, tunicas indutus purpureas, auro intextas, ac manuleatas, cruraque tota convelans ab unguibus ad femora, vestibus similiter auro purpuraque variis.*

IV. Num. *Vitellii*, cum Inscr. XV. VIR. SACR. FAC. *Tripus* Delphica, in cujus superiore parte *Delphinus*, in inferiori vero cernitur *avicula* quædam. Quia Imp. Vitellius, uti inscriptio docet, erat XV-VIR Sacris faciundis. Delphinum autem Apollini sacrum, atque hinc in Tripode XV-virorum Delphinum effingi solitum, notat Servius in lib. III. Æneid. *Delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque XV-VIRORVM Cortinis Delphinus in summo ponitur, & pridiè quam sacrificium faciunt velut symbolum Delphinus circumfertur: ob hoc scilicet, quod* XV-VIRI *Librorum Sibyllinorum sunt Antistites: Sibylla autem Apollinis vates, & Delphinus Apollini sacer.* Hinc Martialis lib. IX Epigram. XLII. ut incomparabilis Scaliger pridem ad Manilium notavit:

*Campis dives Apollo sic marinis.*

per *Campas marinas* intelligit Delphinos Apollini sacros, quos ita κατ' ἐξοχὴν vocat; quia *Campas* Veteres Latini omnia κητώδη & ingentes pisces dicebant. Avicula autem in inferiori tripodis parte, *Corvus* est, qui itidem Phœbo sacer. Manilius lib. I.

*Et commilitio volucris Corvinus adeptus*
*Et spolia & nomen, qui gestat in alite Phœbum.*

Unde Statius lib. III. Thebaid. Corvum designat, cum ait:

*Non*

*Non comes obſcurus tripodum, non fulminis ardens*
*Vector adeſt.* ——

Id eſt, non Corvus, non Aquila adeſt. Corvum *comitem tripodum* vocat; quia in Apollinis tutela. Notum eſt XV-virorum S. F. munus fuiſſe, Libros Sibyllinos cuſtodire, cum ex SC. adeundi eſſent, adire, & quæ legiſſent, Senatui renunciare, & ea Senatus conſulto decreta procurare, Ludos ſæculares celebrare, & poſtremo omnia peragere, quæ Sibyllinorum carminum juſſu facienda erant. Hi initio tantum duo erant, inde decem inſtituti, deinde XV. poſtea, licet numerus eorum creverit, ad ſexaginta uſque, ut notat Servius ad lib. VI. Æneid. verſ. 74. XV-virûm vocabulum tamen remanſit. Verba Servii: *Sciendum tamen primum Duos librorum* (Sibyllinorum) *fuiſſe cuſtodes, inde Decem, inde Quindecim uſque ad Syllana tempora; poſtea crevit numerus. Nam & ſexaginta fuerunt, ſed remanſit in his Quindecim virorum vocabulum.* Exſtat & alius

Num. *Ejuſdem*, cum Inſcr. PONT. MAX. TR. POT. V. AVGVR. in quo *Tripus* itidem cum *Delphino* expreſſus eſt; & inſcriptio indicat, cum cæteris ſupremi faſtigii appellationibus, Vitellium quoque AVGVREM dici voluiſſe.

Num. *M. Antonii*, cum Inſcr. M. ANTON. M. F. M. N. VI. AVGur IMP. ITER. *Tripus* ſupra quem ſtella, inter *Lituum Auguralem* & *Simpvvium*, cum duabus *aviculis* in medio. Aves iſtæ, aut duo *Corvi* ſunt, quia ab iis potiſſimum auguria capiebantur; aut forſan *Corvus* cum *Cornice*, quia, ut illius volatus læta & fauſta, ita hujus infauſta nunciare exiſtimabatur. Hinc Juno apud Phædrum Tab. LVII. ad Pavonem:

*Fatorum arbitrio partes vobis ſunt datæ,*
*Tibi forma, vires Aquilæ, Luſcinio melos,*
*Augurium Corvo, læva Cornici omina.*

Per ſtellam verò ſupra Tripodem deſignatur Sacerdotium D. Julii; cujus Flaminem creatum Antonium teſtatur Appianus in Parthicis, ubi de Antonio ſcribit: αὐτὸς ὁ χαριζόμενος, ἱερεὺς ἀπεδείχθη τοῦ πρὸ πατρὸς Καίσαρος. *Ipſe in Cæſaris gratiam, creatus eſt Flamen Divi Cæſaris.*

VII. & VIII. Num. *Triumvirorum*, cum Inſcr. ab una parte ANTON. IMP. AVGVR, & ad ejus Auguratum deſignandum, cernitur ibi *Lituus*, *Vrceus* & *Pullus Gallinaceus*; ab altera parte verò Inſcr. LEPIDVS. IMP. P.M. CÆSAR. IMP. PON. & ad horum Sacerdotia indicanda, *Simpulum*, *Aſpergillum*, *Securis* & *Apex*. Inſtrumenta ſacris uſibus deſtinata, quorum quæ fuerit forma, non aliunde melius, quam ex Nummis antiquis conſtare poteſt, ubi ſingularum figura expreſſa. Ex iſtis enim appareret, qualis baculus incurvus fuerit *Lituus Auguralis*; aliàs, ejus flexuram vix ex deſcriptione, quæ apud Auctores reperitur, divinare liceret. Nec enim A. Gellius lib. V. cap. VIII. ubi ſcribit: *Lituus virga brevis, in parte qua robuſtior eſt, incurva; qua Augures utuntur.* Nec Cicero lib. I. De Divinatione, ubi ait: *Romuli Lituus, id eſt, incurvum & leviter à ſummo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, ſimilitudine nomen invenit*, huic rei magnam darent lucem; ſed inſpectio hujuſmodi nummorum ſtatim omnem difficultatem tollit. Sic ex iiſdem *Vrcei*, ſive *Vrceoli* miniſtratorii, quem etiam *Guttum* vocabant, quod liquor inde ob oris anguſtiam guttatim efflueret, forma conſpicua eſt. *Pullus* heic expreſſus, pertinet ad pullos, quos Romani cavea incluſos habebant, ad auguria capienda, unde *Tripudium ſolliſtimum*, uti notum eſt. *Sympulvium*, ſive *Sympulum* Feſtus Paulli deſcribit fuiſſe *vas parvum non diſſimile cyatho, quo Vinum in ſacrificiis libabatur. unde mulieres rebus divinis deditæ ſimpulatrices dictæ.* Formam ejus in variis nummis obſervare eſt. Sic *Aſpergillum* ſive *Aſperſorium*, quo luſtrabant, ſe ſpargendo aquâ, quæ in templis erat, ex equinæ caudæ

caudæ pilis fuisse iidem Nummi docent. *Securim*, qua Victimæ mactabantur, aut secabantur, cum capite porcino hic Nummus exhibet. De *Apice*, sive *Albo galero*, Sacerdotum insigni, cujus etiam figuram heic cernere est, Vide Ph. Ruben. Elector. lib. II. cap. XXV.

Num. *Diadumeniani*, cum Inscr. PIETAS. AVG. SC. IX.
Varia itidem sacerdotiorum insignia in hoc nummo expressa, *Lituus*, scilicet, *Secespita*, *Vrceus*, *Sympuvium*, & *Aspergillum*. De cæteris in præcedentibus jam dictum; *Secespitam* verò Festus ex Antistio Labeone fuisse ait, *cultrum ferreum*, *oblongum*, *manubrio rotundo*, *eburneo solido vincto ad capulum auro*, *argentoque*, *fixum clavis æneis*, *ære Cyprio*, *quo Flamines*, *Flaminicæ Virgines*, *Pontificesque ad sacrificia utebantur*.

Num. *Augusti*, cum Inscr. AVGVR. PONT. MAX. X.
IMP. XI. P.P. *Discus*, sive *Patera* cum imagine Solis, cujus usus in Sacris, cum *Lituo*, *Sympuvio*, & *Commentaculis*. de quibus Festus: *Commentacula*, (alii legunt *Commotacula*) *virgæ*, *quas Flamines portant*, *pergentes ad Sacrificium*, *ut à se homines amoveant*.

Num. *Antoniæ*, matris Claudii Imp. aviæ Drusi & Caligulæ, XI.
cum Inscr. SACERDOS. DIVI. AVGVSTI. *Duæ faces*, Symbolum sacerdotii D. Augusti, quod Antonia gessit. Dio de Caligula lib. LIX. Ἔς τε τὴν μητέρα, καὶ ἐς τὰς ἀδελφὰς, τήν τε τηθὴν τὴν Αντωνίαν πλεῖστα ὅσα εὐσεβῶς ποιήσας, ταύτην τε γὰρ Αὐγούσταν τε εὐθὺς καὶ ἱέρειαν τοῦ Αὐγούστου ἀποδείξας &c. *In matrem*, *sorores*, *aviamque Antoniam permulta pietate usus est*; *nam hanc Augustam statim & sacerdotem Augusti fecit*. Faces vero in sacris accendi solitas, res satis nota est, ideoque ut Sacerdotii Symbolum heic expressæ. Lactantius lib. VI. cap. I. *Mactant opimas & pingues hostias Deo quasi esurienti*, *profundunt vina tanquam sitienti*, *accendunt Lumina tanquam in tenebris agenti*. &c.

XII. Num. *Augusti* cum Inscr. AVGVST. In hoc Nummo Antiquarii volunt expressum esse *Candelabrum*, cujus usus in Sacris ad Lumina accensa sustinenda, intra *Coronam ex craniis boum, & patellis, vittisque*, compositam, quæ ita Pontificatum Maximum Augusti indicarent.

# TABVLA CXI.

I. Num. *Antonini Pii*, cum Inscr. PIVS P. M. TR. P. COS. DES. II. *Pietas* velata manibus sublatis Vota concipiens ante Aram accensam. De Pietate Antonini in præcedentibus à nobis jam dictum.

II. Num. *Hadriani*, cum Inscr. P. M. TR. P. COS. II. VOT. PVB. *Pietas* itidem velata capite manibus sublevatis *Vota Publica* concipiens.

III. Num. *Domitiani*, cum litt. S C. Imp. *Domitianus* velato capite, & Gabino cinctu, stans ante ædiculam, & sacra faciens, ut videtur, Minervæ. quippe quam præ cæteris eum superstitiose coluisse, ideoque ejus effigiem sæpius in Nummis expressisse, jam supra ex Suetonio notavimus.

IV. Num. *I. Cæsaris*, cum Inscr. JOV. OPT. MAX. SACR. *Taurus* immolandus ante Aram, dorsuali, & vittis atque infulis inter cornua redimitus; infra eum etiam *Secespita* cernitur. Hostias enim vittis & infulis, exornari Veteribus solitas constat. Hinc Virgilius lib. III. Georgic.

——— *Stans hostia ad aram,*
*Lanea dum niveâ circumdatur infula Vittâ*, &c.

Prudentius Hym. X περὶ στεφ.

*Huc*

1

2

3




4

5

6

7

8

9

10

11

12

*Huc Taurus ingens fronte torva & hiſpida,*
*Sertis revinctus, aut per armos floreis,*
*Aut impeditus cornibus deducitur.*

Num. *Familiæ Romanæ*, ſed incertæ, ſine Inſcript. in quo cernitur *Porca* quæ tenetur à quodam ſignifero, adſtantibus hinc inde variis hominibus. Fulvius non dubitat hunc Denarium pertinere ad Italicorum conjurationem, ex qua bellum exortum eſt, quod Italicum, Sociale & Marſicum appellatur. Italicorum autem ducum, quorum nomina leguntur apud Velleium lib. II. & Appianum lib. I. Bell. Civil. conſpirationem cæſâ porcâ factam eſſe hic nummus teſtatur; cujus immolatione alioquin ab antiquis fœdera iniri ſolita, præter alios teſtis Virgilius lib. VIII. Æneid. V.

——— *& cæſa jungebant fœdera porca.*

Formulam & modum habes apud Livium lib. I. in deſcriptione fœderis inter Romanos & Albanos icti, ubi inter alia: *Legibus deinde recitatis, Audi*, inquit, *Iupiter: audi Pater patrate populi Albani: audi tu populus Albanus (ut illa palam prima poſtremave, ex illis tabulis, cerave recitata ſunt) ſine dolo malo utique ea heic hodie rectiſſime intellecta ſunt. illis legibus populus Romanus prior non deficiet. ſi prior defecerit publico conſilio, dolo malo: tu illo die, Iuppiter, populum Romanum vi ferito, uti ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque. id ubi dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit.* &c.

Num. *Gentis Pomponiæ*, cum Inſcr. NVMA. POMP. *Hircus* ad Aram incenſam cornu à Popa adducitur, Baccho forſan immolandus, uti moris erat, adſtante ab altera parte Augure, forte ipſo Numâ Rege, cum Lituo in dextra manu. Sacrificium iſtud ſub nomine *Numæ Pompilii* Regis à L. Pomponio Molone, qui hunc nummum cudit, heic expreſſum, quia nempe gens Pom- VI.

Pomponia, à Pompone, Numæ filio, originem ducebat; nec non, quia Numa, uti ex Livio, & aliis conſtat, Sacra, Cærimonias, omnemque Deorum Cultum populum Romanum docuit, Pontifices, Augures, Flamines, Salios, Veſtales, alioſque Sacerdotes primus inſtituit. Hircus autem, ſive Caper Baccho ſacrificabatur, in pœnam, quod vites arroderet. Varro lib. I. De R. R. cap. II. *Quædam pecudes culturæ ſunt inimicæ ac veneno, ut iſtæ, quas diximus, capræ: hæ enim omnia novella ſata carpendo corrumpunt, non minimum vites, atque oleas. Itaque propterea inſtitutum diverſa de cauſſa ad alii Dei aram hoſtia adduceretur, ad alii non ſacrificaretur: cum ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum, ut Libero Patri repertori vitis hirci immolarentur, proinde, ut capite darent pœnas: contra ut Minervæ caprigeni generis nihil immolarent, propter oleam, quod eam, quam læſerit, fieri dicunt ſterilem.* Hinc Virgilius lib. II. Georg.

*Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur.* ——

Et paullo poſt:

*Et ductus cornu ſtabit ſacer hircus ad aram.*

Huc faciunt iſta Ovidii lib. XV. Metam.

*Vite Caper morſa Bacchi mactatus ad aras*
*Ducitur ultoris.* ——

Et lib. I. Faſtor.

*Rode Caper vitem, tamen hinc cum ſtabis ad aram*
*In tua, quod fundi cornua poſſit, erit.*

Nec non Martialis lib. III. Epigr. XXIV.

*Vite nocens roſa ſtabat moriturus ad aras*
*Hircus, Bacche, tuis victima grata ſacris.*

Num.

Num. *Caligulæ*, cum Inſcr. DIVO. AVG. S C. Imp. *Caius* VII. *Caligula* in Templo Divi Auguſti, quod ipſe ædificaverat, habitu ſacrificantum, ſuper aram paterâ libans, adſtantibus duobus popis, quorum alter Victimam ad aram adducit. Haud dubie Schema hoc ad Dedicationem iſtius Templi à Caio factam, cujus ad Tab. CVII. Num. II ex Dione mentionem fecimus, quoque pertinet.

Num. *Commodi*, cum Inſcr. VOTA. SOLV. PRO. SAL. VIII. P. R. Sacrificium ſolemne, quo *Vota pra ſalute Populi Romani ſoluta*. Cernitur heic ipſe Imp. Commodus, ante aram paterâ libans, cum Victimario, malleo frontem Tauri, qui cornibus à Camillo adſtante tenetur, feriente, aliiſque popis, quorum alter tibiis paribus canit; uti in ſolemnibus ſacrificiis moris erat. Victimas autem vel ſecuri, vel malleo percuſſas tam ex Nummis, quam aliis Veterum monumentis, ubi utriuſque aut effigies, aut mentio occurrit, conſtat. Hinc Ovidius lib. VII. Metamorph. de Securi:

——— *feriuntque ſecures*
*Colla toroſa boum vinctorum cornua vittis.*

Et lib. IV. Triſt. Eleg. II.

*Candidaque adducta collum percuſſa ſecuri*
*Victima purpureo ſanguine tingit humum.*

Idem de malleo alibi in Metamorph.

*Lactantis vituli dextra libratus ab aure*
*Tempora diſcuſſit claro cava malleus ictu.*

Sic de Caligula Suetonius ſcribit: *Admota altaribus Victima, ſuccinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.*

IX. Num. *Hadriani*, cum Inſcr. SACRA. ROMAN. RESTITVTA. Imp. *Hadrianus* cum habitu ſacerdotali, ſuccincto, & lineo involucro circa caput, ante aram incenſam ſacrificans cum patera; adſtante alio quodam, qui *Acerram* tenere videtur, nec non ab altera aræ parte muliere in genua procumbente. Inſcriptio docet hoc ſchemate *Sacra Romana* ab Hadriano *reſtituta* deſignari. Quo faciunt iſta Ælii Spartiani in ejus Vita: *Sacra Romana diligentiſſime curavit: peregrina contemſit. Pontificis maximi officium peregit.*

X. Num. *Antonini Pii*, cum Inſcr. IMPERATOR II. & infra ANCILIA. *Ancilia* in hoc Nummo ab Antonino Pio ſignata videntur, tanquam clariſſimum Romanæ magnitudinis pignus, quod è cœlo Romanis datum fuerit. Qua de re Feſtus ita ſcribit: *Numa Pompilio regnante è cœlo cecidiſſe fertur Ancile, id eſt ſcutum breve: quod ideo ſic appellatum, quia ex utroque latere erat reciſum; ut ſummum infimumque ejus latius medio pateret: unaque edita vox, omnium potentiſſimam fore civitatem, quamdiu id in eâ manſiſſet. Itaque facta ſunt ejuſdem generis plura, quibus id miſceretur, ne internoſci cœleſte poſſet. probatum opus maxime Mamurii Veturii, qui præmii loco petiit, ut ſuum nomen in carmina Salii canerent.* Videndus etiam Plutarchus in Numa. Lucanus ad rationem Phyſicam refert, & Ancile Numæ tempore vi ventorum aliunde in ſublime evectum, & ita delatum, quaſi è cœlo delapſum; lib. IX

——— —— *delapſaque cœlo*
*Arma timent gentes, hominumque erepta lacertis*
*A ſuperis demiſſa putant. ſic illa profecto*
*Sacrifico cecidêre Numæ, quæ lecta juventus*
*Patritia cervice movet; ſpoliaverat Auſter*
*Aut Boreas populos Ancilia noſtra ferentes.*

Num.

Num. *Augusti*, cum Inscr. P. STOLO III VIR. Heic itidem *Ancilia* intermedio *Apice*; quia Salii præter Ancilia, de quibus Lucanus lib. I. XI.

—— *& Salius læto portans Ancilia collo*,

etiam Apicem ferre solebant, uti constat ex hisce verbis Festi, ubi scribit: *Salias Virgines Cincius ait esse conductitias quæ ad Salios adhibentur cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum Pontifice paludatas cum apicibus in modum Saliorum.* De ancili porro Julianus Imperator apud Cyrillum Alexandrinum lib. VI. contra Julianum: ὦ δυςυχεῖς ἄνθρωποι, σωζομένου τοῦ παρ' ἡμῖν ὅπλου Διοπετοῦς, ὃ κατέπεμψεν ὁ μέγας Ζεὺς, ἤτοι πατὴρ Ἄρης, ἐνέχυρον διδοὺς οὐ λόγον, ἔργον δὲ, ὅτι τῆς πόλεως ἡμῶν εἰς τὸ διηνεκὲς προασπίσει, προσκυνεῖν ἀφέντες καὶ σέβεσθαι. &c. *O Miseri homines; cum servetur apud nos ancile, quod magnus demisit Iupiter, aut Mars pater, pignore dato, non verbo, sed re, quod Vrbem nostram perpetuò protecturus sit, hoc cessatis adorare & colere*, &c.

Num. *Traiani*, cum Inscr. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Spolia armorum heic congesta, quæ inter Scuta, Vexillum militare, jacula, Pharetra, cujus generis plurima in Columna Traiani cernuntur, Victoriam Trajani contra Dacos designare videntur. XII.

# CLASSIS X.

## *Miscellanea continens.*

## TABVLA CXII.

I. Num. *Gentis Liciniæ*, cum Inscr. NERVA. Hunc Nummum optime explicavit Fulvius Ursinus, Antiquariorum facile Princeps, in Gente Licinia, cujus vestigiis insistendum duximus. Expressa itaque heic sunt SEPTA, sive Cancelli Comitiorum, quibus populus suffragium laturus includebatur. PONTES, quos C. Marius Tr. Pl. anno Iↄcxxxiiii. lege sua angustiores fecit, ne quis illic præter eum, qui suffragium ferret, consistere posset ad appellandum rogandumque, cujus meminit Cicero lib. III. de Leg. & Plutarchus in Vita Marii. CISTA præterea, in quam suffragia conjiciebantur, & DIRIBITOR, qui tabellas populo ministrabat. De cancellis sive septis, quæ Lucanus lib. II. *ovilia* appellavit, vers 197.

——— *& miseræ maculavit ovilia Romæ.*

præter Dionysium lib. X. mentionem facit Plutarchus in Mario: Μάλιστα δὲ (inquit) ὑποψίαν παρέσχε Κασσίου Σαβάκωνος οἰκέτης ὀφθεὶς ἐν τοῖς τῶν δουφράκτων, ἀναμεμιγμένος τοῖς φέρουσι τὰς ψήφους. ὁ γὰρ Σαβάκων ἦν ἑταῖρος ἐν τοῖς μάλιστα Μαρίου. *Suspicionem autem potissimum dedit Cassii Sabaconis servus intra cancellos conspectus inter eos, qui suffragia ferebant, quippe erat in primis necessarius Sabaco Marii* &c. Intra cancellos enim præter suffragatores & ministros Comitiorum, non licebat cuiquam consistere. Horum quo-

1

2



3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

quoque meminit Servius ad I Eclog. Virgilii : *Septa proprie ſunt loca in campo Martio incluſa tabulatis, in quibus ſtans Pop. Rom. ſuffragia ferre conſueverat.* De Pontibus, qui in Comitiis erant, Cicero ad Atticum, lib. I. Ep. *Operæ Clodianæ Pontes occuparant, tabellæ miniſtrabantur ita, ut nulla daretur, uti rogas.* Et Auctor ad Herennium lib. I. *Cæpio ut illum contra SC. intercedentibus collegis adverſus Rempublicam vidit ferre, cum bonis viris impetum facit, Pontes diſturbat, ciſtas dejicit.* Quibus verbis etiam ciſtarum mentionem fieri videmus. Has qui deferebat colligendis per Tribus ſuffragiis, Rogator dicebatur. Idem Auctor eodem lib. I. *Saturninus*, inquit, *ferre cœpit, collegæ ejus intercedere : ille nihilominus ciſtellam detulit.* &c. Ciſtarum hujuſmodi in Comitiis cuſtodes nongentos ſelectos fuiſſe ſcribit Plinius lib. XXXIII. cap. II. De Diribitoribus porro, qui tabellas populo per centurias miniſtrabant, quique ita dicti à diribendis, ſive diſtribuendis tabellis, Cicero Oratione poſt Reditum in Senatu : *Quando*, inquit, *illa dignitate Rogatores, Diribitores, Cuſtodeſque vidiſtis?* In Orat. ad Piſonem vero eoſdem *Diſtributores* vocat : *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos Diſtributores, vos cuſtodes fuiſſe.* Sed de his omnibus, aliiſque ad Comitiorum negotium pertinentibus videndus omnino Nic. Gruchius in Eruditiſſimis, quos de Comitiis Romanorum conſcripſit, Libris.

Num. *Gentis Scriboniæ*, cum Inſcr. PVTEAL. SCRIBON. II. In hoc Nummo à L. Scribonio Libone, qui Conſul cum M. Antonio II. fuit anno U. C. Ↄccxix. expreſſum eſt *Puteal*, quod in Foro Romano fuiſſe prope ficum Ruminalem ante Curiam, ſcribit Dionyſius lib. III. Quod autem prope habitaret Libo, vel quod ejus impenſa factum, aut reſtitutum eſſet, uti notat Fulvius, *Puteal Libonis*, appellabatur. Horatius lib. I. Epiſt. III.

——— *Forum Putealque Libonis*
*Mandabo ſiccis.*

Fuitque locus percelebris Romæ, cuius etiam meminit P. Victor Regione VIII. *Puteal* autem erat tegmen ſive operculum putei, in quo Attii Navii cotem & novaculam defoſſam fuiſſe volunt. Cicero lib. I. de Divinatione : *Cotem autem illam, & novaculam defoſſam in comitio, ſupraque impoſitum puteal accepimus.* Quale autem illud *Puteal*, ſive putei tegmen fuerit, hic Nummus oſtendit, qui Aram coronatam repræſentat, adſcripto Scribonii Libonis nomine, quod ille Aram hanc aut inſtituiſſet, aut inſtauraſſet. Prope *Puteal* ejus Prætoris tribunal fuiſſe, qui Romæ ſub Auguſto de fœnore ac uſura cognoſcebat, volunt ; vel ſaltem eo loco, qui *puteal* dicebatur, fœnora tractari quoquo modo ſolita fuiſſe, ex Auctoribus, qui hujus meminere, colligere eſt. Ovidius lib. II. De Rem. Amor.

*Qui Puteal, Ianumque timet, celeresque Kalendas.*

Ad Ianum enim ſummum, medium, & imum habitaſſe fœneratores notum eſt. Sic Horatius lib. II. Sat. VI.

——— ——— *ante ſecundam*
*Roſcius orabat ſibi adeſſes ad Puteal cras.*

Perſius Sat. IV.

*Si Puteal multo cautus vibice flagellas*

Hinc explicandus Cicero Orat. pro Sextio, ubi de Gabinio ait: *Puteali & fœneratorum gregibus inflatus.* innuit Gabinium fœneratorum à puteali gregibus inflatum per Urbem incedere ſolitum, non ſecus ac ſi honoris cauſa comitarentur, qui nummos petitum venerant.

III. Num. *Nervæ*, cum Inſcr. VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA. Duo *Muli* clitellis depoſitis paſcentes, ob *Vehiculationis*, hoc eſt, *Curſus Publici* onus per Italiam à Nerva remiſſum, & à privatis ad fiſcum tranſlatum. Cæterum præclaram huic Nummo lucem, poſt Viros Summos Iſ. Caſaubonum & Cl.

Cl. Salmaſium ad Hiſtoriam Auguſtam, nec non I. Gothofredum ad Codicem Theodoſianum, attulit haud ita pridem Illuſtr. E. Spanhemius in conſummatiſſimo illo opere De Præſt. & Uſu Numiſm. Diſſertat. IX. pag. 800 & ſeqq. Edit. Amſtelod. quem conſulere operæ pretium omnino erat.

IV. *.

Num. *Familiæ Romanæ*, cum Inſcr. ROMA. Quæ heic Viraginis inſtar capite galeato, jaculum dextra & ſiniſtra clypeum tenens efficta; quo ſchemate Romam repræſentari, ac nullum fere frequentius in veterum nummis, præſertim Conſularibus, occurrere, paſſim apud Fulvium videre eſt. V.

Num. *Gentis Memmiæ*, cum Inſcr. C. MEMMI. C. F. QVIRINVS. Caput *Romuli* primi Romanorum Regis, laureatum, promiſſis capillis & barba denſa, ac intorta venerandum. De *C. Memmio*, qui hunc nummum percuſſit, videndus Fulvius in gente Memmia. VI.

Num. *Gentis Tituriæ*, cum Inſcr. SABIN. Effigies *T. Tatii Sabini*, capillitio & ſpiſſa barba conſpicua. Hunc cum Romulo quinque annos Romæ regnaſſe, cum eſſet ab eo in regni conſortium adſumptus, notum etiam illis, qui necdum ære lavantur. VII.

Num. *Gentis Calpurniæ*, cum Inſcr. CN. PISO. PRO Q. Caput *Numæ Pompilii*, Regis Romanorum ſecundi, Diademate cinctum, & oblonga barba ornatum, à *Cn. Calpurnio Piſone*, qui Cn. Pompeii Proquæſtor in bello Piratico fuit, in hoc nummo expreſſum, ad originem *gentis Calpurniæ* indicandam, quippe quæ deſcendebat à *Calpo* Numæ Pompilii Regis filio, uti ſcribit Plutarchus in Numa; indeque Lucanus in Panegyrico ad Piſonem: VIII.

——— *nam quid memorare neceſſe eſt,*
*Vt domus à Calpo nomen Calpurnia ducat?*

Num.

IX. Num. *Gentis Marciæ*, cum Inſcr. ANCVS. Effigies *Anci Marcii*, quarti Romanorum Regis, Numæ Pompilii ex filia nepotis; qui heic diademate quidem redimitus circa caput, ſed imberbis plane conſpicitur, à *Marcio* vero *Philippo*, uti gentis Marciæ originem deſignaret, in hoc nummo ſcalptus.

X. & XI. Num. à *Marco Bruto*, Conjurationis in Cæſarem Principe, ut videtur, ad genus tam paternum, quam maternum indicandum, ſignatus; in altera quippe ejus parte cum Inſcr. BRVTVS, effigies *L. Iunii Bruti*, qui Tarquinios Roma ejecit, expreſſa; in alterâ vero parte cum Inſcr. AHALA, Caput C. *Servilii Ahalæ*, qui Magiſter Equitum Spurium Melium regnum affectantem occidit. Cicero in Catilinam: *C. Servilius Ahala Sp. Melium novis rebus ſtudentem manu ſua occidit.* Et in Catone: *Si quidem aranti L. Quinctio Cincinnato nuntiatum eſt, eum Dictatorem eſſe dictum; cujus Dictatoris juſſu Mag. Eq. C. Servilius Ahala Sp. Melium, regnum appetentem, occupatum interemit.* Hos itaque Libertatis patriæ Vindices M. Brutus, à quorum altero genus paternum, ab altero per Serviliam matrem, (quæ generis ſui originem ad C. hunc Ahalam referebat, ut notat Plutarchus in Bruto,) maternum ducebat genus, in Nummo expreſſit, ut indicaret, ſe horum exemplo, ad patriam à tyrannide J. Cæſaris liberandam, incitatum fuiſſe. Hinc Cicero II Philipp. *Etenim*, inquit, *ſi Auctores ad liberandam patriam deſiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem? quorum uterque L. Bruti imaginem quotidiè videret, alter etiam Ahalæ?* &c.

XII. Num. *Gentis Corneliæ*, cum Inſcr. SVLLA. COS. Effigies *L. Cornelii Sullæ*, qui primum Conſulatum geſſit cum Q. Pompeio Rufo, cujus vultus in altera hujus nummi parte expreſſus, anno V. C. IↃCXLV. Signatus autem hic nummus videtur in memoriam patris à Fauſto ejus filio.

TA-

1

2

3

4

5




6

7

8

9

10

11

12

# TABVLA CXIII.

Num *Gentis Pompeiæ*, cum Inſcr. CN. MAGN. IMP. I.
Imago *Cn. Pompeii Magni*, quem ita Alexandro Magno adſpectu ſimilem fuiſſe ſcribit Plutarchus, ut Alexander à quibuſdam fuerit appellatus; Velleius quoque lib. II. Pompeium Magnum ſcribit fuiſſe *formâ excellentem, non ea, qua flos commendatur ætatis, ſed ex dignitate conſtanti.* Hinc de eo Silius lib. XIV.

*Ille hirtâ cui ſubrigitur coma fronte, decorum*
*Et gratum terris MAGNVS caput.*

Quo etiam referas illa Lucani lib. VIII. ubi de Pompeii capite jam abſciſſo,

*Impius ut MAGNVM noſſet puer, illa verenda*
*Regibus hirta coma, & generoſa fronte decora*
*Cæſaries, compreſſa manu eſt.*

Num. *Auguſti*, cum Inſcr. L. SVRDINVS III. VIR. A.A.A. II.
FF. in cujus averſa parte nota S C. tantum impreſſa, à *L. Surdino Triumviro Auro, Argento, Ære, Flando, Feriundo.* Quales Triumviros monetæ ſignandæ in Urbe fuiſſe uſque ad J. Cæſaris tempora, ſub quo ad Quatuorviros eam curam relatam, ac ſub Auguſto iterum ad Tres Præfectos redactam, iam in præcedentibus monitum.

Num. *Gentis Corneliæ*, cum Inſcr. LENT. CVR. X. FL. III.
in quo cernitur Corona Laurea cum ſceptro eburneo, Diſco, ſive Clypeo, & Gubernaculo navis. Inſcriptio autem docet *Lentulum* iſtum fuiſſe *Curatorem Denariorum flandorum*; ita enim ante inſtitutum III. virorum monetalium officium, dictos eos, qui cuden-

dæ monetæ præficiebantur, hinc colligit Fulvius. Triumviri autem auro, argento, ære flando, feriundo, circa, vel paulò ante Ciceronis tempora demum creati.

IV. Num. *Augusti*, cum Inscript. detrita: GVS. PONT. MAXI. Nummus est æreus, in quo præter caput Augusti, cernitur tudiculâ, sive typo impressum signum aliquod, literis quibusdam inter se connexis & implicatis insignitum, quas inter discernere est CÆSR; ac si CÆSAR legendum foret; quamvis alii notam esse velint monetalem, quâ valor hujusmodi nummorum æreorum quando monetæ locum impleverint, indicetur; quemadmodum hujusmodi nota manifeste impressa reperitur in quodam æreo

V. & VI. Num. *Claudii*, in quo ab altera parte AS impressum cernitur; in altera vero parte, ubi Caput *Claudii*, cum Inscriptione attrita, duo typi impressi cernuntur, cum literis MP, & PRO. quas legendas censent, MONETA PVBLICA POPVLI ROMANI. Hujusmodi autem nummos æreos tali notâ insignitos, *Assis* valorem obtinuisse; cum alioquin omnes Imperatorum ærei nummi, qui tam magna copia, & variis ex caussis, variæque magnitudinis & ponderis cusi fuerint, monetæ loco non fuisse videantur. Ruptura, quæ in hoc nummo cernitur, à violenta typi percussione processit.

VII. Num. Æreus cum Imagine *Iani Bifrontis*, in cujus altera parte Navis prora expressa; quâ nota iam inde à Regibus veteres Romanorum nummos insigniri solitos, ex Ovidio, Plinio, Plutarcho, & Lactantio constat.

VIII. Num. *Alexandri Severi*, cum Inscr. RESTTVTOR. MON. SC. Imp. *Alexander* paludatus dextra Laurum, & sinistra hastam tenens. In Inscriptione autem RESTITVTOR MONETÆ vocatur; quia variis Alexander nummorum formas ab Heliogabalo inven-

inventas, iterum diſſolvit, ac lege lata eorundem uſum prohibuit; ut teſtatur Æl. Lampridius in ejus Vita : *Formas binarias, ternarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius uſque ad bilibres quoque & centenarias, quas Heliogabalus invenit, reſolvi præcepit, neque in uſu cujuſquam verſari.* &c. Ad quem locum videſis quæ notat ὁ μέγας Salmaſius.

Qui Nummiſmata hæc Tabulis hiſce ſculpi curavit, putavit ſe heic ſub n. IX & X referre Ectypum monumenti cujuſdam Antiqui, ex terra cocta confecti, cujus ſimile vix alibi reperiretur. Vult nempe eſſe *Formam*, ſive, ut vulgo vocant, *Modulum*, aut *Matricem* cum Symbolis averſæ partis binorum nummorum, Veteribus olim in uſu ad Nummos conficiendos; in quam ſcilicet per canalem intermediam, poſtquam ſimilis forma anticæ partis, in qua Imperatoris imago expreſſa, ei juncta eſſet, metallum, ex quo nummi conflabantur, infundi ſolebat, ut typos in ea excavatos reciperet. Et ſane hujuſmodi formam, ut ita dicam, ſive modulum hunc uſum præſtare poſſe, negari non poteſt. Verum monumentum eſſe antiquum, non admitto; ſed potius puto iſtud confectum fuiſſe à recentiore quodam Artifice, ut aliis fucum faceret, in adulterinis nummis pro antiquis & genuinis ventilandis; quorum exemplum in hujuſmodi modulo expreſſit, ut ſimiles nummos, ſed ſpurios, exinde conflaret, ac rudioribus pro veris & antiquis obtruderet. Quam artem nonnullis perfamiliarem fuiſſe, ſatis notum eſt. unde & tanta copia adulterinorum numiſmatum, & ea induſtria atque arte confectorum, ut vix à legitimis, niſi ab Antiquariis valde peritis, diſcerni nonnumquam queant. Hujuſmodi itaque uſum præbuiſſe hunc modulum arbitrarer. Videmus autem ab una parte figuram muliebrem, dextra Cornucopiæ, & ſiniſtra Oleæ ramum tenentem, quæ contrario modo in Nummis ipſis ſe conſpiciendam daret, cum Inſcriptione ex literis inverſis : PAX. AETERNA. AVG. In altera par- IX. & X.

te ſimilis cernitur figura muliebris, ſiniſtra Cornucopiæ, & dextra tabulam notis diſtinctam, quam vulgo teſſeram eſſe volunt, habens, cum Inſcr. LIBERALITAS. AVGVS.

XI. Num. *Gentis Caſſiæ*, cum Inſcr. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P.P. REST. Templum *Veſtæ* rotundum, qualis eius fuit forma, in memoriam ejus CASSII, qui Veſtæ templum damnatis virginibus inceſtis purgavit, ut ſcribit Aſconius in Miloniana. De forma rotunda Templi Veſtæ Ovidius lib. III. Faſtor.

*Et quantum à ſummis tantum ſeceſſit ab imis*
*Terra, quod ut fiat, forma rotunda facit.*
*Par facies templi, nullus procurrit in illo*
*Angulus*, &c.

Litteræ A. C. in Tabella ad latus Templi poſita, notæ ſunt *Abſolutionis* & *Condemnationis*, quæ tabulis *damnatoriæ* aut *abſolutoriæ* inſcribi ſolebant. Rem declarat idem Aſconius in Divinatione, ubi ſcribit: *In Divinatione & in aliis cauſſis majoribus univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas, eaſque inſculptas litteras habentes* A. *abſolutionis*; C. *condemnationis; cum de alicujus capite agebatur.* NL. *ampliationis. his enim litteris ſignificabant Non Liquere.* Et in III. Verrina: *Nam cum condemnandi*, inquit, *nota eſſet* C. *littera: abſolvendi* A: *ampliandi ſignum* NL. *dabant, quo ſignificabant Non liquere: unde Ampliatio naſcebatur.* Nummum verò hunc primum à Q. Caſſio percuſſum, Traianus Imp. poſtea reſtituit, uti Inſcriptio docet.

XII. Num. *Gentis Horatiæ*, cum Inſcr. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. & infra ROMA. Dioſcuri ſive *Caſtor & Pollux* in albis equis, cum haſtis in dextra, & galeis in capite dimidiam ovi formam referentibus cum ſtellis in vertice. Vid. ad Tab. XLI. Num. X & XII. In antica hujus nummi

1
LEG VI

2
TI·CLAVDIVS CAESAR AVG·GERM·REST
S C

3
IMP·NERO CLAVD·CAES·AVG·GERM·PM·TR·P
S C
PROVIDENT

4
IMP·T·VESPASIAN·AVG·RESTITVIT
S C

5
IMP·DOMITIAN·CAES·AVG·RESTITVIT
S C

6
IMP NERVA CAES AVG REST
S C

7
IMP·CAESTR·AIAN·AVG·GER·PRES·T
S C
PROVIDENT·

8
SPQR
P P
OBCS

9

10
IMP XIX

11
DIVVS VESPASIANVS

12
IMVNITAS

nummi parte Caput *Romæ galeatæ* expreſſum, cum Inſcr. COCLES. Nummus iſte, qui unus tantum Horatiæ gentis reperitur, in memoriam *Horatii Coclitis*, de quo apud Livium lib. II. Dionyſium lib. IV. Valerium Max. lib. III. cap. I. primum ab aliquo ex ea gente cuſus; deinde à Traiano Imp. reſtitutus, ut ex Inſcriptione manifeſtum.

# TABVLA CXIV.

Num. *M. Antonii* III.viri; in quo *Aquila* cum *Signis Legionis Sextæ*, cum Inſcr. ANTONINVS. ET. VERVS. AVG. REST. quæ docet ab iſtis Impp. hunc nummum reſtitutum. Vid. Tab. II. Num. V. I.

Num. *Auguſti*, cum *Aquila* Orbem tenente, Conſecrationis Symbolo, à Claudio Imp. reſtitutus, ut indicat Inſcr. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. REST. Sic alium II.

Num. *Ejuſdem*, in quo *Ara* PROVIDENTIÆ Auguſti inter Divos relati, expreſſa, Nero Imp. reſtituit, cum Inſcr. IMP. NERO. CLAVD. CAES. AVG. GERM. REST. Alium quoque III.

Num. *Ejuſdem Divi Auguſti*, in quo *Aquila* cum fulmine, Imp. Titus Veſpaſianus reſtituit, cum Inſcr. IMP. T. VESPASIAN. AVG. RESTITVIT. SC. Sic alius IV.

Num. *Ejuſdem*, cum *Aquila* Orbem tenente, à Domitiano Imp. reſtitutus, cum Inſcr. IMP. DOMITIAN. CAES. AVG. RESTITVIT. SC. Idem factum in alio V.

Num. *Ejuſdem*, in quo *Aquila* itidem Orbem tenens, ab Imp. VI.

Nerva, cum Inſcr. IMP. NERVA CAES. AVG. REST. SC. Denique alium

VII. Num. *Ejuſdem*, in quo *Ara* PROVIDENTIÆ, reſtituit Imp. *Traianus* cum Inſcr. IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. P. P. REST. SC.

VIII. Num. *C. Caligulæ*, cum *Corona Querna*, ſive *Civica*, & inſcriptione adulatoria S. P. Q. R P. P. OB. C. S. *Senatus Populuſque Romanus Patri Patriæ*, *Ob Cives Servatos*, cui potius conveniret, *Peſti Patriæ*, *Ob Cives ſpoliatos*, aut *ſublatos*.

IX. Num. *Hadriani*, ſine Inſcr. In quo *Scrofa* ſive *Sus* cum ſuculis aliquot expreſſa, in opprobrium haud dubie Judæorum; ad exemplum Veſpaſiani, & Titi Impp. qui etiam Nummos cudi curarunt poſt expugnatam Hieroſolymam cum Scrofa & ſuculis. *Titi* Num. Ectypum ſupra Tab. XVI. Num. XI. exhibitum; at

X. *Veſpaſiani* cum Inſcr. IMP. XIX. heic cernere eſt. Num. X.

{XI. & XII. Repræſentat Ectypum anticæ & poſticæ partis Aurei, cum aliis novem, aut decem ejuſdem generis, quondam in agro quodam prope vicum *Voorhout* vulgo dictum, in Hollandia inter arandum reperti. Anticæ partis typus exhibet *caput Senile Laureatum*, uti Imperatores in nummis cernuntur; ſed ex Inſcriptione circa marginem, ob literas vel inverſas, vel confuſas, nihil certi haurire licet, DИIИVVDOVSИIMAV. Averſa pars *Crucem* in corona laurea habet, cum Inſcr. haud magis legibili, ΓIMVNIVIↃSVИVM. Quam tamen ſi invertas, & à poſteriori parte legas, perſpicue refert, MVNVS. DIVINVM. JESV. CHRISTI, ſi nempe literam Γ pro C accipias poſitam, rudioris illius ſæculi vitio, quo nummum cuſum apparet, ubi etiam litera M. Gothico more expreſſa. Literas anterioris partis eſt, qui diſtinguit, D. N. INV. VDOV. S. N. IM. AV. unde

ΗΡΑΚΛΕΙΟC ЄN ΧΨ ΤΥΦΨ ΠΙCΤΟC
ILLVMINA VVL=
TVM TVVM DEVS.
ΑΠΟΛΛΙΝΙC
SVPER TENEBRAS NOSTRAS MILITABIT
ΒΑCΙ ΚΑΙ ΑΥΤΟ ΡΨ ΝΙΚΙΤΗC ΚΑΙ ΝΟΤΘΕΤΗC ΑЄΙ ΑΥΤΥCΤΟC

SVPER ASPIDEM ET BASILISCVM AMBVLAVIT.
ΧΟΖΑ ЄΝ ΥΨΙCΤΙC ΧΥ̃ ΙΟ
Ο ΥΥ̃. ΟΤΙ ΧЄΙΡΓΙΖЄ. CIXI
PAC ΠΙΛΛC ΚΑΙ ΘΑЄΥΟC
ΡΥCЄ ΑΓΙΑΝ ΒΑCΙ ΗΡ=
ΑΚΛ
CONCVLCAVIT LEONEM ET DRACONEM

R.A. Persyn fe.

unde legit: *Dominus Noſter* INV*ictus* VDOV*aldes Suo Nomine* I M*perator* A V*guſtus*, & ad *Vdovaldem* refert ſextum Regem Gotthicum in Italia, qui nonnullis *Ildovaldes*, aliis *Hildebrandes* dicitur. Sed conjectura cum ſit, propius divinantibus palma adhuc in medio poſita eſt.

# TABVLA CXV.

Habes heic Ectypum Nummi ærei maximæ formæ, quem nonnulli ab Imperatore *Heraclio* cuſum volunt, cum Inſcriptione partim Græca, partim Latinâ. In cujus anteriore parte cernere eſt ipſius Heraclii Imp. effigiem, quæ ab inferiore parte Luna corniculata ſive creſcente cingitur, cum triplici corona gemmis & unionibus exornata in capite, & ſpiſſa ac oblonga barba, quam utriuſque manus digitis permulcere videtur, oculis verſus cœlum, unde radii quidam procedunt, elevatis, & verbis Latinis, quaſi ore prolatis, adſcriptis, ILLVMINA. VVLTVM. TVVM. DEVS. (reliqua eorum parte Lunæ creſcenti inſcripta) SVPER. TENEBRAS. NOSTRAS. MILITABOR. IN. GENTIBVS. Græcæ Inſcriptionis circa marginem ſenſus eſt: *Heraclius in Chriſto Deo Fidelis, Rex & Imperator Rom. Victor & Legiſlator, ſemper Auguſtus, Pacificus.* In averſa Nummi parte cernitur itidem Imp. Heraclius cum ſimili corona gemmata in capite, & oblonga toga indutus, currui, ut videtur, triumphali, aulæis & peripetaſmatis contecto inſidens, & Crucem ſiniſtra manu tenens, à triga equorum ab aurigâ cum ſcutica in dextra manu rectorum, vectus. in ſuperiori nummi parte quatuor Lampades ardentes ſuſpenſæ cernuntur. Adeſt Inſcriptio Latina circa marginem ex Pſalmo XCI. deſumpta SVPER. ASPIDEM. ET. BASILISCVM. AMBVLAVIT. ET. CONCVLCAVIT. LEONEM. ET. DRACONEM. Græcæ Inſcriptionis in medio

medio Nummi positæ sensus est. *Gloria in excelsis Christo Deo: nam confregit ferreas portas, & liberavit Sanctum Regnum Heraclii.* Ob Crucem, quam Heraclius Imp. manu gestat, referunt quidam hunc nummum ad Inventionem Crucis ab Heraclio in Perside recuperatæ, & primum Constantinopolin, deinde Hierosolymam delatæ, de qua re Suidas in Voce Ἡράκλειος, & alii, ac late Baronius in Annalibus ad An. Chr. Ⅾcxxvii. & seqq. Aliis autem verosimilius videtur Narratiunculam istam de Cruce ab Heraclio in Perside inventa, ex hujusmodi & aliis Heraclii Imp. Nummis, in quibus Cruces in alterutra parte sculptæ, ex more istorum temporum à variis Imperatoribus usurpato, primum originem traxisse. Et volunt hunc nummum pertinere ad Victoriam Heraclii Imp. quam de Cosroë Persarum rege reportavit, devicto scilicet & in fugam acto ipso Cosroë; quem fugientem ipsius filius primogenitus Syroës, eò, quod alium ex liberis successorem sibi destinaverat, assecutus, in carcere conclusum, omnique contumelia affectum necavit; & occupato Persarum regno, pacem cum Heraclio quibus voluit hic conditionibus fecit. Qua factâ, cùm vix per integrum annum ipse Syroës fuerit superstes, brevi spatio post ejus mortem regnum Persicum, quod à longo tempore Romanis adeo formidabile fuerat, penitus collapsum & desolatum est. Hoc bellum Persicum ab Heraclio gestum Theophanes, Cedrenus, aliique, & ex his Baronius in Annalibus describunt. Ad hanc itaque Victoriam de Persarum Imperio subacto pertinere volunt hunc nummum; & verba ista ex Psalmo XCI. tum quæ porro huic Nummo inscripta sunt, referenda esse ad devictum Cosroëm, & debellatum Syroëm ejus filium, ambos Persarum Reges; quo scilicet modo Imperium Romanum denuo firmiter stabilitum & confirmatum fuerit. Quæ hactenus diximus, ea ex mente quorundam doctissimorum Virorum fuere, qui Nummum hunc antiquum, genuinum, & cura Heraclii Imperatoris cusum existimant; quos inter videtur quoque esse Lipsius, qui ejus Ectypum

ad

*Tab.* CXVI.

CONGIVS.



ad Calcem Librorum à se consignatorum, De Cruce, exhibet; & præsertim in ista fuit sententia Joan. Cuspinianus. Nam in Cæsaribus in Vita Heraclii, post Victoriam ejus contra Persas descriptam, cujus memoriam in hoc Nummo exstare vult, eum pro *pulcherrimo & vetustissimo* habet. Verum, ut dicam, quod res est, mihi cum multis aliis haud adeo obesæ naris Antiquariis, Nummus iste merito suspectus est, ut qui dubiæ omnino sit fidei, factitius, & posterioris denique ævi artificis cujusdam manum sapiat. Quod satis manifestum, cum ex magnitudine & circumstantiis Rei gestæ, quam designare vult, tum præsertim ex schemate ipso & modo, quo omnia in eo repræsentantur; ut nihil dicam de insolita ista in utraque lingua addita Inscriptione, quæ cultius sane sæculum, quam fuit Heraclii Imp. prodit, & de Nummi falsitate dubium nullum relinquit.

# TABVLA CXVI.

Hac Tabula expressa est figura Congii Romani; qui hodie adhuc Romæ exstat in ædibus Farnesianis, ex ære confectus, altitudine pedem Romanum adæquans, & vulgo *Congius Vespasiani* dicitur, ob Inscriptionem quæ constat ex litteris argenteis in æs ipsum insitis, & hujusmodi est:

IMP. CAESARE
VESPAS. VI. COS.
T. CAES. AVG. F. IIII
MENSVRAE.
EXACTAE. IN
CAPITOLIO
P-X

quâ indicatur Congium, si liquore compleatur, capacem fuisse *decem pondo*, sive librarum Rom. decem; adeoque æqualem sex sextariis. *Sextarius* autem, ut scribit Galenus lib. I. de compositione. Medicam. ἔχει μίαν λίτραν καὶ ἡμίσειαν καὶ ἕκτον, ὡς εἶναι τὰς πάσας ὀγγίας κ'. *continet unam libram & semis, & sextantem sive duas uncias; adeo, ut in totum contineat uncias viginti*, sive, ut scribit Oribasius lib. II ad Eustathium filium, Sextarius æqualis est Libræ Romanæ, & octo unciis. Ἰταλικὸν κεράμιον ἔχει ξέστας μή. ξέστης λίτραν μίαν καὶ ὀγγίας ή. *Italica Amphora continet Sextarios quadraginta octo; & Sextarius Libram unam, & octo uncias.* Capacitas itaque hujus Congii si compleatur liquore aliquo sex Sextariorum, continebit decem Libras Romani ponderis. Difficultas tantum in eo sita est, quo liquore replenda sit; omnes enim liquores non unius ejusdemque, sed alii gravioris, alii levioris sunt ponderis; uti præter alios bene monet Rhemnius Fannius De Ponderib. & Mensur. ubi ait:

*Illud præterea tecum cohibere memento,*
*Finitum pondus varios servare liquores.*
*Nam Libræ, nt memorant, bessem Sextarius addet,*
*Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.*

Sextarium ait Fannius continere unam Libram & octo uncias, sive pendamus aquam puram, sive vinum. ubi per vinum secundum G. Agricolam lib. III de Pondere Rerum, intelligendum *vinum fulvum*, quale Græcis πυῤῥὸν dicitur; potius caperem de vino, quod Galenus λευκὸν καὶ ὀλιγόφορον vocat. Cum Sextarius itaque pendat unam Libram & octo uncias aquæ puræ, aut vini; & sex sextarii constituant *Congium*, hinc manifestum, Congium continere decem Libras æquæ puræ, aut vini. Idque apparet etiam ex Plebiscito duorum Siliorum, Publii & Marii, quod reperitur in melioribus Codicibus Sext. Pompeii Festi de Verb. Signif.

VT.

VT. QVADRANTAL. VINI. OCTOGINTA. PONDO. SIET
CONGIVS. VINI. DECEM. IS. SIET
SEX. SEXTARII. CONGIVS. SIET. VINI
DVO. DE. QVINQVAGINTA. SEXTARII. QVADRANTAL. SIET. VINI
SEXTARIVS. ÆQVVS. ÆQVO. QVOD. CVM. LIBRARIO. SIET

Idem confirmatur à Dioſcoride in Fragmentis, qui ad majorem certitudinem addit, quo genere aquarum menſura iſta fieri debeat, ſcilicet aquâ pluviæ, quam minus omnium fallacem eſſe ait: Verba ejus: Ὁ χοῦς τετέσι κόγλιον ἔχει λι. ί. τὸ ἡμικόγλιον ἔχει λι. έ. ὁ ξέσης ἔχει λίτραν μίαν Ϛ ὐγίας ἡ &c. ὁ αὐτὸς ὃ σαθμός ἐστι Ϛ ὕδατος Ϛ ὄξους. φασὶ δ' ὁμβείου ὕδατος πληρωθῆναι ἀψυδέσατον εἶναι τὸν σαθμὸν. ἄγειν δ' ὁλκὰς ψκ' τὸν χοῦν. *Chus, id eſt Congius, continet decem libras; Semicongius quinque; Sextarius unam libram & octo uncias.* &c. *Pondus autem aquæ & aceti idem eſt. Ajunt, ſi aquâ pluviæ impleatur, pondus longe certius eſſe. & congium continere ſeptingentas & viginti drachmas.* Idem confirmat Anonymus Græcus, perperam in Editione Veneta Aldina *Galeni* operibus inſertus: Παρὰ δὲ τοῖς Ἰταλοῖς εὑρίσκε) ὁ χοῦς, μέτρῳ μὲν ἔχων ξ. ς', κοτύλας ιβ'. σαθμὸν δὲ ὕδατος ὁμβείου, ὅπερ ἐστὶν ἀψυδέσατον, δραχμὰς ψκ'. *Inter Romanas menſuras reperitur Congius, menſurâ continens ſex ſextarios, duodecim Cotylas; pondus vero aquæ pluviæ, quod errori minime obnoxium, ſeptingentarum & viginti drachmarum.* Quando autem Dioſcorides alicubi in Fragmentis ſcribit: τὸ κόγλιον ἔχει λίτρας θ'. τὸ ἡμικόγλιον λι. δ'S. ὁ ξέσης ἔχει λι. άS. *Congius continet novem libras, ſemicongius quatuor & ſemis, Sextarius ſeſqui libram.* Quamvis prima fronte videatur quædam eſſe pugna cum iis, quæ prius dixerat; nulla tamen revera eſt. Nam poſtremo loco loquitur de Congio repleto oleo; priori verò de eodem Congio aquâ aut vino repleto. Nec magis rationi adverſatur, Congium continere olei libras no-

vem, & decem libras aquæ aut vini, quam naturæ repugnat oleum aquâ & vino levius esse. Quod omnium accuratissime demonstravit Ghetaldus in suo *Archimede Promoto*, esse in proportione ad aquam, ut 1 est ad $1\frac{1}{11}$; in proportione vero ad vinum, ut est 1 ad $1\frac{4}{55}$. Quæ fere eadem est cum illa Dioscoridis. Cæterum aqua ista debet esse naturalis, aut putealis, aut pluvialis, non vero ex istis artificialibus, quas *distillatas* vulgo vocare solent. Nam perinde ut vinum factitium omni nativo est levius, sic aquæ ferè omnes, quæ ignis calore rebus quibuscunque excoctis destillarint, quas ob id distillatas appellant, cæteris aquis leviores sunt, ut bene observat Agricola lib. III. de Pondere Rerum. Subjungam heic unam, vel alteram Observationem, qua Viri harum rerum callentissimi hunc Vespasiani Congium olim Romæ aqua puteali mensurati sunt. Quas inter primus est Luc. Pætus, qui lib. III. De Antiq. Liquidor. Aridorumque Mensuris hac de re ita scribit: *Plenum, cum justissima trutina, qua hodie Romæ utimur cum appendissem* (Congium), *inveni aquam, quâ eum compleveram, libras nostri temporis novem, uncias sex semis efficere; quibus uncias quinque, drachmas quatuor, scripulum unum, & grana quatuordecim (quæ amplius sunt in his nostris, quam in antiquis libris, computando eum Congium libras decem) & ultra scripulum unum, & grana quatuordecim (de quibus nullam rationem habendam esse judicavi) ex antiquis libris pendere inveni.* Longo tempore post Pætum idem experimentum in eodem Congio denuo Romæ fecit J. B. Villalpandus, cum Pæti observationem suspectam haberet, ob Romanam illam recentem trutinam, qua Pætus usus, & quam quisque ad quam vellet opinionem facile accommodare posset. Ideo ipse Villalpandus exquisita bilance, & summa cautione adhibita iterum capacitatem hujus Congii dimensus est, cujus exactam & amplam descriptionem posteris reliquit lib. II. Disp. II. cap. XI. De Apparatu Urbis & Templi, cum ejusdem & Hieronymi Pradi Commentariis in Ezechielem Romæ edito. Reperit autem

autem Congium hunc exacte continere aquæ puriſſimæ, è limpidiſſima ciſternâ hauſtæ, Libras ejuſmodi Decem, quales hodieque Romæ in uſu ſunt. Unde hiſce verbis hanc Obſervationem concludit: *Itaque conſtanter*, inquit, *aſſerimus, antiquam Romanorum libram, unciam, ac pondera tot ætatum ſucceſſione, ac Romani Imperii perturbationibus minime immutata fuiſſe, ſed eadem per manus tradita uſque ad noſtra tempora perduraſſe.* Poſt Pætum & Villalpandum idem experimentum adhuc tentavit Petr. Gaſſendus, non quidem in hoc ipſo Congio, ſed in modulo quodam ad ejuſdem capacitatem accurate elaborato, quem Vir ſuæ ætatis ſummus Nic. Fabricius Peireskius, Senator Aquenſis, Româ Aquas Sextias deferendum curaverat; ubi experimentum iſtud à Gaſſendo poſt Peireskii obitum in pondere Pariſienſi factum; quod lib. II. De Vita Peireskii hiſce verbis deſcribit: *Vt paucis ergo*, inquit, *res dicatur, cautiones adhibuimus eaſdem, quas Lucas Pætus, & Villalpandus, dum Vas ipſum ad ſummum collum puteali aquâ oppleviſſet, expendimus, vaſis pondus ſubduximus. Deprehendimus autem aquam, quæ Romano pondere eſſe debuit decem librarum, ſeu unciarum centum viginti, eſſe pondere Pariſienſi (quale nempe Pariſiis exploratum, miſſumque eſt) librarum ſeptem, minus unciæ quadrante: ſeu unciarum centum undecim, & quadrantum unciæ trium. Deinde ex hac proportione collegimus unciam Romanam continere grana quingenta & triginta ſex, qualium quingenta ſeptuaginta ſex in Pariſienſi continentur: unde & illis in drachmas collectis, obvenere cuilibet drachmæ grana ſexaginta ſeptem.* &c. Cæterum iſtud quoque monendum duxi, Congii figuram in hac Tabula expreſſam eſſe ad eum modum, quo exſtat in Corpore Inſcriptionum Antiquarum Gruteriano, pag. 223. quæ præterquam quod in minorem multo formam contracta, haud adeo accurata eſt; ſi quis verò Ejuſdem Congii Veſpaſiani exactam, omnibuſque ſuis numeris abſolutam figuram videre deſideret, is adeat J. B. Villalpandum de Apparatu Urbis & Templi, ubi ad calcem ejus operis Formam iſtius

Congii eadem magnitudine qua exſtat, tam internam quam externam accurate in æs incidi, excudique curavit ; unde etiam conſtare poterit, qua magnitudine fuerit Pes Romanus antiquus; Congii enim altitudo hunc exacte refert.

# TABVLA CXVII.

Vides hac Tabula figuram exactam *Siſtri Ægyptiaci*; quale Romæ exſtat in Muſæo Franciſci Gualdi, eſtque confectum ex ærea lamina incurvata, cum manubrio, ita ut non male videatur referre inſtrumentum iſtud, quo hodie in Sphæriſterio pilas propellere ſolent, niſi quod pro reti, tres virgulas æneas trajectas per laminam habeat; quibus concuſſis ſonus edebatur argutus. Nec male hæc figura convenit cum Deſcriptione, quam Appuleius lib. XI. Metamorph. de Siſtro habet : *Dextra quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum ſonorem.* Crepitaculum id appellat Appuleius, ob ſonum argutum, tinnitumque, & crepitum, quem vibratum & pulſatum Siſtrum edebat. Hinc Martialis in Apophoretris, ubi Lemma :

CREPITACVLVM.

*Si quis plorator collo tibi vernula pendet,*
*Hæc quatiat tenerâ garrula Siſtra manu.*

Et ante eum Propertius lib. III. Eleg. IX.

*Romanamque tubam crepitanti pellere Siſtro.*

Nec non Ovidius :

—— *crepuit ſonabile Siſtrum.*

In

T. CXVII.

SISTRVM.



Tab. CXVIII.
H. Bary fe.

In vertice Siſtri, vides heic animal quoddam facie humanâ collocatum, quod felem eſſe, docet Plutarchus in de Iſide & Oſiride, ubi ſcribit: Τῇ ὃ ἀψῖδι ⸗ σείρεσ κ᾽ κορυφὴν ἐνθερυβώσιν ἄιλυρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχουσι. *Curvamini ſiſtri autem in vertice infigunt felem humana facie.* Additque per felem Lunam repræſentari, ob animalis iſtius varietatem, ac vim noctu agendi & fæcunditatem; vel potius, quod felis oculorum pupillæ impleri dilatarique videntur ſub plenilunium, & Lunæ lumine decreſcente attenuari atque langueſcere; humanâ autem felis facie innui, Lunæ mutationes mente ac ratione gubernari. τῷ ὃ ἀνθρωπομόρφῳ ⸗ αἰλύρου τὸ νοερὸν & λογικὸν ἐμφαίνε᾽ τῶν περὶ τὴν σελήνην μεταβολῶν ſunt verba Plutarchi. Cæterum de Siſtro, ejuſque apud Veteres uſu plura qui deſiderat, adire poteſt Hieronymi Boſſii Libellum, cui titulus *Iſiacus De Siſtro;* editum Mediolani An. cIↃIↃcxII. in quo omnia plene pertractata inveniet.

# TABVLA CXVIII.

Hæc Tabula exhibet Symbolicam figuram *Nili*, celeberrimi Ægypti fluvii, quæ exſtat Romæ in Vaticano, lapidi quadrato inciſam, quemadmodum Veteribus repræſentari ſolebat. Vides autem heic ſtatuam virilem, nudam, Coloſſeæ quaſi magnitudinis, membrisque ſatis toroſis expreſſam, jacentem ſuper ſtragulam; dextrâ, qua papyri volumen tenet, ſuper dextrum genu quieſcente, & ſiniſtrâ, quæ Sphingi incumbit, Cornucopiæ tenentem. Circa & ſuper corpus ejus vides varios infantes, ſive puerulos nudos numero ſex & decem, quaſi colludentes, & ſingulos alios atque alios corpuſculi ſui motus & geſtus edentes. Infra eum in aquâ, quæ profluere videtur ex Sphinge ſub ſiniſtro brachio, & flumine ſuo lapidis marginem circumambire cernitur Crocodilus & Papyrus creſcens. In ſuperficie vero æquæ marginem

ginem circumfluentis, in qua paſſim Iuncus, Papyrus, flos Loti, aliaque floſculorum & herbarum genera, vides Hippopotamos, Crocodilos, Cymbas cum nudis hominibus, Vaccas, Canes, Ichneumonem, Ibin, & Trochilum; Quæ omnia Nili proprietates, Ægyptii ſoli fertilitatem & Abundantiam deſignant. Per Infantes vero iſtos, ſive pueros circa & ſuper Nili corpus hærentes, aut ſalientes, cubitorum menſuræ denotantur, quibus Nili incrementum Ægyptiis indicabatur. Solebant nempe Ægyptii, quando Nilus ex alveo ſuo profuſus ſingulis annis Ægyptum inundaret, ex numero cubitorum, quouſque aſcenderet, de ſterilitate aut fertilitate agrorum proventus iſtius anni judicare. Si enim Nili incrementum infra duodecim cubitos deſideret, ſignum iſtud erat, ſterilem futurum annum; ſi vero ad duodecim, & ultra uſque ad quindecim aut ſedecim Cubitos attingeret, tum lætas ſegetes, & annum fertilem exſpectabant. Cum autem Nili incrementum ſedecim cubitos excederet, utique & tum ſterilitatem inducebat, eò quod aqua nimium luxurians præter modum agros diutius humectaret, adeoque eorum culturam impediret. Hæc ſedecim cubitorum menſura per ſedecim hoſce infantes deſignatur. ut teſtis eſt Plinius lib. XXXVI. cap. VII. ubi Lapidis hujus meminit, olim in templo Pacis à Veſpaſiano Auguſto dicati. *Invenit eadem Ægyptus*, inquit, *in Æthiopia, quem vocant Baſaltem ferrei coloris atque duritiæ: unde & ei nomen dedit. Nunquam hic major repertus eſt, quam in templo Pacis ab Imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus: argumento Nili ſexdecim liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.* Cum hac vero Nili imagine convenit fere illa, quam Philoſtratus Junior Iconum Libro I. de Nilo depingit hiſce verbis: Περὶ τὸν Νεῖλον οἱ πήχεις ἀθύρουσι παιδία, ξύμμετρα τὰ ὀνόματα. &c. *Cubiti circa Nilum ludunt pueri, corporis quantitati cognomines: quibus Nilus ſummopere oblectatur, cum ob alia, tum vel maxime, quod ipſum quantum Ægyptiis profuſus ſit, enuncient. Procedunt igitur, & velut*

ex

*ex ipsa aqua molles ac ridentes progrediuntur infantes. Participes autem esse & sermonis existimo. Hi quidem ipsius humeris insident, hi à cincinnis suspenduntur, nonnulli in ulna dormiunt, alii in pectore petulanter saliunt.* &c. Cæterum de incremento Nili, & quousque augeri debeat, ut Ægyptum fœcundet, ita Plinius lib. V. cap. IX. *Auctus ejus per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Iustum incrementum est cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ serendi tempora absumunt solo madente: illæ non dant sitiente. Vtrunque reputat provincia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esurit; quatuordecim cubita hilaritatem adferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias.* &c. Idem lib. XVIII. cap. XVIII. *Si duodecim cubita non excesserit, fames certa est, nec minus, si sexdecim exsuperavit. Tanto enim tardius decedit, quanto abundantius crevit, & sementem arcet.* Sic quoque Ammianus Marcellinus lib. XXII. *Abunde luxurians ita est noxius, ut infructuosus, si venerit parcior: gurgitum enim nimietate humectans diutius terras, culturas moratur agrorum: parvitate autem minatur steriles segetes: eumque nemo aliquando extolli cubitis altius XVI. possessor optavit: & si inciderint moderatius, aliquoties jactæ sementes, in loco pinguis cespitis cum augmento fere septuagesimo enascuntur.* Haud semper tamen aut singulis annis Nili exundationem pro majoris vel minoris incrementi ratione, eandem aut fertilitatem aut sterilitatem attulisse, haurire licet ex verbis Strabonis lib. XVII. Geograph. ubi scribit: Ἐπὶ γοῦν τῶν πρὸ Πετρωνίου χρόνων ἡ μεγίστη μὲν ἦν φορὰ καὶ ἀνάβασις, ἡνίκα ἐπὶ τεσσαρεσκαίδεκα πήχεις ἀνέβαινεν ὁ Νεῖλος· ἡνίκα δὲ ἐπ' ὀκτὼ, συνέβαινε λιμός. ἐπ' ἐκείνου δὲ ἄρξαντος τῆς χώρας, καὶ δώδεκα μόνον πληρώσαντος πήχεις τοῦ Νείλου μέτρου, μεγίστη ἦν ἡ φορά. καὶ ὀκτώ ποτε μόνον πληρώσαντος, λιμοῦ οὐδεὶς ἤσθετο. *Sane ante Petronii* (qui Ælio Gallo successit, fuitque secundus præfectus Augustalis, ut notat J. Casaubonus) *tempora tunc maxima fertilitas erat, cum Nilus ad quartum*

*ac decimum cubitum excreſcebat : cum vero ad octavum modo adſurgeret, fames & penuria eveniebat. At vero illo regioni præfecto, cum duodecimum cubitum tantum Nilus impleſſet, maxima fuit frugum Vbertas : & cum octavum aliquando attigiſſet, famem nemo ſenſit.* Sed manum de tabula.

FINIS.

# INDEX AVCTORVM, VETERVM & RECENTIORVM,

*Qui in hiſce Commentariis citantur, illuſtrantur, emendantur, aut notantur.*


A.

Accius 189
Achilles Tatius 153. 302
Acron 201. 328 491
Ælianus 132. 147. 428
Æneas Vicus 77. 82
Agatharchides 147
Agrætius 332
Agricola *Georg.* 562
Albricus 174. 191. 192. 224 227. 231. 234. 247. 283. 286 315. 365
Altercatio Hadriani Imp. & Epicteti 295
D. Ambroſius 142. 259. 281 282. 336. 337. 404
Ammianus Marcellinus 70 71. 72. 152. 153. 170. 211 214. 222. 317. 345. 448. 524 525. 569
Angellonius Fr. 175
Anonymus Græcus, Galeni operibus inſertus 563
Anthologia Epigrammatum Græcor. 137. 267. 381
Apollodorus 307
Appianus Alexandrinus 10 125. 168. 228. 285. 407. 438 474. 479. 540. 543
Appuleius 142. 146. 159. 160 202. 207. 225. 256. 265. 281 286. 294. 312. 336. 375. 566
Ariſtides 346. 389. 413. 427
Ariſtoteles 153
Arnobius 181. 182. 200. 207 224. 226. 243. 245. 248. 251 286. 307. 320
Arrianus 226. 338. 445. 530
Artemidorus 203. 282. 283 506.
Aſconius Pedianus 527. 528. 556
Aſtrampſychus 203
Athenæus 151. 237. 289
Athenagoras 389
Auctor ad Herennium 549
Auctor Carminis de Phœnice 514. 515
Auctor Macchabæorum 13
Auctor Monumentorum Paderbornenſium 114
Auctor Panegyrici Conſtantino dicti 64
Auctor Panegyrici V. 68
D. Auguſtinus 161. 243. 245 246. 247. 281. 308. 309. 332 338. 432
Auguſtinus *Anton.* 77. 98. 133 135. 136. 141. 171. 385. 396
Auguſtus Imp. 399.
M. Aurelius Imp. 202. 392
Auſonius. 147. 212. 243. 244 245

B.

Baronius Cardin. 4. 67. 71 270. 463. 560
Bartholinus *Thom.* 460
Baſilius Magnus 172. 405
Bochartus 5. 118. 141. 153. 189
Boſius 377
Boſſius *Hieron.* 567
Bulengerus *Jul. Cæſ.* 461. 502
Busbequius *Aug.* 191

C.

Ælius Rhodiginus 290
Callimachus 177
Calpurnius Baſſus 189
Camdenus *Guil.* 120. 471
Capitolinus 23. 24. 26. 30. 31 34. 35. 36. 37. 38. 84. 91 106. 112. 125. 130. 154. 181 182. 211. 281. 339. 342. 353 380. 392. 393. 394. 401. 409 434. 443. 445. 446. 452. 485 497. 503. 504. 519. 520
Caſaubonus *Iſaac.* 183. 550. 569
Caſſiodorus, *M. Aurel.* 238 297. 480. 496
Cato 307
Catullus 244. 355
Cedrenus 69. 100. 106. 373
Cenſorinus 212. 496
Chifletius *Th.* 13
Choulius *Guil.* 162
Chronicon Alexandrinum 370
Chryſologus *Petr.* 431
Cicero 181. 192. 210. 211 212. 217. 251. 255. 256. 272 274. 277. 298. 305. 332. 338 422. 438. 478. 525. 527. 536 540. 549. 550. 552
Claudianus 96. 126. 133. 135 138. 175. 176. 184. 185. 248 300. 306. 317. 326. 356. 374 449. 468
Claudius Imp. 382
Cluverius Phil. 533
Codex Theodoſianus. 245.
Codinus *Georg.* 159. 173. 200 218. 225. 314. 355. 356
Conſtantinus Manaſſis
Conſtantinus Porphyrogenneta 68
Corippus. 127. 189. 383. 451
Cornutus, ſive Vet. Com. in Perſium 231. 356
Cuſpinianus *Joan.* 561
Cyprianus, Martyr. 222. 428
Cyrillus Alexandrinus 547

D.

DAmascius 359
Dio Cassius 3. 4. 7. 17. 18 19. 21. 80. 83. 92. 93. 59. 97 103. 104. 107. 110 119. 122 134. 137. 148. 158. 166. 168 169. 179. 180. 169. 214. 285 293. 318. 325. 360. 361. 388 394. 395. 396. 407. 410. 417 438. 450. 453. 457. 462. 464 465. 470. 472. 478. 479. 481 484. 490. 500. 502. 503. 504 505. 510. 517. 526. 528. 529 530. 531. 532. 537. 541
Dio Chrysostomus 326. 327
Diodorus Siculus 121. 147 153. 171. 219. 264. 266. 267 402
Dionysius Halicarnasseus 164 165. 171. 202. 204. 207. 227 241. 251. 259. 260. 261. 278 279. 280. 467. 484. 548. 549 557
Dioscorides 563
Donatus 277

E.

ENnius 160. 211
S. Ephrem 335
Epiphanius 404
Epitome Livii 122
Erasmus Roterod. *Desider.* 349
Erizzus *Steph.* 82
Etymologicum Magnum 232 313
D. Eucherius 436
Euripides 250. 336. 412
Eusebius Cæsarienſis 55. 85 98. 165. 183. 226. 238. 273 281. 304. 388. 463. 499. 508 522. 523
Eustathius 140. 141. 250. 263 297
Eutropius 18. 19. 20. 42. 61 63. 64. 67. 104. 105. 362 388. 441. 503

F.

FAbius Pictor. 256
Ferrarius *Octav.* 462
Festus Pompeius 192. 202. 224 240. 246. 252. 259. 262. 275 307. 332. 388. 460. 464. 540 541. 546. 547. 562
Firmicus *Iul.* Astron. 67. 270
Firmicus *Iul.* de Error. Profan. Relig. 82
Florentius Wigornienſis 238
Florus 134. 135. 254. 454
Fragmentum Ancyranum 21 191. 399
Freymonius *Ioan Wolfg.* 426
Fulgentius Placiades 171. 172 174. 189. 224. 243. 247. 272 282. 295. 311. 312
Fullerus *Nicol.* 183

G.

GAlenus Pergamen. 175 320. 531. 562
Galerius Maximus 426
Gassendus *Petr.* 565
Gellius *Aulus* 170. 251. 256 307. 319. 525. 540
Gevartius *Cass.* 77. 80. 81. 82
Ghetaldus 564
Gillius *Petr.* 373
Glossæ Veteres 167
Goltzius *Hubert.* 78. 79. 83. 150 238
Gothofredus *Iac.* 397. 551
Grævius *Io. Georg.* 90. 163
Grandis *Io. Franc.* 218
Gratius 99

H.

HEliodorus 513
Helvius Cinna 281
Hemelarius 81. 101. 111. 238
Herodianus 28. 29. 30. 32. 142 182. 281. 342. 386. 394. 397 431. 504. 505. 537
Herodotus 147. 153. 267. 419
Hesychius 282
D. Hieronymus 91. 151. 238 256. 298. 412
Hirtius 513
Homerus 170. 177. 210
Horatius 96. 169. 177. 201 209. 210. 213. 280. 328. 332 344. 433. 459. 491. 549. 550
Horus Apollo 514 *Vid.* Orus.
Hygenus 154
Hyginus 160. 166. 169. 189 336. 366. 419

I.

IDatius 63
Inscriptiones Veteres 22. 164 191. 193. 194. 213. 215. 217 220. 221. 227. 232. 239. 240 241. 247. 265. 269. 296. 317 322. 328. 354. 401. 409. 514 521. 533. 561
Iosephus *Flav.* 88. 326. 379 386. 470
Isidorus Hispalenſis 77. 79. 224 278. 267. 460
Iulianus Aurelius. 290.
Iulianus Imp. 72. 188. 219.
Iulius Cæsar. 116. 133. 356
Iulius Obsequens 262. 464
Iustinus 141. 150
Iuvenalis 11. 13. 110. 147. 334 384

L.

LAbeo Antistius 259
Lactantius 320. 541
Lactantius Scholiastes Statii Papinii 156
Lambecius 174
Lambinus *Dionys.* 212
Lampridius 25. 31. 35. 145. 162 182. 183. 213. 222. 234. 235 236. 237. 330. 341. 355. 384 391. 392. 394. 410. 447. 477 482. 509. 520. 525. 534. 537 555
Latinus Pacatus 336. 374
Libanius 300. 348. 361. 366
Liber Psalmorum 383
Lindenbrogius *Henr.* 212
Lipsius 67. 133. 167. 191. 212 251. 262. 263. 438. 499. 501 526. 560
Livinæus 67
Livii Epitome 122
Livius 164. 165. 166. 171. 198 201. 260. 271. 273. 275. 278 316. 330. 332. 333. 364. 365 422. 424. 444. 460. 461. 487 489. 527. 529. 530. 543

Lucanus 105. 138. 221. 259 263. 336. 450. 546. 547. 548 551. 553
Lucianus 177. 208. 209. 227 286. 287. 288. 293. 294. 419
Lucretius 175. 242. 244. 246 283. 284. 291
Lutatius, *sive* Lactantius 156 297. 311

M.

MAcrobius 75. 199. 200 206. 210. 215. 218. 233 247. 266. 299. 308. 309. 328 420. 536
Manilius 5. 189. 538
Marcellinus Comes 327
Marcus Aurelius Imp. 202. 392
Marianus 238
Martianus Capella 172. 186 187. 218. 220. 277
Martialis 14. 105. 135. 233 234. 316. 326. 328. 336. 477 538. 544. 566
Merula *Paul.* 212
Meurſius *Jo.* 313
Minucius Felix. 156. 202. 269 298. 299. 300
Monumenta Paderbornenſia 114
Moriſotus *Cl.* 150

N.

NAzarius 113. 348
Nicander 138
Nicephorus Calliſtus 463 525
Nigidius Figulus 200
Nonnius *Ludov.* 78. 80. 143
Nonnus Panopolitanus 218 219. 291. 292. 301
Notitia Imperii Utriusque 101. 358. 371

O

OBſequens *Iul.* 262. 464
Occo *Adolph.* 237
Onuphrius Panuinius 41. 158
Oppianus 297
Optatianus Porphyrius 345
Oribaſius 562
Oroſius 134. 347. 348. 418
Orpheus 186. 306
Ortelius *Abrah.* 100. 113. 238 239
Orus Apollo, *Vid.* Horus. 349
Ovidius 17. 108. 156. 169 176. 177. 189. 190. 193. 195 196. 197. 198. 231. 240. 245 246. 251. 254. 272. 273. 276 277. 286. 296. 300. 302. 304 305. 306. 307. 311. 314. 333 336. 374. 385. 389. 406. 431 459. 487. 489. 518. 544. 545 550. 556. 566

P.

PÆtus *Luc.* 564
Palæphatus 173
Panegyricus Maximiano & Conſtantino dictus 511
Panuinius *Onuphr.* 41. 158. 481 482. 492
Papinius Statius 18. 104. 243 263. 269
Paullus Warnefridus 372
Paſſio S. Cypriani 426
Patinus *Carol.* 150. 162. 228 264. 298. 455. 536
Pauſanias 106. 157. 216. 273 276. 282. 315. 323. 324. 381 407. 411. 412. 419. 420. 486
Perſius 442. 550
Petronius 256
Phædrus 539
Phavorinus 282
Philaſtrius 281
Philo Judæus 398. 405. 414
Philoſtorgius 148. 152. 176 181. 281. 316. 568
Philoſtratus 152. 176. 181 281. 316
Philoſtratus Iunior. 568
Photius 147. 182. 359
Phurnutus 165. 231. 242. 243 244. 251. 273. 282. 283. 284 298. 301. 302. 303. 304. 305 309
Pierius Valerianus 79. 428. 468
Pignorius *Laur.* 219. 270. 371
Pindarus 161
Piſo *Ant.* 308
Plato 250
Plautus 322
Plinius *Major* 88. 118. 122. 132 147. 152. 153. 157. 158. 176 205. 228. 229. 266. 277. 294 295. 303. 308. 315. 333. 338 414. 436. 458. 459. 462. 468 476. 497. 526. 527. 529. 549 568. 569
Plinius *Iunior.* 46. 401. 449 469. 482. 512
Plutarchus 198. 202. 219. 222 229. 230. 253. 255. 260. 263 265. 268. 269. 273. 323. 488 546. 548. 552. 553. 567
Politianus *Angel.* 428
Polybius 387
Pompeius Poëta Gr. 381
Pomponius Mela 84
Porphyrio 169. 489
Porphyrius 165. 183. 281. 304 487
Propertius 178. 179. 180. 181 241. 274. 422. 566
Proſper Aquitanicus 347
Prudentius 186. 188. 203. 214 221. 248. 256. 259. 260. 295 316. 320. 346. 476. 506. 507 542

R.

REgino 372
Rhemnius Fannius 562
Rubenius *Albert.* 5. 8. 78. 79 80 81. 82. 85. 90. 99. 119. 127 136. 151. 163. 174. 203. 249 273. 308. 329. 357. 358. 388 416. 428. 462. 468. 471. 497 502
Rubenius *Phil.* 541
Rufinus 216
Rufus *Sext.* 227. 273
Rupertus *C. Ad.* 41
Rutilius 334
Rycquius *Iac.* 221. 311

S.

SAlluſtius 75
Salmaſius 44. 45. 53. 185 282. 397. 462. 551. 555
Salvianus 206. 250. 281

Scaliger *Ioseph.* 65. 151. 158 186. 234. 299. 306
Scholiastes Juvenalis 533
Schottus *Andr.* 191. 469
Sedulius 221
Seguinus *Petr.* 228
Seldenus 319
Seneca Philosoph. 9. 165. 201 319
Seneca Tragicus 186. 322. 334
Septimius 199
Servius 5. 95. 200. 203. 211 221. 222. 242. 245. 252. 278 311. 530. 538. 539
Severus *Corn.* 407
Sextus Rufus 278
Sextus Aur. Victor *Schotti* 25 40. 41. 43. 44. 63. 64. 182
Siculus Flaccus 202
Sidonius Apollinaris 127. 208
Sigebertus 347
Silius Italicus 133. 141. 279 407. 553
Sirmondus 238
Socrates 223. 463
Solinus 149. 153. 406
Sozomenus 220. 378. 463
Sophocles 436
Spanhemius *Ezechiel* 4. 9. 13 17. 22. 40. 41. 45. 46. 76. 80 114. 118. 142. 148. 397. 421 499. 509. 537. 551
Spartianus 5. 19. 20. 27. 28. 29 74. 76. 88. 96. 101. 102. 111 117. 133. 139. 143. 144. 145 151. 157. 216. 281. 329. 340 379. 380. 387. 392. 397. 401 415. 441. 503. 529. 546
Statius Papinius 18. 104. 243 292. 329. 335. 419. 435. 485 506. 511. 518. 538
Stephanus Byzantinus 68. 140 151
Strabo 121. 122. 132. 135. 144 145. 147. 245. 248. 280. 569
Suetonius 3. 4. 6. 8. 9. 10. 11 12. 13. 14. 15. 17. 20. 85. 90 92. 105. 109. 110. 115. 119 132. 147. 148. 156. 157. 158 160. 167. 170. 179. 180. 195 205. 253. 254. 293. 304 312. 318. 328. 330. 343. 354 360. 361. 362. 363. 386. 395 399. 438. 439. 442. 450. 451 452. 453. 454. 457. 469. 475 476. 479. 481. 482. 484. 485 486. 487. 488. 489. 490. 492 500. 501. 517. 518. 523. 532 545
Suidas 216. 271. 377. 403. 560
Symmachus 214. 364

## T.

TAbula Peutingeriana 371
Tacitus 9. 15. 21. 108. 122 150. 154. 160. 161. 304. 316 319. 326. 352. 395. 399. 440 449. 450. 454. 461. 467. 476 479. 481. 487. 490. 491. 500 510. 520. 526
Terentius Afer 277
Terentianus Maurus 199
Tertullianus 142. 212. 281. 282 334. 352. 388. 462. 467
Themistius 180. 369
Theodoretus 232.
Theophrastus 88
Thomasinus *Ioan. Philip.* 469
Thucydides 157
Tibullus 202. 352
C. Titius 233
Torrentius *Lævin.* 132. 328
Trebellius Pollio 43. 45. 47. 48 49. 50. 52. 53. 54. 117. 174 175. 232. 281. 337. 382. 418
Tristanus *Ioan.* 77. 87. 175 240
Turnebus 212

## V.

VAlerius Cato 226
Valerius Flaccus 270. 449
Valerius Maximus 149. 228. 229 262. 364. 407. 483. 489. 557
Valesius *Henr.* 41. 397. 499. 522
Valtrinus *Ioan. Ant.* 461
Varro 140. 171. 205. 220. 240 243. 276. 278. 307. 527. 544
Vegetius 445
Velleius Paterculus 122. 125 134. 135. 360. 407. 543. 553
Velserus *Marc.* 114. 371. 410
Villalpandus *I. B.* 564. 565
Vives *Ludov.* 208
Victor *Publ.* 158. 164. 165. 201 205. 216. 276. 278. 310. 424 525. 529
Victor (*Sext. Aurel.*) Schotti 25. 40. 41. 43. 44. 63. 64. 182
Victor Vulgat. 42. 43. 46. 55 61. 64. 68. 70. 182. 223. 354
Victor Uticensis 281
Virgilius 95. 121. 123. 129. 140 141. 142. 169. 171. 176. 178 181. 187. 206. 227. 231. 245 246. 256. 272. 274. 276. 278 279. 296. 304. 331. 334. 344 387. 408. 421. 435. 436. 463 473. 478. 483. 517. 520. 535 542. 543. 544
Ulpianus 281
Vopiscus 47. 56. 58. 59. 127 151. 187. 188. 236. 363. 377 424. 499.
Vossius *Ger. Ioan.* 183. 208. 290
Ursinus *Fulv.* 8. 125. 134. 142 150. 154. 199. 227. 240. 275 328. 464. 466. 488. 491. 536 543. 548. 549. 551

## W.

WEtstenius 498

## X.

XIphilinus 104. 108. 119 124. 142. 146. 182. 234 235. 237. 293. 316. 335. 336 370. 395. 400. 431. 477. 481 482. 486. 490. 501. 502. 503 531

## Z.

ZOnaras 119. 182. 396
Zosimus 39. 40. 41. 42. 43 55. 64. 65. 67. 68. 128. 173 380. 455. 492. 493. 494. 495 496

IN-

# INDEX
## RERVM & VERBORVM.


A. A. F. F. literæ in Nummis quid ſignificent 77
Abundantiæ Symbola 391
Accipitres Iſidi ſacrati 270
Achaiæ Symbolum 101
Acus comatoria 256
Adlocutio Impp. ad Milites 447 & *ſeqq.* Caii ad milites 449. Neronis 450. Traiani *ibid.* Hadriani *ibid.*
Adoptio Traiani à Nerva 502. Hadriani à Traiano 503
Adventus Impp. in Urbem 454. Vitellii, Treboniani Galli, *ibid.* Elagabali, Probi, Maximiani Herculii 455. Severi 456 Hadriani *ibid.* Neronis, Caracallæ, *ibid.*
Agricolæ habitus 250
Agrippa Maris Præfecturam ab Auguſto habuit 169
Agrippa cum corona roſtrata navali 121
*Ahenobarbus*, Domitius, Neronis proavus 12
Ægypti Symbola 146. 147
Ægyptus palmis ferax 149
*Æmilianus* Imp. primum hoſtis, deinde *Auguſtus* à Senatu appellatus 43
— Ejus tempore peſtis ſupra modum graſſabatur 173
Æneas Anchiſem humeris ferens 406. 408
Æquitas Augg. 359. publica *ibid.*
Æquitatis Symbola 359
Æſculapius cum baculo & ſerpente 419 imberbis 420. per ſerpentem deſignatus 421
Æternitatis Symbola 509 &c.
Æternitatis Titulus Imperatoribus tributus
Africæ Symbola 138. 139. 140
Africa ſerpentum ac Elephantorum ferax, 5 & 138
Item animantium venenatorum *ibid.*
Africa per M. Lepidum retenta 417
*Alectus* Tyrannus in Britannia 61
Alemanniæ devictæ Symbolum 112
Alemanni olim qui 112
*Alexander Severus* Imp. cum capillo ad pectinem detonſo in Nummis apparet 32. Optimus Imperator domi & foris *ibid.* à militibus refractariis in Gallia interfectus *ibid.* in publicis operibus extruendis magnificentiſſimus 534. matris Iuliæ Mammææ conſilio imperium adminiſtravit 343
Alexandria Ægypti Urbs 149. 150
Alimentarii pueri Traiani 400. Antonini Pii 408.
Amphitheatrum Veſpaſiani & Titi 501
Anci Marcii Reg. Rom. effigies
Ancilia 546. 547
Anni quatuor Tempeſtates in Nummis expreſſæ 344
Annonæ Symbola 399
Annona Auguſti 399 & *ſeqq.*
Antinous Hadriani 415
Antonia Sacerdos D. Auguſti 541
*Antoninus Caracalla*, Cæſar 29. Imp. 30. *Pii* cognomen in Nummis quoque ipſi adſcriptum *ibid.* *Britannici* Nomen quare adſumſerit *ibid.*
*Antoninus Diadumenianus*, Cæſar 31 cum patre Opilio Macrino, à militibus occiſus, *ibid.*
*Antoninus* Imp. *Pius*, unde dictus 23
Antoninus Pius radiato capite 370. cum circulo circa caput 371
Antoninus Pius cum Fauſtina majore, & M. Aurelius cum Fauſtina minore in eodem nummo dextras jungentes 429
*M. Antonius* Trium-Vir 6. Augur. 7. 8
Anubis Ægyptiorum Deus cum capite canino 221. idem cum Mercurio 222
Anubin Commodus portavit. 385.
Apex Sacerdotum 541
Apis Ægyptiorum Deus per Bovem deſignatus 223
Apollo cum Ramo & Cithara pingitur 172 174
Apollo Actius 178. unde dictus 179. Ejus templum Romæ in Palatino 179. 180
Apollo ut in Nummis erpreſſus 172. 173
—— Conſervator 173. 174. 175. 176
—— Salutaris 176
—— Monetalis 177
—— Intonſus 177
Apollo Sagittarius 181

Apotheoſes Auguſtorum Auguſtarumque 503 &c.
Aquila Iovis ales & armigera 161
cum fulmine in ungulis 464
Aquila ſignum Legionis 465
Aquila Symbolum Conſecrationis Imperatorum 505
Aqua Traiana 529 Marcia *ibid.*
Ara Providentiæ 354
Arabiæ Symbola 87
Arcus Triumphalis poſitus Druſo 475 Auguſto *ibid.* Neroni 476. Domitiano 477 Traiano *ibid.*
Aretas Rex Arabiæ in Nummo 88
Armeniæ & Meſopotamiæ Symbolum 88 89
Armillæ militibus diſtributæ præmii loco: 460
Aſiæ Symbolum 84
Aſpergillum, *ſive* Aſperſorium ex pilis equinæ caudæ 541
Aſpides Ægypti reges in Diadematibus pictas geſtabant 270
Aſſis valor Nummis æreis impreſſus 554
Aſtarte, Græcis Οὐρανία, Latinis *Cæleſtis* 281
*Auguſtus Imp.*
Cæſaris nomen adſumpſit 6
Divi Filius *ibid.*
Forma ejus *ibid.*
Trium-Vir. *ibid.*
Σεβαστὸς Græcis dictus 7
Rempublicam Rom. in Tranquilliorem ſtatum convertit 167
Auguſti ſtudium in annona procuranda 399
*Aurelianus* Imp. diadematus 56
*M. Aurelius* Imp. Philoſophi epitheton unde adeptus 23
—— Ejus Victoriæ de Germanis 111. 112
M. Aurelii & Fauſtinæ matrimonium 342 432
M. Aurelius & L. Verus primi ſub Auguſtorum nomine Imperio Rom. præfuerunt 427
*Aureolus* Tyrannus 51

## B.

*Bbalatus*, idem qui *Vabalatus* 48
Bacchi imago 231
*Cæl. Balbinus* Imp. una cum Pupieno Maximo Imp. à militibus interfectus 37
Barbari captivi ad pedes imperatorum depicti 383
Baſilica Ulpia. 525. Æmilia *ibid.*
Berenices Iudææ Reginæ cum Tito Imper. conſuetudo 293 forſan Veneris nudæ inſtar in nummis expreſſa *ibid.*
Bilbilis equis & armis nobilis 139
Bithyniæ Symbolum 98
Bonus Eventus inter Deos agricolarum 205
—— Ejus ſimulachrum *ibid.* 206
Britanniæ Symbola 118. 119. 120

## C.

*Cabe* in nummo M. Lepidi Triumviri quid 143
Cæleſtis Dea Carthaginienſium 281
*Cajus Caligula*, Imp.
Germanici cognomen adſumpſit 9
D. Auguſto templum dedicavit 410
*Cajus, Lucius*, Agrippæ filii, ab Auguſto adoptati, Cæſares 20
Conſules deſignati 20. 2
Principes Iuventutis 21. 22
Alter Pontifex, alter Augur. 21. 22
Campæ Marinæ pro delphinis 538
Cancelli Comitiorum 548
Candelabri uſus in Sacris 542
Caniſtrum floribus repletum Diis conſecratum 412
Capræ Iunoni à Lacedæmoniis immolatæ 276
Capricornus in Nummis Auguſti 90
Cappadociæ Symbolum 98
Caracallæ & Plautillæ Auguſtæ conjugium 432
*Carauſius* Tyrannus in Gallia 61
*Carcabe* pro *Caccabe* forſan legendum 141
*Carinus* Imp. enormibus vitiis contaminatus 59
T. Cariſius legatus Cæſaris Auguſti in Hiſpania 134
Carpentum mulare Domitillæ 485. Agrippinæ *ibid.*
*Carus* Imp. 58
Carthago dicta Καχηδὼν lingua veteri Punica 140
Carthaginis Symbola 140. 141. 142. 143
Carthaginis nomen Romanis exoſum 143
Caſcæ fratres cum pugionibus in nummis 488

Census quomodo peragi solitus 17
Centaurus in Nummo Gallieni quid designet 175
Nunquam in rerum natura fuit 175
Ceres cum aratro & facibus 305. Tædifera 306. 307. curru draconum vecta 306 ei porcam immolari moris fuit 306
Ceres frugifera 303. Legifera 304
Ceres an cum colo in Nummis expressa 487
Cereale papaver 304
Cerealia primum à C. Memmio Ædili facta 487
Cerva Dianæ Sacra 300, 301
*Cetra* scutum breve Hispanorum 134
Ciconia Pietatis Symbolum 404. 405
Circus Maximus à Tarquinio Prisco primum excitatus 480. ab Augusto instauratus. *ibid.* à Traiano 481. ab Hadriano 483
Circi Ornamenta 481
Cistæ Comitiorum 549
Cista mystica Cretensium in nummis Augusti, M. Antonii, &c. 79. 82
Claritas Reipublicæ 348
*Claudius* Imp.
Pater Patriæ 10
Censor 17
quomodo ad imperium pervenit 452
Claudii triumphus de Britannis.
Cithara Apollinis insigne 174
*Claudius II.* Imp. legitimus primus post Gallienum. 54
à Senatu & populo valde dilectus 55
Clementia I. Cæsaris 361. Vespasiani. *ibid.* Traiani 362. Vitellii *ibid.* M. Aurelii *ibid.* Probi 363
Clementia temporum 362
Clementiæ Symbola 361
Cleopatra Regina Regum in Nummis M. Antonii 95
*Clodius Albinus* Imp. 28
Colonia Ælia Capitolina Commodiana in Nummo Hadriani quid designet 86
Colonia Nemausensis 118
Colonia Toletana 136
Colossus Neronis 476
Columba concordiæ conjugalis typus 428
Columbæ in tutela Veneris 282
Columna Rostrata Augusto à Senatu decreta post Sext. Pompeium devictum 474
Columna Traiani 521. Antonini Pii 522
Commentacula sive Commotacula quæ 541
*Commodus* Imp.
à prima pueritia turpis 25
*Britannicus* in Nummis & ab adulatoribus dictus *ibid.* Hercules dici voluit 234 235
Commodi cura circa annonam 355
Commune, Communitas Asiæ 319
Concordia Militum 424. Prætorianorum, Provinciarum, Exercituum 425 Augustorum 426
Concordiæ Symbolum 424 &c.
Congiarium Neronis 395. Titi 396
Congiarium à Nerva pop. Rom. datum 394
Congii Rom. figura 561. capacitas 562 & seq.
Conjuratio Italicorum 543
Constantiæ Symbola 363
Constantia Claudii Imp. 363
*Constantinus Magnus* Imp. natus apud *Naissum* Daciæ mediterraneæ oppidum 67. 68 Italiam à Maxentii tyrannide liberavit 68 *Magni* & *Maximi* cognomen adsumpsit *ibid.* *Constantinopolim* condidit & Imperii sedem eo transtulit 68. an vere fidem Christianam amplexus fuerit 69. Barba rasa in Nummis conspicitur *ibid.* Diademate gemmato cinctus 70. omni tempore & laurum & diadema gestavit, secus ac vult Baronius 71. num signum in aëre viderit? 463. Ejus Victoria de Sarmatis 106. 107. de Alemannis 112. Sarmatarum arma 106
Constantinopoleos Urbis Symbolum 99
Constantinopolis in Nummis Constantii Imp. 369
*Constantius Chlorus* Imp. Eboraci in Britannia obiit 63
*Constantius* Imper. diademate gemmato conspicuus in Nummis 70
Consecrationis Symbola 504 &c.
Consualia in honorem Neptuni Equestris instituta 171
Cornix conjugalis fidei Symbolum 428
Corona navalis rostrata 122
Corona Querna 167. 414
Corona radiata Divinitatis Symbolum 46
Corvus Phœbo sacer. 538
Crocodili descriptio 152
Crocodilus Ægypti typus 147
Cuniculorum copia olim in Hispania 132

Curatores denariorum Flandorum 553
Cybele, Rhea, Ops, Betecynthia, Idæo Mater Deum, Mater magna 242. cum turrita corona in capite *ibid.* cum tympano 243. & ramo pineo 244. 245. ſedens quare fingatur 245. currus ejus à Leonibus tractus 246
Cornucopiæ inſigne Valentiæ 136

D.

DAcia à Traiano in Provinciam redacta 104
Daciæ Symbola 102. 103
Danubii Symbola 107
Dardaniæ Symbolum 101
Delphinus Apollinis ſacer 538
Delphinus Neptuni inſigne 169
Delphinus Veneri ſacer 282
Deus Fidius idem qui Sancus, Semo, Sanctus 241
Deuſonienſis Hercules unde nomen acceperit 238
Diana cum arcu & pharetra 300
Diana Conſervatrix 300
Diana Lucifera 297
Epheſia 298. multimammia *ibid.* etiam veribus inſtructa 299. ad exemplum Iſidis expreſſa *ibid.*
Diana Venatrix quare fingatur 301. eadem quæ Luna 302. 303
Diana Venatrix ſuccincta 300
*Didius Julianus* Imp. primus Imperium mercatus 26
Dii Cuſtodes 211
Dii Genitales 211
*Diocletianus* Imp. *Jovius* dictus 60
Imperio ſe abdicavit 61
Diribitores in Comitiis qui 549
*Domitianus* Imp. Cenſor perpetuus 18
Iovi Conſervatori Sacellum exſtruxit 161
Ejus Victoria de Sarmatis 105.
de Germanis 108. 109
Doreſtatus, an hodiernum *Wyk te Duurſtede* 115
Druſi gemelli 343
Druſi Victoria & triumphus de Germanis 106. 110

E.

EFfigies L. Junii Bruti, Serv. Ahalæ, L. Corn. Sullæ 552. Cn. Pompeii Magni 553
Effigies Regum Rom. Romuli, T. Tatii Sabini, Numæ Pompilii, 551. Anci Marcii 552
Elagabalus Imp. ut Sacerdos Dei Elagabali barbarico habitu 538
Elagabalus Emiſſenorum Deus, idem qui Sol 182. quam id nomen ab Auctoribus varie proferatur *ibid.* quid deſignet 183 184. cujus fuerit formæ 185
Elephantes loricati in aciem producti 513
Elephas Africæ Symbolum 5
Elephas in Cæſaris Nummis quare expreſſus 5
Elephas reticulatus 393
Emerita Luſitaniæ Urbs 137
Equi caput Carthaginis Urbis Symbolum 141
Equus Mauritaniæ Symbolum 144. 145
*Eugenius* Tyrannus in Galliis, ex Grammatico 73

F.

FAuſtina cum liberis in Nummis expreſſa 342
Fauſtina Major ut *Ceres*, Minor ut *Venus* repræſentata 338
Fauſtinæ Minoris Fecunditas 433. Pudicitia 434
Fauſtina Veneris laſcivioris habitu M. Aurelium excipiens 291
Fauſtina Mater Caſtrorum 452
Fauſtina Victoria alata ad cœlum vehitur 509
Faſces cum Securibus, Conſulum inſignia 478
Felicitas Auguſti 338. Sæculi *ibid.* Publica 339. Temporum 340. Provinciarum 341
Felicitatis Symbola 338. 339
Felicia tempora 344. Felicium Temporum Reparatio 346
Fecunditatis Symbola 433
Feronia, non Iuno, ſed Florum dea 278. 279
Fides publica 435. mutua *ibid.* Militum, Exercituum 436
Fidei Symbola 435
Fiſcus Iudaicus in Nummo Nervæ quid? 85
Flamen Martialis 535
Floralia primus C. Servilius C. F. fecit 488
*Florianus* Imp. Taciti frater 57
Fœdera porca cæſa inita 543

For-

Fortuna Augusti 320. navis gubernaculo & Copiæ cornu ejus simulachrum exprimebatur *ibid.* & seqq.
Fortuna Aurea in Principum cubiculo 211
Fortuna Regia, Augusti, Populi Romani, Aurea 321. Obsequens *ibid.* 322. Manens *ibid.* Felix 323. Redux 324. 325
Fortunæ Antiatinæ 328
Forum Traiani 524
*Francia* olim dicta, quæ nunc *Germania* 113
Frumentum à Nerva plebi constitutum 398
Fulmen trisulcum 463

## G.

*Galba* Imp.
Imperatorium Titulum, ut Prænomen in Ejus Nummis 12
Galba in Hispania Imperator declaratus 131
Galba Pisonem adoptans 410
*Galerius Maximianus* Imp. *Armentarius* dictus 63
*Galerius Maximinus* Imp. diligenter distinguendus à *Galerio Maximiano* Imp. 65
Gallia per Postumum à barbaris liberata 418
Galliæ Symbola 116. 117
Galliæ Tres partes 116
*Gallienus* Imp. 44
Sub eo miserè Orbis Romanus vexatus 45
Restitutor Galliæ 117
Ejus temporibus pestilentia magna 174
Genius Augusti 212. Populi Rom. 213. per Genium Cæsaris jurare 212. antiquis temporibus Die Natali Genio merum tantum fusum; postea etiam hostia cæsa 212. 213
Genius Exercitus 214. 215
Genii Urbium, regionum &c. 214
Germaniæ Symbola 108. 109. 110. 111
Germania capta 109
Germania olim Francia 113
Germanorum arma 109. 110. 111
*Geta*, Cæsar, Antoninus quoque appellatus 28
Globus, Symbolum Orbis Terrarum 74. 75
Globus cum Cruce, Insigne Imper. 377
Gloriæ Symbola 372
Gloria Novi Sæculi 372
Romanorum tota in Imperatore. *ibid.*
exercitus 373
Gloria Reipublicæ 348
*Gordianus Senior* Imp. 35
Ejus statura. *ibid.*
*Africani* cognomen quare ipsi datum 36
*Gordianus Iunior* Imp. 36
*Gordianus Tertius* Imp. jussu Philippi Arabis interfectus 38
Gryphus animal fabulosum ut fingebatur 175. Apollini sacer. *ibid.*

## H.

*Hadrianus* Imp. 19
Patris patriæ Nomen sero admisit 20
Orbem Romanum peragravit. *ibid.*
Restitutor Achaiæ 101
Africæ 139
Bithyniæ 98
Galliæ 117
Hispaniæ 133
Macedoniæ 99
Alexandriam Urbem Ægypti multis beneficiis affecit 151
Ejus Adventus in Africam 139
in Galliam 117
in Italiam 124
in Mauritaniam 144
Iter in Germaniam 111
Hadrianus Sacra Rom. restituit 546
*Heliogabalus* Imp. in Nummis *Elagabalus* dicitur 32
Heraclii Numisma maximæ formæ an genuinum 560
Hercules Gaditanus 137
Hercules Romanus 234. 235. 236. Deusonensis 237. Macusanus 239
Herculis habitu Imperatorum statuæ sæpius ornatæ 233. 234
Herculis imago in nummis 365. 366
Hercules, Semo, Sancus, idem numen 240
*Herennius Etruscus*, à patre Traiano Decio *Cæsar* dictus 40
*Herodianus* Tyrannus, Odenati filius 47
Hilaritatis Symbolum 334. & seqq.
Hippopotamus 152
Hircus Baccho immolatus, & cur 544
Hispania Clunia 131
Hispaniæ Symbola 130. 131. 132. 133
Hispanorum Arma 133. 134
Honoris Symbola 364
*Hostilianus* Imp. 41
Hostiæ vittis & infulis exornatæ 542

I.

IAnus bifrons 198. 199. 201
—— Patulcius & Cluſius 199
—— Quadrifrons 200. quare ita effictus *ibid.*
—— Statuæ ejus in foro Romæ, ad quas Fœneratores conveniebant 201
Ilerda, hodie Lerida 136
Imperatores majori ſtatura præ cæteris hominibus efficti 345
Indulgentia Antonini Pii 401. Probi 402
Indulgentia Severi Imp. in Carthaginienſes 281
Inſtrumenta Sacerdotalia 403. 540
Io Triumphe, acclamatio 459
Iovis Symbola varia 161
Iſis Ægyptiorum Dea cum ſacro flore in capite 264. eadem cum Luna. *ibid.* Varia ejus nomina 265. eadem quæ Ceres 266. 267. unde cum modio in capite expreſſa *ibid.* Orum lactans 268. Pharia 269.
Iſidis ſimulachra aſpidum ſertis coronata 270
Italiæ Symbola 124. 125
Iudææ Captæ Symbola in Nummis Veſpaſiani & Titi 84. 85
Iugurthæ hiſtoria traditi à Boccho Syllæ, in nummis expreſſa 229
*Iulianus* Imp. *Apoſtata.* diademate gemmato conſpicuus in Nummis 70. hirſutam barbam quare geſtaverit 71. Antiochenſibus mollitiem exprobrat in Miſopogone 72. Varia hominum Iudicia expertus *ibid.*
C. *Iulius Cæſar*, Imp.
Ius laureæ geſtandæ ei à Senatu conceſſum 3
Imago ejus ex S C. in Numiſmata ſculpta *ibid.*
Forma ejus *ibid.*
Imperatoris Prænomen ipſi conceſſum 4
Dictator perpetuo *ibid.*
Augur *ibid.*
Pontifex maximus *ibid.*
Cæſaris nomen unde 5
Iuliæ Mammææ matris conſilio Alexander Severus imperium adminiſtravit 343
L. Iunii Bruti effigies 552
Iuno *Caprivora* 276
Iuno Lucina 277. unde dicta *ibid.* 278
Iuno Moneta 271. Regina 272. Martialis 273. Soſpita 274.
Iuno Regina Magna, Maxima 275. 276
Iunonis Soſpitæ habitus 274. 275. Templum 275. 276
Iuno φυσικῶς quid 309
Iupiter Conſervator 161
—— Propugnator 164
—— Stator 164. 165
—— Victor 165. Ejus Ædes *ibid.*
—— Ultor 166
—— Sponſor 163
—— Ejus templum Romæ 164
—— φυσικῶς quid 309
Iuſtitia ſine velamine ante oculos 359
Iuventa Imperii 333
Iuventas Dea 332
Iuventus 333.

K.

KΑκηφόβη Vetus nomen Punicum Carthaginis 141

L.

LÆtitia Reipublicæ 336. Temporum *ibid.* Fundata 337
Lætitiæ Symbolum 336. 337
Lararium 520
Lauri Ramus Apollinis inſigne 172. 173.
Lauri duæ ante Domum Impp. 462
Legati pacem ab Auguſto petentes cum ramis oleæ in Nummis 387. 388.
Leibertas; more antiquo 438
Lentulus Flamen Martialis in Nummis quis 536
Leo inſigne Urbis Lugduni 118
M. Lepidus Pont. Max. Tutor regis Ptolemæi Epiphanis 149.
M. *Lepidus* Trium Vir 7
Liber Pater 231. quare à Gallieno Imp. *Conſervator Auguſti* dictus 232
Liberalitas Hadriani 392. Antonini Pii *ibid.* Philipporum 393. Commodi *ibid.*
Liberalitatis Symbola 392.
Libertatis Symbolum 437
Libertas Auguſta 439. reſtituta *ibid.* & *ſeqq.* publica 442
Libertas Auguſta qualis 439.
Libertatis ſchema inane apud nonnullas gentes 440
*Licinius* Senior, Imp. & Conſtantinus Magnus, cujus ſororem in matrimonio habebat, de imperio variis præliis certarunt 66

*Lici-*

*Licinius* Junior Nob. Cæſar. 66
Litui Auguralis figura 540
*Livia* Tiberii mater 8
Literæ COM. OB. vel CONOB. quid ſibi velint in Nummis quibuſdam 100
Loti flos Iſidi ſacer 266
Lucina 278
Ludi decennales 469. eorum origo 470
Ludi Sæculares ab Auguſto reſtituti 490. eorum Præconium 491
Luna Lucifera 297. in bigis *ibid.*
Lupa Romulum & Remum lactans 129
Lupus inſigne Urbis *Ilerdæ*, hodie *Leridæ* 136

M.

MAcellum Neronis 502
*Macrianus Iunior*, Tyrannus 48
Macuſanus *ſive* Maguſanus Hercules 239
Manganum, ædificium publicum inſtrumentis bellicis ſervandis deſtinatum 355
*Marius* Tyrannus, faber fuerat ferrarius 49
Mars Propugnator 193
—— Conſervator 193. 194
—— Ultor 93. 194. 195
—— Pacifer 197
—— Pacator. *ibid.*
—— Biſultor. 197
Mars Victor 190. 192
Martis ad Rheam Sylviam acceſſus 190
Martis effigies in Nummis 190. 191. 192
*Martinianus* Imp. à partibus Licinii Imp. 67
Mater Deum magna in intimo penetrali nihil niſi lapis niger fuit 248
Matrona cum exuviis capitis elephantini, Africæ Symbolum 138. 139
Mauritaniæ Symbola 144. 145
Mauritania equis abundans 145
*Maxentius* Imp. Filius Maximiani Herculii ſuppoſitus 64
Ut Conſervator Urbis videri voluit 128
*Maximianus Herculius* Imp. imperio eodem die, ac Diocletianus ſe abdicat. 62.
*Maximinus* Imp. 33
Vaſtitate & fortitudine corporis conſpicuus 34
Germanos maxima clade affecit *ibid.*
*Maximus* Cæſar, Maximini Imp. filius 34
*Germanicus* in Nummis quare dicatur 35
Memoria Æterna, Felix 516
Mercurius unde dictus, & ut pictus 224. 225 cum Marſupio *ibid.* & 403. Pacifer 225
Mercurius pro Religione poſitus cur 402
Mercurius cum Marſupio in Nummis Gallieni 356
Minerva, galeata, & fulmine munita 311. Noctua in ejus tutela 312. navium inventrix *ibid.*
Minerva quare de Jovis cerebro nata dicatur 310. 311
Minerva Victrix 313. Pacifera 313. 314 Draco ei ſacer 315
Minerva φυσικῶς conſiderata quid deſignet 110. 309
Moderationis Symbolum 360
Moduli, *ſive* Matricis ad metallum, ex quo nummi conflabantur, excipiendum, forma 555
Moneta, Dea unde dicta 271. 272
Moneta Trevirorum.

N.

NAumachia Claudii in Lacu Fucino 500
Domitiani in Amphitheatro 501
Neptunus ut in Nummis fingi ſolitus 169. 170. 171
Quare πατὴρ dictus 170
Hippius, ſive Equeſtris 171
Conſus *ibid.*
Nereis in Nummis, pro typo Siciliæ 123
*Nero* Imp.
Patris Patriæ Titulus quoque ei in Nummis adſcriptus 11
Ejus forma 11. 12
Nero Cæſar cooptatus in omnia Conlegia Sacerdotum ſupra numerum 536. item Commodus *ibid.*
Nero radiatus 370
Neronis Liberalitas poſt Piſonis conjurationem vindicatam 304
Neronis reditus ex Græcia 486
Neronis ſtudium Circenſium 481
Neronis Quinquennale Certamen 489. Decurſio 490. Ludicrum Trojæ *ibid.*
Ludicrum Trojæ 490
Nero Apollinis habitu cum Cithara in theatro canens 180.
*Nerva* Imp. 18.
Tutela Italiæ 124
Nervæ Imp. à Senatu Imperium delatum 354
Nili typus 152
Nilus Crocodilis & Hippopotamis abundans 152.

Nili Symbolica figura 567. incrementum ad quot cubitos esse debeat, ut fertilis sit proventus anni 568. & *seqq.*
Nisi typus 152
Nilus Crocodilis & Hippopotamis abundans 152
*Nobilissimi Cæsaris* Titulus à Philippi Iunioris temporibus passim in Nummis occurrit 40
Nobilitatis Symbola 384
Notæ *Absolutionis* & *Condemnationis* 556
Novaculæ in Isidis sacris quis Usus 270
Numæ Pompilii effigies 551
*Numerianus* Imp. egregie moratus 59
Nummi Augusti, cui inscriptio ASIA RECEPTA, explicatio 77. & *seqq.*
Nux pinea, insigne Augustæ Vindelicorum 114

O.

OLeæ ramus signum Pacis 74. 387
*Opelius Macrinus* Imp. 30. malè *Opilius* vulgo appellatur *ibid.*
Ops eadem, quæ Rhea, & Tellus 246. unde dicta 247
Orbis Terrarum Symbola 74. 75
Orbis Terrarum in tres partes Veteribus divisus; quæ per tres Globos in nummo Augusti designatæ 76
Orbis sive Circulus circa caput, Venerationis antiquitus signum 371. 372
Oriens Augusti 186. 187
Orus Osiridis & Isidis filius quid Ægyptiis denotabat 268
Osca Civitas citerioris Hispaniæ 135
*Otho* Imp.
Molliculus in Vita 13
In Morte Catoni comparatur 14
Otho Imp. cum Tribuno militum Fidelitatis pactum inivit 351

P.

PAlikanus Tr. pl. Rostra populo restituenda curavit 527
Palladium quid 263. ne quidem ab ipsis Vestalibus, penes quas custodiebatur, nudum penitus inspectum *ibid.*
Palmæ Aurigis in Circensibus inter præmia distributæ 486
Palma arbor cum dactylis, Ægypti Symbolum 149
Palma arbor in nummo Carthaginiensi quid designet 141. 142
Panes gradiles 397
Panthera, sive Tigris, Bacchi Symbolum 231
Pannoniæ Symbolum 101. 102
Pantheum Romæ 167
Parthiæ Symbola 93. 94 95. 96
Papaver Cereri Sacrum 304
Pateras Simulacrorum in templis Dionysius Siciliæ Tyrannus auferre solebat 181
Patris Patriæ appellatio serius reliquis concessa 10
Pavo Consecrationis Augustarum Symbolum 506
Pavo concordiæ conjugalis typus 429
Pax Augusta 385. perpetua *ibid.* Orbis Terrarum 387
Pacis Ara 386. Templum à Vespasiano exstructum *ibid.*
Pacis Symbola 385. & *seqq.*
Pacis Fundator Severus 387
Pegasus alatus, Africæ Symbolum 140
Pegasus in Nummis Gallieni Solis Symbolum 176
Penates Dii 206. 207
*Pescennius Niger* Imp. 26. Princeps optimus 27
Persea arbor Isidi sacra 264
*Pertinax* Imp. 25
*Philippus Arabs* Imp. impie ad Imperium pervenit 38. Veronæ à militibus interfectus *ibid.*
*Philippus Iunior*, Cæsar, & Augustus à patre dictus 39
Ἀγελάστος à pueritia appellatus 39
Phœnix Instaurationis Symbolum 346
Phraates Parthorum Rex, ob Adventum Caii Cæsaris, Armenia cessit 91
Pietatis Symbola 403. & *seqq.*
Pietas Senatus 410. Caii Imp. *ibid.* Hadriani 411. Antonii Pii 412. M. Aurelii 413
Pileus Libertatis Symbolum in Num. M. Bruti 439
Pileus fabrorum ferrariorum gestamen 226
Pinus arbor Matri Deum sacra 244. 245
Pons Ælius 329
Pons à Traiano in Danubio exstructus 107
Pontes Comitiorum 549
Pontes super naves qui à Romanis struebantur 445
Porca præcidanea, quæ 306. Cereri immolabatur *ibid.*

Portus Oſtienſis 532. Anconitanus 533
*Poſtumus* Tyrannus in Gallia ab exercitu electus 50
*Poſtumus* Iunior cum Patre interemtus 51
Prætoriana Caſtra 452
Prætoria cohors quæ 464
*Probus* Imp. poſt Tacitum, omnium bonorum judicio ad Imperium pervenit 58
Profectio ad bellum, qua ſolemnitate ab Imperatoribus Rom. fiebat 444
Profectio M. Aurelii ad bellum Marcomannicum 443. L. Veri ad bellum Parthicum *ibid.* Hadriani 444
Profectio Gordiani ad bellum Perſicum 446
Propago Imperii 432
Providentiæ Symbola 353. 354
Providentia Deorum 353. Auguſti 354 Senatus *ibid.*
Prudentia Auguſti 358
Ptolemæus Philopator tutorem Pop. Romanum Filio reliquit 149
Pudicitiæ Symbolum 433
Puteal Libonis 549. prope id fœnus agitatum 550
*Pupienus Maximus* Imp. ex humili loco per varios gradus ad ſummum faſtigium pervenit 36. una cum Balbino Imp. à turbulentis militibus interfectus 37

Q.

*Quietus* Tyrannus 49
Quindecim-Virorum S. F. munus 539
Quinquennale Certamen primus Romæ Nero inſtituit 489
*Quintillus* Imp. 55

R.

Rami Virides *Lætitiæ* ſignum 334. inde templa, Januæ, domus, urbes ramis & frondibus arborum exornatæ *ibid.* & 335. 336.
Reditus Neronis ex Græcia 486
*Regilianus* Tyrannus, quo modo ad Imperium pervenerit 52
Religionis Symbola 402
Reliqua Vetera Abolita in nummo Hadriani 76
Reparatio Felicium temporum 346. 347. Reipublicæ *ibid.*
Reſtitutor Reipublicæ Valens Imp. 348
Rex Parthis datus à Traiano 96
Rheæ Sylviæ dormienti Mars conjungitur 190
Rheni Symbola 108
Rogus funebris in Nummis 504
Romæ Symbola 126. 127
Romæ Veteris & Novæ Symbolum 100
Roma Dea 316. Ei templum exſtructum 316. 317. Commune Romæ & Auguſti 318
Roma altera mamma nuda ab antiquis repræſentata ac deſcripta 126
Romanorum quorundam helluantium mores 233
Romuli I. Reg. Rom. effigies 551
Romulus pedes inceſſit triumphans 198
*Romulus* Cæſar à patre Maxentio dictus 67
Roſtra P. R. 527
Roſtra Iulia, ſive Nova 528

S.

Sabinarum raptus 483
Sacrarium publicum 520
Sæculares Ludi ab Auguſto reſtituti 490. 491 eorum cura ad Collegium xv. virorum pertinebat 491. à quibus celebrati 492. 496 quibus cærimoniis 493. 494. in iis fruges populo diſtributæ 495
Sæcularia Sacra Severus celebravit 496. item Philippus *ibid.*
Sæculum Miliarium 498. Novum 499
Salluſtia Barbia Orbiana, Uxor Traiani Decii, ex Nummis tantum nota 427
*Saloninus Valerianus*, Cæſar. 45. etiam Auguſtus declaratus 46
Salutis Symbola 413. 414
Salus Dea 422. & *ſeqq.*
Salus Generis Humani 416 Reipublicæ *ibid.* Provinciarum Africæ 417
Sarmatiæ Symbola 105
Scorpio Africæ Symbolum 138. 140
Scylla in Nummis 123
Seceſpitæ forma 541
Securitas Reipublicæ 318. Imperii 349. Auguſti *ibid.* perpetua 350
*Securitas Reipublicæ* in Iuliani Imp. Nummis quid deſignet 223
Securitatis Symbola 348
Segetia Dea ſegetum 308. cujus figuræ *ibid.*

Sella Aurea I. Cæsaris & Corona ex Senatus decreto in Theatra illata, & in Circum introducta 478
Sella Curulis 478
Semo, Sancus, Sanctus, Deus Fidius, idem numen 240. 241
Septa Comitiorum 548
Serapis Ægyptiorum Deus 219
Serapis à Iuliano Imp. præ ceteris cultus 220
Serapis cum modio sive calatho in capite 215 216. Ejus Sub nomine varia Numina complet 218. 219. Fortuna Primigenia 217
Serapis idem qui Sol. 219
Serapis & Isis pro eodem numine nonnumquam 220
Serapis Isis 221
Serpens Iunoni Lanuvinæ sacer 274. ei à virgine castitatis probandæ causa esca præbere solita *ibid.*
Serpens Felicitatis, Victoriæ, Salutis Symbolum 80. 421
Serpens hostilitatis Symbolum 77. 78
Serpentes gemini, quid sibi velint in nummis Augusti, M. Antonii, Vespasiani & Titi 77. 78. &c.
Serpentes duo implexi Cretensium insigne 78
*Severus* Imp. Romam armatus ingressus 27
Parthicus in Nummis dictus 28
Africa oriundus 139
Pacis Fundator 387
Pacator Orbis *ibid.*
Severi Imp. Indulgentia in Carthaginem 281
Severi Imp. Munificentia in Ludis 394
Servilii Ahalæ effigies 552
Siciliæ Symbola 120. 121. 122. 123
Sicilia Tricuspis, Triquera, Trinacria 122
Signa militaria apud Romanos in summa veneratione 467
Signa, Variana clade amissa, recepta 467
Signa militaria diebus festis floribus ornata & inuncta 268
Signa Varianâ clade amissa, à Germanico recepta 114
Signa Parthica recepta 92. 93. 94
de Signo in aëre à Constantino Magno viso quid sentiendum 463
Sistrum quid 146
Sistri Ægyptiaci figura exacta 566
Soli quare duodecim radii affingantur 186 187
Sol & Luna Æternitatis Symbolum 514
Soli invicto 188. 189
—— Comiti *ibid.*
Sortis effigies 329
Spes publica 329. Bona 330. Augusta *ibid.* Reipublicæ 331. Nova Reipb. *ibid.*
Sphinx alata in nummis Augusti quare scalpta 148
Suffibulum, velum Vestalium 259
Sulla *Felicis* cognomen adsumpsit 228
Sullæ & Marii simultas unde primum orta 230
Sus Cereri immolata 307
Sus cum Suculis in Nummis Vespasiani & Titi in opprobrium Iudæorum impressa 85
Sympuvii *vel* Sympuli forma 540

## T.

*Tacitus* Imp. anno ætatis 75 ad Imperium demum pervenit 57
Tatii Sabini effigies 551
Tellus Stabilis 249
Tempestates quatuor Anni in Nummis 344
Templum Iani 523. quoties clusum *ibid.*
Templum D. Iulii Cæs. 517. Augusti 518. 519. ab Antonino Pio restitutum *ibid.* D. Faustinæ *ibid.* & 520
Terminus Deus 202. coronari in agris solebat *ibid.*
—— quare in Augusti nummis expressus 203. 204
Terra ex Pythagoricorum sententia, quæ & vera, circa Solem movetur 253
*Terram levem* & *quietem* mortuis Veteres precabantur 352
Tesseræ frumentariæ vel nummariæ in suggestis erectis distributæ adscendentibus per gradus 393. 397
*Tetricus* Senior Tyrannus ab Aureliano Imp. in triumphum ductus 53
*Tetricus* Iunior, Cæsar 53. Romæ omnibus Senatoriis honoribus perfunctus 53
Thensæ Impp. in Circensi pompa vectæ 484. &c.
Theodosius Imp. in Oriente Remp. Rom. reparavit 347
*Tiberius* Imp.
Augusti Cognomen raro usurpavit 8
Pontifex Maximus 9
Patris Patriæ Cognomen recusavit 10

Tiberii Moderatio & Clementia 360. 361
Tiberii victoria de Rhætis & Vindelicis 115
Tiberinus 129
Tiberis fluvii Symbola, 129. 130
Tigris Bacchi Symbolum 231
Titulus *Sacerdotis cooptati in omnia Conlegia supra numerum*, secundi fastigii erat 536
Tituli devictarum Gentium in Nummis Augustorum quales 9
*Titus* Imp.
Censor 16
Titus an Victoriam navalem contra Judæos obtinuerit 379
*Titus* & *Domitianus* Cæsares, Principes Iuventutis 22
Titus à Vespasiano in consortium Imperii adsumptus 354
Toga triumphalis picta 461
*Traianus* Imp.
Nerva dictus 19
Titulo *Optimi Principis* à Senatu R. ornatus 103
Cognomine *Herculis* in Nummis 98
Traiani Pons in Danubio 107
*Traianus Decius* Imp. nomen *Optimi Principis* à Senatu meruit 40
Trajectus militum super pontem scaphis instratum 445
Tranquillitatis Symbola 351
Tranquillitas Augusti 351 beata 352
*Trebellianus* Tyrannus 50
*Trebonianus Gallus* Imp. 41. sub eo Barbarorum res increvere *ibid.*
Tribunal ex glebis & cespitibus structum 446
Tribunitia Potestas omnia alia Imperia præeminebat 9
Non confundenda cum Tribunorum Plebis prærogativa 10
Tridens Neptuni Insigne 169. 170. 171
Triginta Tyrannorum nomina, cognomina &c. non aliunde certius hauriuntur quam ex Veteribus Nummis 45
Tripus Apollinis 419
Tripus Delphica 538
Triumphus Vespasiani, 457. M. Lepidi *ibid.* Traiani *ibid.* Augusti 458. 459. Titi *ibid.* Antonini Pii 460
Triumphalia Ornamenta 461
Triumviri R. P. C. fœdus ineuntes 413
Trophæum Augusti Actiacum 473
Trophæum I. Cæsaris de Pharnace Armeniorum rege 472. Severi de Britannia 473
Trophæa Traiani de Dacis & Parthis 473
Tunica triumphalis palmata 461
Tympanum & cymbalum insigne Matris Deum 243. 244

## V.

*Vabalathus* Tyrannus Odenathi & Zenobiæ filius tertius 47
Valentia, an Vibovalentia 136
*Valerianus* Imp. quasi totius orbis consensu ad Imperium pervenit 43
Sub eo calamitosissimus Imperii status *ibid.*
Captivus apud Persas vitam finiit *ibid.*
*Valerianus* Iunior, *Cæsar* à patre dictus 44
*Valerius Severus* N. Cæsar, in via ad *Tres Tabernas* laqueo exstinctus 65
Valetudinis Simulachrum 423
Ubertatis Symbola 391
Vehiculatio Italiæ à Nerva remissa 550
Venationes in Circo exhibitæ 499
Venatorum habitus succinctus 300. 301. 302
Venus Genetrix 283. 284. Ei templum à Iul. Cæsare exstructum 285. Victrix 287. 290
Venus nuda 286. 287. 292. à tergo 288
Venus nuda quare fingatur 295
Venus Cœlestis 282
Venus Felix 296
Venus Καλλίπυγος 289. Syracusis quomodo templum nacta 289. 290
Venus cum concha depicta 283
Venus mari orta, unde varia cognomina nacta 282
Veneri Cnidiæ quare à Praxiteli macula impressa 293. 294
Veneri columbæ sacræ 282. item Delphinus *ibid.*
Veneris & Martis fabula quid designet 291
Veneris stella, modo *Hesperus*, modo *Lucifer* dicta 281. incrementa & decrementa sua habet instar Lunæ *ibid.*
L. *Verus* Imp. ab M. Aurelio fratre in consortium Imperii adsumptus 24
Ejus forma *ibid.*
*Vespasianus* Imp.
Censor 15
Tribunitiæ Potestatis & Patris Patriæ appellationem quando admiserit 16

Vesta Dea, eadem quæ Tellus 250. unde dicta 251. sub Ignis specie culta 251. 255. Templum ejus rotundum quare 252. 253. Ignis ejus Solis Symbolum 254
Vesta ex numero Penatium Troia advecta 210
Vestæ Templum rotundum 556
Vestales cum Lampadibus in nummis expressæ 210
Vestales ignem perpetuum custodiebant 255 Vittatæ 256. captæ tenera adhuc ætate 259. per triginta annos obstrictæ erant *ibid.* Palladium apud eas servabatur 260. quatuor ab initio tantum numero captæ, postea sex 261. igne extincto verberibus castigabantur 262
Via Traiana 531
Viæ ab Augusto munitæ 530
Victimæ securi aut malleo percussæ 545
*Victoria* Aug. mater Castrorum dicta 54
Victoria Augusti 375. Augustorum *ibid.* Gothica 377. Constantini 378. Judaica 379. Navalis, Parthica, Britannica *ibid.* Æterna 380
Victoria sine alis 381. pileata 380
Victoriæ Symbola 374. & *seqq.*
Victoriola capiti Imperatorum coronam imponens 75
*Victorinus* Senior, Tyrannus 51
*Victorinus* Iunior, Cæsar, puerulus cum patre occisus 52
Vinum Mareoticum dictum Alexandrinum 151
Virtus Exercitus 370
Virtutis Symbola 364. 365. & *seqq.*
Virtuti Herculis 365
*Vitellius* Imp.
Germanicus 14.
Cæsaris nomen recusavit *ibid.*
Crasso corpore 15
Vitellius Quindecim-Vir sacris faciundis 538
Vitellius consensu exercitus ad Imperium pervenit 452
*Volusianus* Imp. Treboniani Galli filius, *Cæsar* & *Augustus* in Nummis appellatus 42
Vomer *sive* Aratrum in Cornucopiæ figuris 391
Vota Quinquennalia, Decennalia 471. multiplicata *ibid.*
Vota Decennalia 469
Vota Vicennalia à Constantino celebrata 378
Vota publica 432
Vota pro Salute Cæsaris Augusti suscepta singulis annis 469
Vota pro salute P. R. soluta 545
Vota velato capite suscepta & celebrata 470
Urceoli ministratorii forma 540
Vulcanus cum pileo in capite & malleo 226. 227
Vultures Isidis dicati 270

Z.

ZOdiaci Signa in Nummo Al. Severi 163

FINIS.

# Lectori Benevolo, S.

*Miraberis haud dubie, Mi Lector, in Opere tam nitidis alioquin typis deſcripto, tantam typographicorum ſphalmatum ſegetem irrepſiſſe, & miratur indignaturque ipſemet Auctor, quod, dum in alio loco degat, propter abſentiam in tam ſtupidi hominis manus incidere neceſſe habuerit, qui forſan ad ſtivam ducendam aptior, quàm typothetarum erroribus corrigendis idoneus inveniretur; præſertim in priori parte, ubi niſi per malitiam peccatum fuerit, craſſiſſima ſaltem ignorantia & oſcitantia excuſari nequit. Poſterior pars manus magis eruditas nacta eſt; ideoque parciùs in eâ aberratum. Quicquid in curſoria perluſtratione ſeſe oculis noſtris obtulerit, ſequens Index indicabit, & emendabit; quem Lector, vel ante lectionem, vel quando ipſi aqua hæreat, conſulere poterit.*

# INDEX

## *Erratorum Typographicorum.*

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic Corrigenda |
|---|---|---|---|
| 7 | 15 | ἐκλωίζονλες | ἐκλωίζονλες |
| 16 | 7 | Tab. VI. | Tab. IV. |
| 20 | 3 | terranum | terrarum |
| 21 | 3 *à fine* | vaſibus | baſibus |
| 7 | 5 | Odenati | Odenathi |
| —— | 10 *à fine* | VABALATHVS VCIM | *dele hunc titulum* |
| —— | 7 *à fine* | Odenati | Odenathi |
| —— | 6 *à fine* | Odenati | Odenathi |
| 49 | 5 | Odenato | Odenatho |
| —— | 16 | Poſtumium | Poſtumum |
| 56 | 7 *à fine* | egit, Deinde | egit. Deinde |
| 60 | 19 | Maximinianum | Maximianum |
| —— | 24 | Maximiliano | Maximiano |
| 63 | 5 | de mortui | demortui |
| 65 | 10 | fiere | fieri |
| —— | 5 *à fine* | Herculei | Herculii |
| 66 | 9 *à fine* | datum fidem | datam fidem |
| 67 | 1 | omnum | annum |
| —— | 2 | indolis ut | indolis, ut |
| —— | 16 | NVBIS, CONS*erva-tori* | NVBIS CONS*ervato-tori* |
| —— | 18 | arte | ante |
| 68 | 11 | Herculei | Herculii |
| —— | 20 | *Magni* & *Maximini* | *Magni* & *Maximi* |
| 70 | 16 *in marg.* | IV. | VI. |
| 71 | 1 | TAB. XVI. | TAB. XIV. |
| —— | 13 *à fin.* | deſcribit quod | deſcribit, quod |
| —— | 11 *à fine* | *ſuperliis* | *ſuperciliis* |
| 72 | 7 | ὧ μόνον | ὧ μόνον |
| —— | 14 | milierumque | mulierumque |
| —— | *ult.* | agmen | *Eugenii* |
| 74 | 6 *à fine* | qui primum | qui nummum |
| 75 | 1 | TAB XIV. | TAB. XV. |
| —— | 9 | hunc virum | hunc ritum |
| —— | 16 | *imponentes*, Græca | *imponentes.* Græca |
| 76 | 3 *in marg.* | XI. | IX. |
| —— | 5 *à fine* | amant ad | amant, ad |
| 77 | 6 | *argento are* | *argento, are* |
| —— | 16 | Nummis de quibus | Nummis, de quibus |
| 78 | 1 | donotari | denotari |
| 79 | 1 | Golzium | Goltzium |
| —— | 12 | Golzium | Goltzium |
| —— | 15 | Auguſtis | Auguſti |
| —— | 7 *à fine* | ab Orgia | ob Orgia |
| 80 | 7 | *Cudonius* | *Cydonius* |
| 80 | 13 | controverſia | controverſiæ |
| —— | 15 | diſſimnlandum | diſſimulandum |
| —— | 16 | Felicitati | Felicitatis |
| 81 | 9 | ſtrîæ | ſtriæ |
| 82 | 13 *à fine* | quos | quas |
| 83 | 9 *à fine* | ὑστερον | ὕστερον |
| —— | *ult.* | ſignarunt | ſignarint. |
| 84 | 7 *à fine* | palmæ arbore | palma arbore |
| 86 | 4 | *inſpicieretur* | *inſpiceretur* |
| —— | 10 | quarum | quorum |
| —— | 13 | quarum | quorum |
| —— | *ult.* | ornatum; quoque | ornatum quoque |
| 88 | *pen.* | *Trajani.* cum Inſcr. | *Traiani*, cum Inſcr. *Et ſic paſim ad initium cujuſque Num. ubi diſtinctio aut malè poſita, aut plane omiſſa eſt.* |
| 89 | 5 | profluit, incumbunt. ut Dii | profluit, ut Dii |
| —— | 6 | ſolent; incumbunt. | ſolent, incumbunt. |
| —— | 17 | ablongo | oblongo |
| 91 | 10 | VII. Capitolinus | Jul. Capitolinus |
| —— | 2 *à fine* | langiretur | largiretur |
| 92 | 4 | ab ſigna | ob ſigna |
| —— | *penult.* | τὸτω | τότω |
| —— | *ult.* | φοβηθὴς | φοβηθεὶς |
| 93 | 12 | *prœliis* | *prœlis* |
| 94 | 2 | *ad mutationem* | *ad imitationem* |
| 95 | 9 | ΒΑΣΙΛΕΩΝ ϰ | ΒΑΣΙΛΕΩΝ, ϰ |
| —— | 15 | *Ptolomæum* | *Ptolemæum* |
| —— | 16 | *cognomine* REGEM | *cognomine*, REGEM |
| —— | 20 | *Anagnia aut* | *Anagnia, aut* |
| —— | 21 | *abludit* | *adludit* |
| —— | *antepen.* | ſepoſita, *Parthiam* | ſepoſita; *Parthiam* |
| —— | *ult.* | *in marg. deeſt* | X. |
| 96 | 4 | *in margine* | *dele* X. |
| —— | 11 | *in margine* | *adde* XI. |
| —— | 14 | *in margine* | *dele* XI. |
| —— | 18 | & ipſe | eſt ipſe |
| —— | *ult.* | *poſitoque Tiaram ſub mi-ſere genu* | —— *poſitoque Tiaram Sub mi ere genu* —— |
| 97 | 6 | ὑψελον | ὕψηλὸν |
| —— | 8 | ἀπεδειξε | ἀπέδειξε |
| —— | 8 *à fine* | illos | illas |

# Index Erratorum Typographicorum.

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 98 | 14 | oſtendat veſte | oſtendat, veſte |
| 99 | 14 | Gentio | Gratio |
| —— | 19 | repræſentans | repræſentantis. |
| —— | 21 | tenens | tenentis |
| —— | *ibid.* | incumbens | incumbentis |
| —— | *4 à fine* | deſignatur. | deſignantur. |
| 100 | 7 | *noſtere.* | *noſtræ.* |
| 101 | 1 | malis | malit |
| —— | 17 | nummium | nummum |
| —— | 18 | indicant. ubi | indicant, ubi |
| 102 | 12 | præfixa tenet | præfixa, tenet. |
| —— | *5 à fin.* | ſub alto | ſubalto |
| 104 | 11 | ἀλλῶνεμ | ἀλλῶνεμ |
| —— | *5 à fin.* | *& toto* | *ex toto* |
| 107 | 3 | is fornicis | in fornicis |
| —— | *10 à fin.* | fonicatum | fornicatum |
| —— | *ibid.* | exſtuctum | exſtructum |
| 110 | 10 | *Germanici* | *Germanici* |
| 111 | *3 à fin.* | alligatis, ut | alligatis ; ut |
| 112 | *5 à fin.* | *Trophœum* | *Trophæum* |
| 113 | 7 | *uomina* | *nomina* |
| —— | *10 à fin.* | *conſilium* | *conſilium* |
| 114 | *5 à fin.* | Inſcriptione, *Auguſtam* | Inſcriptione. *Auguſtam.* |
| 115 | 15 | *Mux pinea* | *Nux pinea* |
| —— | 19 | corniferis | *coniferis* |
| 116 | 3 | omneis | armis |
| —— | 18 | Ciſalpina, *togatam* | Ciſalpina ; *togatam* |
| —— | *7 à fin.* | è majoribus Proavum | è majoribus, Proavum |
| 117 | 13 | patetam | pateram |
| —— | 15 | *Advertum* | *Adventum* |
| —— | 24 | Poſtumii | Poſtumi |
| —— | *antepen.* | *conſeneſceret* | *conſeneſceret* |
| —— | *pen.* | Poſtumii | Poſtumi |
| —— | *ult.* | Poſtumium | Poſtumum |
| 118 | *9 à fin.* | tenens *Britanniam*, repræſentans ; ) | tenens, *Britannam* repræſentans : |
| 121 | *6 à fine* | DES*ignatus*. TER*tium* | DES*ignatus* TER*tium* |
| 122 | *6 à fine* | Ϝ τξιοκέλε | Ϝ τξιοκέλε |
| —— | *ult.* | ὃχ ὁι ηαερχὶ | ὃχ ὁι ηαερποὶ |
| 125 | 19 | VITR. | VIRT. |
| —— | *antepen.* | Italiam ſolum | Italicum ſolum |
| —— | *ult.* | Copiæ cornu natam | Copiæ cornu, natam |
| 127 | 1 | Majorani Corippus | Majorani, Corippus |
| —— | 3 | *bracchia* | *brachia* |
| —— | *11 à fin.* | nuda Globo | nuda, Globo |
| —— | *10 à fin.* | hoc eſt imperii | hoc eſt, Imperii, |
| —— | *5 à fin.* | falcacam, | falcatam, |
| 128 | 9 | Fædus | Fœdus |
| —— | 15 | arte | ante |
| —— | *5 à fin.* | ϐν | ϐν |
| 129 | *6 à fin.* | *Tiberum* fluvium ſive | *Tiberim* fluvium, ſive |
| 131 | 4 | quam | quod |
| —— | 16 | eſt Sic | eſt. Sic |
| 132 | 4 | ſeu aliquando | ſe aliquando |
| —— | 20 | tanquam, Imperatorem | tanquam Imperatorem |
| 133 | 1 | Catullii | Catulli |
| —— | 5 | ſolebat | ſoleret |
| —— | 11 | Faciunt heic | Faciunt huc |
| —— | *8 à fine* | uſi, *cetras* | uſi, *cetras* |
| 141 | 13 | *Pani* | *Pœni* |
| —— | *5 à fin.* | Ὀ ϱυξωλες | Ὀ ϱύξωλες |

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 142 | 6 | *Phenicia* | *Phœnicia* |
| —— | 8 | nimirum | nimirum |
| —— | 14 | enim ut | enim, ut |
| —— | *9 à fin.* | Inſcriptione non | Inſcriptione, non |
| —— | *4 à fine* | in cyrrum | in ſpiram |
| —— | *antepen.* | cyrros | cirros |
| 143 | *4 à fin.* | & | ET |
| 144 | *8 à fin.* | benificentiam | beneficentiam |
| 145 | 12 | *Quietum ſublatis* | *Quietum, ſublatis* |
| —— | *ibid.* | *Mauris quas* | *Mauris, quos* |
| —— | *4 à fin.* | *exigerit* | *exigeret* |
| 146 | *9 à fin.* | *De Hadriani itinere in Ægyptum Xiphilinus ex Dione notat* | *Hæc Romano charactere exprimi debuiſſent.* |
| 147 | 8 | *demeus* | *demens* |
| —— | 13 | regem, ad à quo | regem, à quo |
| 148 | 15 | αὐθκράτυρες | αὐτοκράτορες |
| 149 | *ant. verſ. 1.* | *omiſſ.* | II. * |
| —— | *in marg.* | I. | II. |
| —— | 4 | *ad ipſos* | *adipſos* |
| —— | 5 | *O dor ſi* | *Odor et* |
| —— | *12 in marg.* | III. | IV. |
| —— | *21 in marg.* | IV. | V. |
| —— | *7 à fin.* | *Ptolomæus* | *Ptolemæus* |
| 150 | 2 | *benificio* | *beneficio* |
| —— | 18 | V *. | *dele* |
| —— | 21 | Siniſtra | ſiniſtra |
| —— | *6 a fin.* | ſiniſtra qua | ſiniſtra, qua |
| —— | *4 à fin.* | ad huc | adhuc |
| 151 | 3 | præſtantiam *Alexandrinum* | præſtantiam, quod etiam *Alexandrinum* |
| —— | 4 | ὁιν | ὃιν |
| —— | 7 | *vivum* | *vinum* |
| —— | *antepen.* | addit, paullo | addit paullo |
| 152 | 1 | ΝILVS | NILVS |
| —— | 4 | læreficat | lætificat |
| —— | 10 | ποθάμοι | ποταμοί |
| —— | 21 | *fœtus* | *fœtus* |
| —— | *5 à fin.* | expeſſam | expreſſam |
| —— | *4 à fin.* | *Otacilila* | *Otacilia* |
| 153 | 2 | Hippotamis | Hippopotamis |
| —— | 8 | ὁ μεγιστοι | ὁ μέγιστος |
| —— | 10 | Achilli Statio | Achilli Tatio |
| —— | 14 | בהשרת *bohemoth* | בהמות *behemoth* |
| 156 | 6 | Lactantius | Lactantius |
| —— | *10 à fin.* | videtur; Similis | videtur. Similis |
| 157 | 7 | Thucididem | Thucydidem |
| 158 | 13 | Num. XX. | Num. ** . |
| —— | 17 | Heic templum | Huic templum |
| —— | 22 | VITORIS | VLTORIS |
| 159 | 1 | *hos Pantheon* | *hoc Pantheon* |
| 161 | 12 | exſluxerit | exſtruxerit |
| —— | 17 | æditûi | æditui |
| 164 | 14 | PROPVGNATORI | PROPVGNAT*ori* |
| 166 | *3 à fin.* | τλὶ τε | τλὶ τε |
| 167 | 7 | *deorum*, Jupiter | *deorum.* Jupiter |
| 168 | 6 *a fin.* | ναῦς | ναῦς |
| —— | *4 à fin.* | πόλε | πόλε |
| 169 | 13 | *Delphinus*, Virgilius | *Delphinus.* Virgilius |
| —— | *9 a fin.* | *Agrippæ*. cum | *Agrippæ*, cum |
| 170 | 2 | ποσειδῶν | ποσειδῶν |
| 174 | *7 à fin.* | cujus &, typus | cujus ectypum |

# Index Erratorum Typographicorum.

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 175 | *ult.* | Cernitut | Cernitur |
| 176 | *15* | *Phœbus* | *Phœbus* & ſic mox *verſ.* 22. |
| — | *4 à fin.* | dextra, ramum | dextra ramum |
| 177 | *7* | intoñſa | intorta |
| — | *17* | *Phœbi* | *Phœbi* |
| 178 | *13* | *carmine* | carmina |
| 179 | *6* | *Phœbus* | *Phœbus* |
| 180 | *9* | *Citharœdi* | *Citharœdi* |
| — | *11* | *Tragœdias* | *Tragœdias* |
| 181 | *7* | *Antonii Pii* | *Antonini Pii.* |
| 183 | *11* | condidit Phœnicum | *condidit.* Phœnicum |
| — | *14* | Sententia | ſententia. *& ſic mox verſ. 16.* |
| 184 | *5* | Vero | vero |
| — | *15* | *immolabat Coacervatiſque* | *immolabat. Coacervatiſque* |
| — | *18* | ut tranſſcribi | ut huc tranſſcribi |
| — | *4 à fin.* | *Alagabalu*, vel *Elagabalu* | *Alagabalus*, vel *Elagabalus* |
| 185 | *11 à fin.* | ad eſt | adeſt |
| — | *ibid.* | que | quæ |
| — | *4 à fin.* | muliebis | mulieris |
| 186 | *pen.* | illuſtret ſinguliſque | illuſtret, ſinguliſque |
| — | *ult.* | Sive ut | Sive, ut |
| 187 | *10* | Martianus, Capella | Martianus Capella |
| — | *17* | captivi Regina | captivi, Regina |
| — | *7 à fin.* | *numminis* | *numinis* |
| — | *ult.* | *vidit quare* | *vidit, quare* |
| 188 | *10* | *Quieti*, Tyranni cum | *Quieti* Tyranni, cum |
| — | *11* | radiatacapite | radiato capite |
| — | *9 à fin.* | *Dazæ* | *Dazæ* |
| — | *8 à fin.* | auri gantis | aurigantis |
| — | *6 à fin.* | junctæ, In | junctæ. In |
| — | *penult.* | *Daza* | *Dazæ* |
| — | *ult.* | undus | nudus |
| 189 | *2* | Corippi. De | Corippi De |
| — | *8* | Accius. | Accius: |
| — | *11* | Aſtror. | Aſtronom. |
| — | *12* | *Phabus* | *Phœbus* |
| — | *14* | *Intera* | *Interea* |
| 190 | *1* | modo, uti | modo, quo |
| — | *2* | Quieti, Tyranni | Quieti Tyranni |
| — | *ibid.* | viſus | viſus. |
| — | *8* | eligantiſſime | elegantiſſime |
| 191 | *16* | IIII VIR A.D.T. | IIIIVIR A. P. F. |
| — | *20* | *Argento publice feriundo.* | *Argento Publice Feriundo*; id enim Literæ A.P.F. ſibi volunt. |
| 193 | *antepen.* | amictus ſiniſtra | amictus, ſiniſtra |
| 195 | *5 à fin.* | forma | forma |
| 196 | *1* | conſtrctum | conſtructum |
| 197 | *13* | cernitur ſiniſtra | cernitur, ſiniſtra |
| — | *14* | humo poſitum, cum | humi poſitum cum |
| 200 | *11* | effingebatur, Georg. | effingebatur. Georg. |
| — | *12* | Codinus. De | Codinus De |
| — | *4 à fin.* | *præipue* | *præcipue* |
| — | *antepen.* | voluerunt. | voluerunt. |
| 202 | *11* | inſtumentis | inſtrumentis |
| — | *13* | Urſinus gentis | Urſinus, gentis |
| — | *9 à fin.* | Flaccus. De | Flaccus De |
| 205 | *20* | *ſimulacum* | *ſimulachrum* |
| 206 | *12* | Hoc credebatur | Hos credebatur |
| 207 | *2* | *Hemira* | *Hemina* |
| — | *11* | Hoc etiam | Hæc etiam |
| — | *17* | *inſignes XI. contegebant.* | *inſignes contegebant*, |
| — | *4 à fin.* | δωϊαμον | δωϊαμιν |
| 208 | *9 à fin.* | *conceſſerit.* | conceſſerunt. |
| 209 | *5* | *ſæpe* | ſæpe |
| 210 | *10 à fin.* | *ſibi* | *ibi* |
| 211 | *11* | præſentibus | præſentibus |
| — | *14* | quæ. Valentiniani | quæ Valentiniani |
| — | *15* | præceſſcruut | præceſſerunt |
| — | *7 à fin.* | fœcundi atem | fœcunditatem |
| — | *ibid.* | fætum | fœtum |
| — | *pen.* | *cevaum* | *ævum* |
| 212 | *11* | Exſcriptionibus | Exſcriptoribus |
| 213 | *3* | pucaverit | putaverit |
| 214 | *18* | *domibus therrais* | *domibus, thermis* |
| — | *4 à fin.* | vellet in | vellet; in |
| 215 | *1* | velamen, tum circa | velamentum circa |
| — | *3* | in in | in |
| — | *11* | Cœterum | Cæterum |
| — | *21 in marg.* | XI. | IX. |
| — | *22* | cernuntur *Serapin* | cernuntur, *Serapin* |
| 216 | *5* | *ſuper poſitus* | *ſuperpoſitus* |
| — | *6* | *largit ate* | *largitate* |
| — | *13* | propius | proprius |
| — | *6 à fin.* | Romam deportavit, & templa ubique | *Hæc Italico charactere exprimi debuiſſent.* |
| 217 | *6* | Cicero De Divin. | Cicero lib. II. De Divin. |
| 218 | *1* | Conſtantinopol. poſitam, | Conſtantinopoli poſitam, |
| — | *pen.* | Nonum | Nonnum |
| 219 | *9* | *in nubis* | *innubis* |
| 220 | *13* | Serapidis uti | Serapidis, uti |
| — | *19* | eſt inter | eſt, inter |
| — | *22* | *meteri* | *metiri* |
| 221 | *3* | SERAPII | SERAPIS |
| — | *5 à fin.* | Agiptium | Ægyptum |
| 222 | *15* | *arte* | *ante* |
| 225 | *8* | βασιζω | βασιζειν |
| 226 | *8 à fin.* | *capite ejus* | *capiti ejus* |
| 227 | *ult.* | eſt | eſſe |
| 228 | *1* | vult. | putat. |
| — | *5* | ſuſtraganeos | ſuffraganeos |
| — | *10* | utpote. Diademate | utpote Diademate |
| — | *19* | nummus, à | nummis à |
| 230 | *10* | ὑφ' ἑαυτε | ὑφ' ἑαυτε |
| 231 | *4 à fin.* | Abricus | Albricus |
| 232 | *7* | αὐθρώπων | αὐθρώπων |
| — | *11 à fin.* | *Equid.* | *Ecquid* |
| 233 | *12* | quod | quot |
| 234 | *8 à fin.* | Imperatoris. cum | Imperatoris, cum |
| — | *6 à fin.* | gaudebat Xiphilinus | gaudebat. Xiphilinus |
| — | *penult.* | lauræ | laureæ |
| 235 | *16* | Xiphlinus | Xiphilinus |
| — | *20* | *præſens* | *præſens* |
| 236 | *13* | ut pote | utpote |
| 237 | *6 à fin.* | arroganria | arrogantia |
| 238 | *3* | diviſim | diviſe |
| — | *5* | conjunctis | conjunctim |
| — | *eod.* | DEVSONIENI | DEVSONIENSI |
| — | *12* | Caſſidorus | Caſſiodorus |

# Index Erratorum Typographicorum.

| Pag. | Vers. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 238 | 3 | divisim | divise |
| — | 14 | *Deusionensis* | *Deusonienſis* |
| — | 17 | esse ut | esse, ut |
| — | 7 à fin. | Phœnicibus | Phœnicibus |
| — | 5 à fin. | *Phenice* | *Phœnice* |
| 239 | 2 | Phœnicibus | Phœnicibus |
| — | 6 | fuerit in | fuerit, in |
| — | 7 | Pastumi | Postumi |
| 240 | 4 | Pastumum | Postumum |
| — | 11 | *Incerta.* Videre | *Incerta*, videre |
| — | 12 | ad huc | adhuc |
| — | 20 | istud | istis |
| 241 | 12 | ἔν | ἂν |
| 242 | 6 | *Iuliæ Dominæ* | *Iuliæ Domnæ* |
| — | 9 | apellata | appellata. |
| — | 15 | Terra quæ | Terra, quæ |
| — | 16 | intelligitur Urbibus | intelligitur, Urbibus |
| 243 | 2 | *ædificabantur* | ædificabantur |
| — | 6 | Possinuntius | Pessinuntius |
| — | 8 | Arnobius *adolescentuli* | Arnobius, *adolescentuli* |
| — | 9 | *fædere* | *fœdere* |
| — | 10 | *mæsti* | *mœsti* |
| — | 11 | *capit* | *cœpit* |
| — | 8 à fin. | cymbalo, in | cymbalo in |
| 244 | 5 à fin. | *Faustinæ*, Matris | *Faustinæ* Matris |
| — | 4 à fin. | *Cybelis* turritæ sellæ | *Cybelu*, turritæ, sellæ |
| 245 | 5 | *est* De | *est.* De |
| — | 8 à fin. | Ejusdem Inscr. | Ejusdem, cum Inscript. |
| — | 7 à fin. | insidens cum | insidens, cum |
| 246 | 2 | *Cybele*, cernitur uti | *Cybele* cernitur, uti |
| — | 9 à fin. | *Capi* | *Cœpi* |
| — | 7 à fin. | *Capit* | *Cœpit* |
| — | *penult.* | sustinet Festus | sustinet. Festus |
| 247 | 8 | *hâc* | *hâe* |
| — | *pen.* | dexta | dextra |
| 248 | 4 | ωῦς | ωῦς |
| — | 11 | *Dindimenen*, | *Dindymenen*, |
| — | 4 à fin. | *ore clausus* | *oris, clausus* |
| 249 | 2 | STABILis Figura | STABILis. Figura |
| — | 3 | sedens dextra | sedens, dextra |
| — | 5 | fœmineas; adstantes, | fœmineas adstantes, |
| — | 15 | propios | proprios |
| — | 20 | *Brittannici* | *Britannici* |
| — | *pen.* | ant | aut |
| 251 | 2 | Pharnutus | Phurnutus |
| — | 6 | *stare sistere* | *stare, sistere* |
| — | 12 | vere | bene |
| 252 | 7 | cui is, Sympulo ineſt, | *Dele spuria ista verba, quæ nescio, unde irrepserint.* |
| — | 13 | pilam uti | pilam, uti |
| 253 | 3 | *ir gines* | *virgines* |
| 254 | 7 à fin. | Im. | Imp. |
| 255 | 11 | ἔστιν | ἔστιν |
| — | 15 | *fœcunda* | *fœcunda* |
| — | *pen.* | *in fœcundam* | *infœcundam* |
| 256 | 1 | possunt | possint |
| — | 8 | cinnos | crines |
| — | 9 | cæpisse | cœpisse |
| — | 10 à fin. | appellatur quæ | appellatur, quæ |

| Pag. | Vers. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 256 | 8 à fin. | illa sive tæniæ ad | illa, sive tænia, ad |
| — | 6 à fin. | Symmach | Symmach. |
| — | 4 à fin. | *Mittarum* | *Vittarum* |
| 259 | 1 | lib. III. Pharsal. | lib. I. Pharsal. |
| — | 10 | Tabulæ quam | Tabulæ, quam |
| — | 15 | susspitio | suspicio |
| — | 17 | Antistium *minorem* | Antistitum, *minorem* |
| 260 | 3 | ὄδεν | ὄδεν |
| — | *eod.* | ἀπθεισας | ἀπθείσας |
| — | 10 | Numa, Unde | Numa. Unde |
| — | 17 | *Pignus* uti | *Pignus*, uti |
| 261 | 2 | *adsportaverit* | *adportaverit* |
| — | *eod.* | præmissis Dionysius, tandem | præmissis, Dionysius tandem |
| — | 5 | πολύπραγμονεῖν | πολυπραγμονεῖν |
| — | 7 | *Solum* | *solum* |
| — | 12 | S C i. | SC. |
| — | 14 | dantes; vel | dantes, vel |
| 262 | 11 | pæna | pœna |
| — | 4 à fin. | cavum in | cavum, in |
| 263 | 10 | Eustachius | Eustathius |
| — | 10 à fin. | Vestal: | Vestali: |
| — | 9 à fin. | *Trajanum* | *Trajanum* |
| — | 4 à fin. | Vestal | Vestal. |
| — | *antepen.* | Thebaid, ubi | Thebaid. ubi |
| 264 | 15 | ὶς | ἰς |
| — | 11 à fin. | Λύκλω | Λύκλω |
| — | 9 à fin. | μετρὸμβρον. | μετρόμβρον |
| 265 | 3 | Luna, ic. vel | Luna sc. vel |
| — | 10 | *multiformis* | *multiformi* |
| — | *eod.* | *toties* | *totus* |
| 266 | 4 | Plinius, lib. | Plinius lib. |
| — | 5 | Erucam de | Erucam, de |
| — | 8 | interprætentur | interpretentur |
| — | 9 | Ora | Oro |
| — | 15 | suit, pone | fuit; pone |
| 267 | 7 | Statuam Cereri | *Hæc Italico charactere exprimenda erant.* |
| 268 | 9 | Ægyptii, intelligebant | Ægyptii intelligebant |
| — | 5 à fin. | fœcundant | fœcundant |
| 269 | 10 à fin. | *Isa Pharonais* | *Isi Phoroneis* |
| — | 9 à fin. | PHARIO | PHARI |
| 271 | 3 | sinuosos | sinuosas |
| — | 13 | monendo, Qua | monendo. Qua |
| — | 14 | αῦλας | αὐλας |
| 273 | 7 | *Maturæ* | *Matutæ* |
| 274 | 3 | *Ad Iunonem* | Ad *Iunonem* |
| — | 4 | Virgilii | Virgilii: |
| — | 5 | *Sævissima* | *sævissima* |
| — | 11 | galeata quæ | galeata, quæ |
| — | 16 | *insomniis* | *in somnis* |
| — | 17 | *calceis* | *calceolis* |
| 275 | 8 | Lanuino | Lanuvino |
| 276 | 9 | *Deæ!* | *Deæ?* |
| — | 11 | *Capricora* | *Caprivora* |
| 277 | 8 | puerulis uno | puerulis, uno |
| — | 14 | Ἐιλίθυα | Ἐιλίθυια |
| 279 | 12 | ἄγιο | ἄγιον |

# Index Erratorum Typographicorum.

| Pag. | Verſ. | Errata. | Sic Corrigenda. |
|---|---|---|---|
| 280 | 18 | de Iuno | de Iunone |
| —— | 4 | à Feronia | ô Feronia |
| —— | 7 | amænitates | amœnitates |
| —— | 9 à fin. | ἀνθρώπωι | ἀνθρώπων |
| 281 | 11 à fin. | Phænissa | Phœnissa |
| —— | 10 à fin. | Phænicibus | Phœnicibus |
| 282 | 11 | quoqe | quoque |
| —— | 11 à fin. | *Celestem* | *Cælestem* |
| 281 | 15 | cicumeat | circumeat |
| —— | 18 | emergat, Quando | emergat. Quando |
| 282 | 7 à fin. | Phurnuto, dicitur | Phurnuto dicitur |
| —— | 5 à fin. | Phavorium | Phavorinum |
| 283 | 13 | γεγονῦαν | γεγονεῖαν |
| —— | 3 à fin. | *po* | *quæ* |
| 284 | 9 à fin. | *Genetrici* | *Genetricis* |
| 286 | 14 | *facunda* | *fœcunda* |
| 287 | 3 à fin. | *qni* | *qui* |
| 289 | 11 à fin. | καλλίπυγος | καλλίπυγοι |
| —— | 6 à fin. | καλλίπυγαν | καλλίπυγον |
| 291 | 13 | *mænera* | *mœnera* |
| 293 | 16 | Suetonius : cap. | Suetonius cap. |
| —— | 3 à fine | *Cœterum* | *Cæterum* |
| 294 | 10 | ruquam | inquam |
| —— | 11 | legas, apud | legas apud |
| —— | 8 à fin. | amænior | amœnior |
| | 6 à fin. | pupem | pubem |
| 302 | 7 | *imprimis* | *inprimis* |
| 346 | 11 | capiti | capite |
| 348 | 17 | gabata | galeata |
| 350 | 10 à fin. | Otthonis | Othonis |
| 355 | 7 à fin. | condendo | condendis |
| 361 | 2 | *quoque* | *quodque* |
| 363 | 8 | *exstiterunt, aut* | *exstiterunt, intelligo hunc virum parem fuisse, aut* |
| 367 | 4 | cingulis | ungulis |
| 369 | 1 | lunt. Urbem | volunt Urbem |
| 374 | 6 | cornua | coma |
| 381 | 11 | *sive* | *sine* |
| 384 | 16 | Jurenalis | Juvenalis |
| 404 | 3 | DESTITATO | DESTINATO |
| 412 | 10 | *histralibus.* | *lustralibus* |
| 414 | 5 | concussam | concussum |
| —— | eod. | quassatam | quassatum |
| 422 | 4 | hujus | cujus |
| 450 | 12 | Ad Suet. | Adde Suet. |
| 455 | 9 & 10 | *Adventum* designatum. | *Adventus* designatus. |
| —— | 3 à fin. | Maximiniani | Maximiani |
| 461 | 16 | *Corona, Laurea* | *Corona Laurea* |
| 464 | 8 | cudit. Vide | cudit, vide |
| 473 | 7 | paratam | pacatam |
| 476 | 6 a fin. | Esquiliai | Esquilias |
| 481 | 9 | condictum | conditum |
| 481 | 3 | C. SEREIL. C. F. P. | C. SERVIL. C. F. P. |
| 490 | 15 | Adii | Alii |
| 494 | 12 | *Victimaria* | *Victimario* |
| —— | 13 | *papa* | *popa* |
| 495 | 3 à fin. | *Papis* | *Popis* |
| 497 | 13 à fin. | cusus, | cusis, |
| 509 | 14 | observatum | observatam |
| 524 | 14 | Cachlis | Cochlis |
| 531 | 12 | *Pontinas* | *Ponticas* |
| 533 | 15 | hinc | huic |
| 538 | 4 | *incedens barbarico,* | *incedens habitu barbarico,* |
| 540 | 13 | singularum | singulorum |
| 551 | 5 | erat. | erit. |
| 555 | 7 | Nummismata | Numismata |
| 562 | 3 à fin. | æquæ | aqua |
| 564 | 14 | Quas inter | Quos inter |
| 567 | ult. | æquæ | aquæ |

Si quæ præterea majoris aut levioris momenti occurrant, ea Lector benevolus & eruditus per se corrigere haud dedignetur.

FINIS.

# TYPOGRAPHVS
## Ad
# BIBLIOPEGVM.

NUmmorum Tabulæ, pro lubitu Emptoris, vel ſingulæ ſuis locis juxta numerum adſcriptum inſeri poterunt; vel etiam omnes conjunctim ordine ante vel poſt Commentarium collocari. Præſtaret tamen, ſi ita viſum foret, eas ſingulari volumine, una cum Titulo æneo iis præfixo, ſeparatim compingi, ut ita Lector ſemper Nummos ipſos ante oculos habere poſſit, dum Commentarium conſulit.

## An den Buchbinder.

DJe Kupfferſtücke können nach belieben des Kauffers oder Beſitzers entweder nach ihrem Numero an ihre gehörige örter eingefüget werden; oder aber alle nach einander entweder voran / oder am ende des Buchs beygebunden werden. Dennoch währe es beßer / wan mans ſo gůt befünde / daß ſie in einem abſonderlichen Band mit ihrem Titel Kupfferſtück gebůnden würden / damit der Leſer allezeit die Müntze bey Leſung des Textes vor augen haben könne.

## Waerſchouwinge aen de Boeckbinder.

DE Figuren vande Munten konnen naer believen des koopers ofte volgens haer Numero aen haer behoorlycke plaetſen ingevoegt werden; oft e al na malkander / 't ſy vooraen / of op 't eynde des Boecks gebonden werden. Doch ſoude het beſt weſen / indien men 't ſoo verſtonde / datmen alle Figuren met de voorgaende Tytel-figuer in een band apart ſoude binden laten / op dat de Leſer altyt neffens 't leſen van de Text / de Figuren konde voor ſich houden.

SPECIAL 82-B
3024

GETTY CENTER LIBRARY